BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIII
B
11
NAPOLI

38

JOANNIS CLERICI QUÆSTIONES HIERONYMIANÆ,

In quibus expenditur

HIERONYMI

Nupera Editio Pariſina, multáque ad Criticam Sacram & Profanam pertinentia agitantur.

AMSTELODAMI,
Apud J. LUD. DE LORME.
M. DCC.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

LECTORI
S. P. D.
JOANNES CLERICUS.

NEMO non laudavit induſtriam ac eruditionem Monachorum Benedictinorum è Congregatione S. Mauri, qui in Gallia egregias Editiones Patrum aliquot Latinorum & Græcorum emiſerunt; nemo non optavit eos, pulcherrimo inſtituto, pergere Bibliothecas noſtras ditare. Placuit præſertim bonis atque eruditis omnibus, Patres illos ab iis ita illuſtratos, Præfationibus & Notis, ut ab omni contumelia erga Recentiores abſtinerent; donec Joan. Martianæus, *ſodalium ſuorum æquitatem & prudentiam minimè imitatus, cœperit* Hieronymum *edere, atque in Prooemiis, Notiſque eruditiſſimorum virorum & Romanæ Eccleſiæ addictorum (ne exceptis quidem ſodalibus Benedictinis) & eorum qui ſeceſſionem ab ea Eccleſia fecerunt famam lacerare. Tum verò plerique omnes, harum rerum periti atque imperiti, certatim conqueſti ſunt acerbitatem nimiam, & loco quidem alieno, in viros doctos effuſam; quâ uſ-*

que adeò delectatus eſt, ut convicia è primi Voluminis Prolegomenis reſecta, juſſu, ut videtur, Præfectorum eruditi Ordinis, aliquot poſt annis, irâ minimè placatâ, repoſuerit initio Secundi. Quod audio vehementer etiam illis diſplicere. Ego autem, in quem nominatim invectus eſt, & quidem acerrimè, nec uno loco, cœpi expendere quid novi hæc Editio ferret, animadvertique hominem minimè verſaſſe quid ferre recuſarent, quidve valerent humeri. Qua de re, admonere volui, hoc Opuſculo, & Rempublicam Litterariam & Ordinem Benedictinorum, ut videat ne quid fama ſua capiat detrimenti, ſi ejuſmodi hominem patiatur diutiùs contaminare ſcripta Hieronymi, *contumelioſis illis & parum doctis adſumentis. Eadem operâ multa de* Hieronymo *ipſo dixi, ex quibus liquebit malè facere eos, qui uſque adeò deſpicantur præ eo Recentiores Criticos, ut quaſi cæcos illi collatos habeant. Si hæc proſint ad confirmanda, augendáque bonarum, ſacrarumque adeò Litterarum ſtudia, erit quamobrem gaudeam. Eo certè animo, à me ſcripta ſunt. Sin minùs, animi ſaltem hujus mei me numquam pœnitebit. Vale.*

I N-

INDEX

Quæſtionum Hieronymianarum.

QUÆSTIO I.

QUid poſtuletur ab eo qui *Hieronymum* edere atque illuſtrare aggrediatur. p. 1. Non oportere ab editore pluris fieri, quàm par eſt, Scriptorem quem edit, qua in re peccarunt *Eraſmus* & *Martianæus*. 4. Judicium de eruditione *Hieronymi*. 7. Editorem ejus Operum peritum eſſe oportere Linguæ Latinæ; 9. Peritum item Linguæ Græcæ, quarum Linguarum peritia deeſt *Martianæo*; 11 Hebraïcè doctum eſſe oportere, quâ eruditione ſatis inſtructus non eſt Editor. 14. Poſtulari etiam hominem verſatum in lectione Vett. Intt. qualis non eſt *Martianæus*, quod probatur exemplo vocis *Aulon*. 17. Eumdem oportere eſſe in tractandis MSS peritum, quod deeſſe *Martianæo* exemplis probatur. 20. & *ſeqq*.

QUÆSTIO II.

Quanta *Origeni* fuerit peritia Linguæ Hebraïcæ. 28. Laudes in eum congeſtæ ab *Euſebio* & *Hieronymo*. 29. Imperitiæ ejus in Hebraïcis argumenta ex *Huetio*. 33. Hebraïcas citationes unde hauſerit.

36.

36 Analogiæ & Grammaticæ imperitum fuiſſe. 37. Abſurdæ ejus Etymologiæ. 41.

QUÆSTIO III.

Quanta fuit Linguæ Græcæ cognitione præditus *Hieronymus*. 43. Iniquitas eorum qui ſine examine veteres Scriptores recentioribus præferunt. 44. *Hieronymi* laudes obſtare non poſſe quo minùs expendantur ejus Scripta 50. Specimina ejus imperitiæ in Græcis ex Verſione Chronici Euſebiani. 52. Alia ex verſione Libri de locis Hebraïcis. 63. Errores *Bonfrerii* & *Martianæi*. 67. *Hieronymi* peccatum in loco LXX. Intt. 68.

QUÆSTIO IV.

Quanta fuerit *Hieronymo* Hebraïcæ Linguæ peritia, quod attinet ad Grammaticam. 73. Ejus peccata de vocalibus quas Hebræis tribuit. 77. Litteræ *Schin* antiqua pronunciatio. 93. *Hieronymi* peccata in conſtructione nominum. 100. *J. Morini* judicium de ejus eruditione Grammatica. 102.

QUÆSTIO V.

Quanta fuerit Hieronymo Linguæ Hebraïcæ cognitio; in iis quæ ſpectant ad ſingulorum vocabulorum ſignificatum. 112. Inconſtantia ejus in verſione nonnullo-

nullorum vocabulorum. 114. Miſcet litteras affinis ſoni. 117. Varia ejus admiſſa in interpretatione vocum & loquutionum, praviſque Etymologiis, ubi paſſim confutatur *Martianaus*. 119.

QUÆSTIO VI.

An *Hieronymus* aliquando paſſus ſit ſibi fucum fieri à Judæis, quod aliquot exemplis probatur. 170. Defenditur judicium *Davidis Clerici* contra *Martianæum*. 180.

QUÆSTIO VII.

Quanti ſint faciendæ rationes, quibus *Martianæus* adductus eſt, ut ſummam peritiam Linguæ Hebraïcæ *Hieronymo* tribueret. 189.

QUÆSTIO VIII.

Quiſnam ſit verus uſus Operum *Hieronymi*, & quænam adhibenda cautio in iis legendis. 214. Ejus declamatorius ſtylus. 233. Affectus ejus cavendi. 237. Inconſtantiæ ejus variæ rationes. 245. Figmenta Hieronymiana. 269. Errores *Hieronymi* ab *Eraſmo* & *Huëtio* recenſiti. 277.

QUÆSTIO IX.

Quanti facienda ſit editio verſionis Latinæ, quam *Martianæus* vocat *Divinam Bibliothecam Hieronymi*, quidve ſentiendum de præfationibus Hieronymianis, quarum varia loca ad examen revocantur. 290.

QUÆ-

QUÆSTIO X.

Quanti facienda ſint Scholia antiqua edita à *Martianæo*, ipſiúſque adnotata. 342.

QUÆSTIO XI.

Quodnam judicium ferendum ſit de Libro de Nominibus Hebraicis, déque Notis & Commentariis *Martianæi*. 384.

QUÆSTIO XII.

Quænam ſit utilitas Libri *de Locis Hebraïcis*. 421.

QUÆSTIO XIII.

Quidnam ſentiendum de *Hebraïcis quæſtionibus* in Geneſin. 436.

QUÆSTIO XIV.

Quanta ſit eruditio in *Epiſtolis Criticis Hieronymi*. 457.

QUÆSTIO XV.

Quodnam ferri queat judicium de Commentariis *Hieronymi*. 492.

QUÆ-

QUÆSTIONES HIERONYMIANÆ.

QUÆSTIO I.

Quid poſtuletur in eo, qui HIERONYMUM *edere atque illuſtrare aggrediatur.*

I. UT Quæſtioni huic ſatisfaciamus, ante omnia duplex auxilii diſtinguendum eſt genus; quo inſtructum eum eſſe oportet, qui *Hieronymum* edere atque illuſtrare cum laude velit. Prius liceat externum vocare, quod ſitum ſit in copia Manuſcriptorum Codicum; cum quibus Editiones antiquiores comparentur, atque expendantur.

Hoc ſe pulcherrimè inſtructum fuiſſe dictitat paſſim *Joannes Martianæus*, Monachus Benedictinus, qui cœpit edere Luteciæ Opera *Hieronymi*, quorum primum Volumen publicam lucem vidit anno MDCXCIII. Qua in re, fidem ei derogare nolim. Verùm de eo auxilii genere hîc agere non conſtitui, cùm non poſſim Bibliothecas viſere, in quibus Manuſcripti illi Codices *Hieronymi* adſervantur. Poſterius auxilium internum dici queat, atque ad ſex potiſſimùm capita revocari; quorum primum eſt, ut non tam *Hieronymi*, quàm Veri amans ſit ejus Operum Editor: ſecundum, ut ſat eruditus Latinè ſit, ſatisque exercitatus in lectione Veterum, ut eum Scriptorem probè intelligere poſſit: tertium, ut ſit Græcè doctus, ita ut facilè adſequatur Græca admiſta Operibus *Hieronymi*, & quæ ex ea Lingua tranſtulit cum Græcis exemplaribus, ſi neceſſe ſit, contendat: quartum, ut Hebraïcam Linguam teneat, ſine cujus cognitione judicium nullum ferre poteſt de iis quæ de ea Lingua paſſim habet *Hieronymus*: quintum, ut ejus tranſlationem, & LXX Viralem, Græcarúmque aliarum recentiorum fragmenta, cum

cum Hebraïco Codice non oſcitanter contuleris: ſextum denique, ut tractandis Manuſcriptis ſit adſuetus, exercendiſque omnibus periti Critici muneribus longo uſu tritus. Si ſex hiſce dotibus inſtructus ſit editor *Hieronymi* Benedictinus Monachus, iiſque, ut par eſt, utatur; erit cur ei omnes, qui eum Scriptorem poſthac legent, gratias habeant atque agant, quòd ei recudendo operam dare voluerit. At ſi ei deſint; ne univerſus quidem Ordo Benedictinorum, quamquam in eo ſunt nunc multi docti viri, impedire poterit quo minùs Eruditi dicant dolendum tot Manuſcriptos Codices eſſe in manibus hominis, qui iis rectè uti neſciat, ac malè facere Ordinis Præfectos, qui curam edendi *Hieronymi* non transferant ad alium peritiorem. Ego verò hîc non carpendi causâ, ſed admonendi hominis, qui magnâ fiduciâ & acerbitate in quoſlibet & à Romanenſibus ſacris alienos, & eorum participes invehitur; Editionem ejus expendere aggrediar; ut intelligant harum rerum periti quid ſit à *Martianæo* jam præſtitum, aut porrò exſpectandum. Ita enim de eo, ejúſque laboribus dicam, ut neque vera laus ei detracta

hiſce Quæſtionibus noſtris, neque falſa vituperatio affiсta eſſe videatur. At liberè ſanè eum monebo, quemadmodum ipſe alios monere prior incepit; ſic tamen ut humaniùs ſecum actum intelligere poſſit, quàm à laceſſito, jure ſuo, exſpectare potuit. Antequàm ad ſingularia deſcendam, ſex memorata capita paullò copioſiùs exponam.

II. VITIUM eſt ſolemne eorum, qui antiquos Scriptores edere aggrediuntur, mirum in modum Scriptores quos edunt extollere; ut eadem operâ perſuadeant Lectori ſe utiliſſimum laborem ſubiiſſe, ac eſſe cur ſibi propterea gratiæ agantur. Nam ſanè pretium ejusmodi laboris eò majus eſt, non tantùm quò labor ipſe in ſe ſpectatus eſt difficilior, & laude dignior; ſed etiam quò Scriptor antiquus præſtantior judicatur. Quamobrem videas Editores atque Interpretes certatim Scriptores, quos proferunt in lucem, aut illuſtrant, Lectoribus ſtudioſiſſimè venditare. Qua in re, ut nihil eſt quod carpas, ſi reverâ laudabiles Scriptores non præter meritum extollantur: ſic fatendum eos, qui modum hîc nullum ſervant, non eſſe laudabiliores inſtitoribus, qui ma-

malas merces bonis æquant, quò eas poſſint vendere fidem temerè habituris. Verùm ejus rei hîc *Martianæus* exiguam rationem habuit, cui ſatis non fuit oſtendere utiles eſſe labores *Hieronymi* in Scripturam, nec poſſe prorſus contemni, niſi ab imperitis, quod veriſſimum erat; ſed qui præterea contendit eum [a] *perfectam notitiam ſermonis Hebræi habuiſſe*, quem Grammaticæ ſic imperitum fuiſſe oſtendit vir eruditus *Joannes Morinus*, ut non poſſet verba conſtruere, niſi conjiciendo, quemadmodum poſtea videbimus. Idem [b] non poteſt ſatis laudare librum *de Nominibus Hebraïcis*, ineptum ac nullius pretii libellum, etiam poſtquàm ab *Hieronymo* recenſitus ac emendatus eſt; cujus libelli nullus fuit uſus, niſi ad captandas inanes argutias atque allegorias ex ſignificationibus tam falſis, quàm veris, nominum Hebraïcorum. Quod poſtea pluribus oſtendemus. Sic & in aliis rebus, paſſim *Martianæus*, ut deinde conſtabit, laudat merces exigui pretii; quaſi laudando efficeret, ut pretioſiſſimæ fierent, deleretque ex hominum eruditorum animis, quid-

a *Tom. I. Prol. I, 3. Vide & Tom. II. Prol. III. & alibi.* b *Tom. II. in Comment. in eum Lib. Cap. 2.*

qùid à recta Ratione, ſtudióve Scripturæ Sacræ & Litterarum Hebraïcarum didicerunt, aut ex aliorum Scriptis acceperunt.

Fateor nòn modò homines è trivio, quibus fama *Hieronymi* notior eſt, quàm ejus doctrina, ſed & virum ſummum *Deſ. Eraſmum* præiviſſe Monacho Benedictino, atque immodicas laudes in *Hieronymum* contuliſſe; quas cùm alibi, tum in ejus Operum dedicatione & vita; ab *Eraſmo* conſcripta, legimus; & quarum laudum breve ſpecimen ſubjiciam, ex Epiſtola Nuncupatoria ad *Guil. Warhamum*: *Ceterorum quidem*, inquit, *alios aliæ commendant dotes, in hoc uno συλλήβδην, ut aiunt, conjunctum fuit, eximium fuit, quidquid in aliis per partes miramur. Et cùm in ſingulis egregium eſſe magnum ſit ac rarum; hic ſic excelluit in omnibus, ut longè præcurrat in ſingulis, ſi illum cum ceteris conferas; ſin ipſum ſecum componas, in nullo præmineat. Tanta eſt rerum omnium ſummarum temperatura.* Cetera in ipſo Scriptore legantur; quæ ſine dubio omnem modum laudandi excedunt. Si enim ſeponas multam Græcorum & præſertim Latinorum lectionem, conjunctam cum facul-

tate

tatè acriter declamandi, aut declamatoriè ſcribendi, pro ejus ævi palato; cetera omnia ſunt mediocria. Non modò Hebraïcæ, ſed & Græcæ Linguæ modica cognitione fuit tinctus. Theologiam ceteráſque diſciplinas deguſtaverat, potiùs quàm exhauſerat. In inventione quidem, nihil propemodum habet exquiſiti; in ordine, nihil fermè accurati. In ratiocinatione verò & collectione conſectariorum, plus multò pompæ rhetoricæ atque exaggerationis invenias; quàm roboris, & judicii, niſi velis Dialecticæ valedicere; quam numquam in eo laudaſſet *Eraſmus*, niſi communi Editorum vitio laboraſſet. Sed & hanc & alia ita extulit, quia labores, quos exantlaverat in edendis ejus Operibus; non ſuſtinebat parvi facere; nec ab aliis parvi fieri volebat. Fortè etiam, immodicis laudibus *Hieronymi*, quæ liberiùs in mores ſui ævi ac præſertim Monachorum dictitabat redimere conatus eſt. Quod eò credibilius videtur, quòd peccata *Hieronymi* liberè & apertè alibi carpat, ut poſtea oſtendemus.

Verùm qui malunt cæco adſenſu amplecti judicia Majorum noſtrorum, quàm ea expendere, & à pueritia audien-

dis laudibus *Hieronymi* ſunt adſueti, vix ferent liberum hoc noſtrum judicium. Nos propemodum quaſi impios ac ſacrilegos inſectabuntur; at cur tandem? Nimirum, quòd homines cùm ſimus, ac in ſimili ſtudiorum genere verſati, auſimus judicare de homine, cujus eruditio ad eamdem normam ac ceterorum omnium exigenda eſt; quòd exiſtimemus rectam Rationem pluris faciendam eſſe, quàm judicia ex affectu aut ex ignorantia profecta; quòd denique ut candidè laudamus laudabilia, prout digna ſunt, ita vituperanda in eodem viro liberè improbemus. Atqui hæc ſi illicita ſint nobis, adverſùs ſuperiores ætates; nec Veteribus, de Majoribus ſuis, licuit judicare; nec poſteris noſtris, de nobis; judicandi jus ullum erit. Quo enim jure, Ratione quidem hodie non licebit nobis uti, in cenſendis Veterum Scriptis; uti verò olim licuerit *Hieronymo* erga *Origenem* & alios, quos audacter reprehendit? aut poſthac licebit, erga nos, nepotibus noſtris? Deinde ſi judicium hoc noſtrum rebus ipſis manifeſtò poſtea comprobabitur, an æquum eſt majus pondus auctoritati *Eraſmi*, aliorúmve tribui, quàm ipſi re-

rerum evidentiæ? Igitur Lectorem etiam atque etiam oramus, ut in medio cùm hoc noſtrum, tum etiam aliorum judicia relinquat; donec, ex allatis argumentis, lectionéve *Hieronymi* Operum, per ſe de hac controverſia poſſit judicare.

II. SECUNDAM dotem Editoris Operum *Hieronymi*, ſi quis quærat in *Martianæi* ſtylo; hoc eſt, peritiam Linguæ Latinæ, facilè animadvertet bonum virum parum verſatum eſſe in Veterum Scriptorum Lectione; cùm ejus oratio barbariſmis ſcatens nullum planè melioris ſermonis Latini guſtum homini ineſſe oſtendat. Ne *Hieronymum* quidem ipſum imitatur, niſi in iis quæ vitanda potiùs ſunt: quemadmodum ſolent facere diſcipuli, qui vitia præceptorum, potiùs quàm virtutes, imitantur. Hæc adeò manifeſta ſunt, ut *Prolegomena*, *Commentarios* ac *Notas Martianæi* obiter legentibus illico ſe ſe ingerant omnibus, qui non ſunt Linguæ Latinæ prorſus imperiti. At fortè dixerit aliquis, in hujuſmodi Scriptis minimè poſtulari ſermonis elegantiam, aut puritatem ad normam ævi Auguſti exactam. Quod nec ipſe diffiteor, at poſtulari tamen

barbariem, aut gratam eſſe nemo dixerit; præſertim ubi ea non aguntur, quæ nonniſi verbis Eccleſiaſticis exprimi queant. Præterea nec hoc negabitur, eum qui aggrediatur judicare de ſententia verborum *Hieronymi*, eligere ex variis M S S. Codicum lectionibus eam quæ maximè redoleat ingenium Scriptoris, ceteriſque Critici Hieronymiani muneribus defungi, oportere non *Hieronymum* tantùm verſaſſe, diligenti manu; ſed & Scriptores Latinos, ad quorum exemplar ſeſe paſſim componit, aut ad quorum dicta reſpicit; atque inter alios quidem potiſſimùm *Ciceronem*, cujus ſe [a] nimium imitatorem fuiſſe profitetur *Hieronymus*. Jam autem ægrè capio, qui potuerit quiſpiam diu bonos Scriptores attento animo triviſſe, nec tamen ex illorum ſermone quidquam in ſtylum ſuum derivaſſe. Quiſquis eos Scriptores ſtudioſè lectitarit, & præſertim quidem eo animo, ut iis accuratè intellectis ad res majoris momenti uteretur, qualis eſt Patrum Latinorum editio & interpretatio; is numquam ſuſtinebit ea ſcribere, aut certè edere quæ edidit

Mar-

a *In Ep. ad Euſtochium, de cuſtodia Virginitatis.*

Martianæus. Nec dicas bonum virum ſtylum elegantiorem eſſe aſpernatum, nec quidquam præter perſpicuitatem ſectatum; lectâ enim quavis pagellâ, intelliges hominem omni ope niti ut, ſi non *Ciceronem*, at certè *Hieronymum* imitetur, ſed fruſtra. Legis tantùm *Breviarii* ſtylum, loquutionibus Hieronymianis vi in orationem intruſis; ſubinde incruſtatum; ſed ita tamen, ut in eo ædificio multò plus ſit luti, quàm marmoris. Deinde infelicem Criticum paſſim animadvertis, quod eſt Latini ſermonis non ſatis intellecti neceſſarium conſectarium.

IV. TERTIUM, in edendo *Hieronymo*, ſubſidium petendum ex Græca Lingua, ex qua multa paſſim adſperſit, & multa etiam tranſtulit. Hæc verò neque ſatis intelligi poſſunt, neque virgulâ Cenſoriâ ubi opus eſt notari, niſi ab homine ita ejus Linguæ perito, ut ſubinde Lexici auxilio non indigeat. Quam Linguæ peritiam minimè profectò adſequuti ii videntur qui verterunt, ἀντὶ φοινίκων τὰ βάϊα σύρουσι, *coram palmis ramos palmæ trahunt*, ut obiter monuimus *Artis Criticæ* P. III. S. I. C. XIII, 25. Sed & alia multa poſthac clariora rei indicia

dicia in lucem proferemus.

Ipſe quidem *Hieronymus*, ut demonſtrabimus, ubi ad eam quæſtionem deventum fuerit, Græcæ Linguæ valde peritus non fuit; at ejus lapſus deprehendi nequeunt, niſi à peritiores quod tamen ab ejus Interprete fieri neceſſe eſt, & interdum, in apertioribus nonnullis peccatis, ne quid diſſimulem, factum eſt à *Martianæo*, ſed multò frequentiùs factum oportuit.

Ex peritia autem cùm Latinæ, tum Græcæ Linguæ, lectionéque optimorum quorumque Scriptorum, quas poſtulari contendimus ab Editore, ac Illuſtratore *Hieronymi*, conſtat eruditio illa Philologica, quam *Eraſmus* ei prorſus neceſſariam eſſe judicavit. Quare meritò exiſtimavit ſibi excuſandum eſſe, quòd ab humanioribus litteris nondum ſatis paratus primùm aggreſſus eſſet Hieronymianas Epiſtolas illuſtrare. Ita habet in Epiſtola Friburgi, anno MDXXXIII, data, & præfixa Frobenianis poſterioribus Editionibus: *Cùm illius Epiſtolas, tum caſtigandi, tum Scholiis illuſtrandi provinciam ſuſciperem, variam illam & ex omni linguarum, diſciplinarum, ac litterarum recondita ſupellectili con-*

ſtruc-

ſtructam opulentiam nondum penitus introſpexeram. Quid enim eſt in ullo librorum genere, ſeu parvum, ſeu magnum, ſeu ſacrum, ſeu profanum, quod ille non habuerit in numerato? Itaque fateor me non uno modo peccaſſe, qui ad tam arduum negocium, nec parem eruditionem, nec juſtam curam attulerim. In Epiſtola Nuncupatoria ad *Warhamum*, multis oſtendit maximam eſſe difficultatem in eligendis veris lectionibus, emendandiſque depravatis, nec contemnendam elegantiorum litterarum notitiam ab Editore præſertim *Hieronymi* poſtulari: *Ea res, inquit, cùm ubique plurimùm habet difficultatis, tum verò potiſſimùm in libris Hieronymianis. Idque pluribus de cauſis accidit. Primùm, quòd ipſum dicendi genus haudquaquam triviale ſit, ſed ſententiis variegatum, Epiphonematis argutum, ſtrophis obliquum ac vafrum, argumentis denſum ac inſtans, alluſionibus feſtivum, nonnumquam variis Rhetorum ſchematis veluti laſciviens, ubique doctum & artificem præ ſe ferens. Unde factum eſt ut quo longius hujus oratio abeſt à ſimplicium intelligentia, hoc pluribus mendis fuerit contaminata; dum hic ſcribit non quod legit, ſed quod intelligit; ille de-*

depravatum exiſtimans quidquid non ad ſequitur, utcúmque viſum fuerit mutat ſcripturam, animi modò hic ſequutus ſomnium. Rurſum alius fortè deprehendens corruptam eſſe ſcripturam, dum ex levi conjectura nititur emendare, pro unico mendo, geminum inducit, & dum vulnuſculo mederi ſtudet vulnus inſligit immedicabile. Hæc *Martianæo* diligenter expendenda fuerunt; quamvis enim ſtudio *Eraſmi*, ne de *Mariano Victorio* loquar, expurgatum acceperit *Hieronymum* innumeris vitiis; quoniam tamen utriuſque laborem ad priſcos Codices exigere aggreſſus eſt, & de utroque judex ſedere, non multò minùs eruditione Critica inſtructum priùs eſſe eum oportuit, quàm *Eraſmum*. Quod, ut opinor, perpauci ſibi perſuadebunt, qui Præfationes, Commentarios ac Notas hominis legerint.

V. QUARTUM, neceſſe eſt Editorem ac Illuſtratorem *Hieronymi* Linguæ Hebraïcæ peritum eſſe; quod duplici labore eſt comparandum. Prior eſt ſitus in accurata cognitione Grammaticæ Hebraïcæ hodiernæ, & rationis quâ cùm Rabbini, tum recentiores alii Interpretes Vetus Teſtamentum explicare ſolent. Poſterior

rior in examine ejuſdem Linguæ collatæ cum Linguis vicinorum Syrorum, Chaldæorum, Arabum, imò etiam remotiorum Æthiopum; ex qua collatione non dubia lux affulſit multis Scripturæ Sacræ locis, ſtudio & operâ virorum doctiſſimorum *Samuel. Bocharti*, *Eduard. Pocockii*, *Jobi Ludolfi*, & aliorum. Sine duplici hoc labore, de Tranſlationibus Veteribus, adeóque de Hieronymiana judicare ſatis rectè non poſſumus. Utroque quidem hoc ſubſidio deſtitutus fuit *Eraſmus*, & de poſteriore ne cogitavit quidem, ut nec quiſquam ejus æqualium; prius verò alienâ operâ ſupplevit, ut ipſe in Epiſtola ad Archiepiſcopum Cantuarienſem candidè fatetur: *Græca*, inquit, *quæ vel omiſſa fuerunt, vel perperam addita, reſtituimus, quod idem fecimus & in Hebraïcis; verùm, hac ſanè in parte, quod minùs noſtro Marte poteramus aliorum ſuppetiis præſtitimus, præcipuè fratrum Amerbachiorum--quorum quidem auxilio libenter ſum uſus, quòd Hebræorum litteras deguſtaſſem veriùs, quàm didiciſſem.* At horum operâ factum eſt ut omnia temerè exigerentur ad rationem legendi Maſſoretharum, characteribúſque Hebra-

braïcis ſcriberentur, quæ Latinis ſcripſerat aliter *Hieronymus*; quaſi mendoſum eſſet quidquid à Maſſorethica lectione diſſentiebat. Peccatum hoc rectè à *Martianæo* paſſim notatum & emendatum eſt; quod æquè libenter profiteor, ac ea noto quæ minùs rectè ab eo facta videntur. Verùm Grammaticæ Hebraïcæ eâ cognitione imbutus eſt, ut minùs accuratis loquutionibus *Hieronymi*, in errores abducatur vix condonandos; ut cùm cenſet voces Hebraïcas incipere à vocalibus, ac diphthongis, [a] ex loco *Hieronymi* perperam intellecto. Idem etiam non [b] ſemel invehitur in eos, qui Hebraïcis vocibus ſignificatus fuiſſe cenſent nunc nobis ignotos; nec proinde temerè damnandos Interpretes veteres, cùm aliter verba vertunt quàm nunc ſolemus. Quod tamen uſque adeò verum eſt, atque ita demonſtratum à viris doctis, ut ab harum litterarum perito in dubium ampliùs nequeat revocari. [c] Exempli causâ, pro *Philiſthæis* LXX. Intt. ſæpe habent ἀλλοφύλους, quod legere etiam eſt, in Lexico Græco nominum

[a] *Ad lib. de Nominibus Hebraicis. col.* 40
[b] *In Comment. ad eumdem librum.* [c] *Vide not. ad Exod. XV.* 14.

num Hebræorum. Rationem hujuſce tranſlationis cùm non intelligerent ii, à quibus tranſlata ſunt nomina Hebraïca, ſeu *Hieronymo* antiquiores, ſeu ipſe *Hieronymus*, ad neſcio quas alias coactas ac contortas Etymologias confugerunt; dum vertunt *cadentes*, *ſive ruina poculi*, *aut cadentes potione*, *aut ceciderunt duo*, quaſi deducendum eſſet ex נפל naphal, *cecidit*, & שתה ſchathah; *bibit*, aut שתים ſchthajim, *duo*. At nos alibi oſtendimus ex Æthiopica Lingua petendam verſionis rationem. Sed & alia ejus rei exempla poſtea proferemus.

VI. QUINTO loco, qui *Hieronymum* edere aggreditur debet LXX. Interpretes & fragmenta aliorum diligenter legiſſe, & cum Hebraïco Codice comparaſſe; ut poſſit, de eorum collatione, quam ſæpe inſtituit *Hieronymus*; rectè judicare. Ea enim facultas non acquiritur, lectione *Breviarii*, aut ſuppletur ſubito ad Concordantias ac Lexica perfugio; ſed diuturnâ atque attentâ Hebraïci Codicis, Interpretúmque veterum lectione. Hæc cùm deeſſet *Joanni Martianæo*, multos errores propterea admiſit, ut poſtea liquebit; ſed hîc unum memorabimus. *Euſebius*, in

locis Hebraïcis ex Numeris & Deuteronomio, ita orditur deſcriptionem Magni Campi: Αὐλὼν, πεδιὰς μεγάλη, ἐπιμήκης· ὁ Αὐλὼν εἰς ἔτι καὶ νῦν καλεῖται: quæ verba ſic vertit atque illuſtrat, ut ſolet, *Hieronymus: Aulon non Græcum, ut quidam putant, ſed Hebræum vocabulum eſt. Appellatur autem vallis grandis atque campeſtris* &c. Quæ cùm legiſſemus, obiter monuimus, in Diſſertatione non de Statua ſalis, ut habet *Martianæus*, ſed de Sodomæ ſubverſione, hallucinatum *Hieronymum*; quia conſtat αὐλὼν eſſe vocem Græcam, nec eam vallem ita Hebraïcè vocari. At *Martianæus*, qui ubique captavit occaſionem de nobis detrahendi, hæc habet * ad ea verba *Hieronymi: Idem eſt vocabulum iſtud* quod אילון elon *à* LXX. *Intt.* aulon *lectitatum. Id ſi attendiſſet* Joannes Clericus, *in ſua Diſſertatione de Statua ſalis, non imperitè redargueret* Hieronymum *propter admonitionem eruditam hujus loci.* Verùm *Joannes Clericus* animadvertere non poterat quod ſomniaturus erat Martianæus, nec אילון *elon* uſquam eſt *lectitatum aulon* à LXX. Intt. Non mo-

* *Vide & Comment. in Lib. de Nominibus Hebraïcis.*

modò in Numeris & Deuteronomio, nuſquam אילון, *elon*, vertitur à LXX. Intt. αὐλὼν, ſed ne in univerſo quidem Vetere Teſtamento. Decepit, ut videtur, *Martianæum* minùs attenta lectio notarum *Jac. Bonfrerii* ad Librum de Locis; ubi conjicit Αὐλὼν *deformatum eſſe ab* אילון; quod ita intellexit noſter quaſi à LXX. Intt. hoc eſſet factum, qua in re graviter hallucinatus eſt. Nam LXX. Intt. aut appellativè eam vocem ſumſerunt, pro nomine arboris, aut verterunt Ἤλων, ut Jud. IX, 37. Sed quare, inquies, mentio fit ab *Euſebio* τοῦ Αὐλῶνος, quaſi ex Numeris aut Deuteronomio, ſi ea vox in LXX. Interpretibus non ſit? Quia, nempe, loci illius fit mentio, ubi ſermo eſt de valle, in qua poſtremùm caſtra fecerunt Iſraëlitæ, antequàm trajicerent Jordanem; quæ νάπη & φάραγξ haud ſemel à LXX. Intt. vocatur, in iis Libris; quibus vocibus idem eſt ſignificatus, ac voci αὐλών. At quid fiet *Hieronymo*, dicenti vocem eſſe Hebraïcam? Memoriâ lapſus cenſebitur, quâ vacillante miſcuerit *Elon* cum *Aulon*, aut à præceptore Judæo, ſi mavis, deceptus. Ac ſanè nimis mirum eſſet agi de *valle*, eámque

vocari Αὐλῶνα, ab homine Græco; nomine appellativo ex ſua Lingua petito, & tamen eam quoque eſſe vocem Hebraïcam, noménque proprium ejus loci. Hæc animadverſa eſſe à *Martianæo* oportuit, antequàm me imperitiæ inſimularet. Debuiſſet etiam, ut hoc obiter dicam, emendatiùs recudere Librum de Locis Hebraïcis, non Lectori menda Editionis Bonfrerianæ paſſim reponere, ut hîc fecit; etenim pravè habet utriuſque editio Αὐλῶν pro αὐλὼν, & πεδιὰς μεγάλη ἐπίμηκος pro ἐπιμήκης, ut Græcæ Linguæ non prorſus imperiti illico intelligent.

VII. Sexto loco, diximus Editorem atque Interpretem *Hieronymi* oportere eſſe adſuetum tractandis MSS. Codicibus, ſuſtinendiſque omnibus periti Critici muneribus; quarum rerum ſat clara ſpecimina in *Martianæo* non videmus, quamvis nihil præter MSS. Codices loquatur. *Eraſmus* ipſe, vir haud paullò doctior, maximam difficultatem in legendis Codd. MSS. expertum ſe eſſe fatetur. * *Ipſa tot voluminum inter ſe collatio*, inquit, *quantum habeat tædii norunt hi, quibus uſu venit in hoc pi-* *ſtrino*

* *In Ded. ad Archiep. Cantuarienſem.*

ſtrino verſatos eſſe. Et ſæpe cum his voluminibus erat res, quæ vel legere non mediocris eſſet negotii, quippe litterarum figuris, vel carie ſitúque obliteratis, vel tinearum, ac blattarum injuriâ, ſemiroſis ac mutilis; vel Gothorum ac Langobardorum more depictis, ut in formis etiam noſcitandis mihi fuerit repueraſcendum; ut ne commemorem interim quàm illud ipſum animadvertere, ac velut olfacere, ſi quid parum reſipiat germanam ac veram lectionem, hominis ſit, meâ ſententiâ, nec ineruditi, nec ſtupidi, nec oſcitantis. Atqui ſuper hæc longè difficillimum eſt aut ex variè depravatis, quid ab auctore poſitum fuerit, conjicere; aut ex qualibuſcumque figurarum fragmentis ac veſtigiis, primam divinare lectionem. Non fuit quidem tantus labor *Martianæo* exantlandus, qui poſt *Deſ. Eraſmum*, & *Marianum Victorium*, qui ſe jactat mille quingenta menda ab *Eraſmo* relicta præterea ſuſtuliſſe, *Hieronymo* manum admovit. Pleraque illi jam occuparant, ſed tamen, ut jam diximus, denuo conferenti Hieronymianas Editiones, cum aliis Codd. MSS. invenientíque varias lectiones, quarum illi non meminerant, judicandum

dum de iis fuit, aut etiam ab aliis notata ad examen iterum vocanda. Sed & edita ſunt quæ in aliis editionibus Hieronymianis deerant, qualia quæ in Tomo II. de Nominibus Hebraïcis Græcè & Latinè in lucem protracta. Quibus in rebus, frequenter ceſpitavit Benedictinus Monachus, ut ſuis locis oſtendemus.

Hîc tamen exemplum ſubjiciam, ex Præfatione in omnes Libros Veteris Teſtamenti, Libris Samuelis præfixa, ubi ita *Hieronymus*, ſub finem: *Sed & vos famulas Chriſti rogo, quæ Domini diſcumbentis pretioſiſſimâ fidei myrrhâ ungitis caput, quæ nequaquam Salvatorem quæritis in ſepulcro, quibus jam ad Patrem Chriſtus adſcendit, ut contra latrantes canes* &c. *orationum veſtrarum clypeos opponatis.* Quem in locum primùm animadverſiones criticas *Eraſmi*, tum etiam *Martianæi* expendam. Igitur ad hæc verba, *pretioſiſſima fidei myrrha*, ita habet celeberrimus ille Roterodamus Criticus: *Cùm exemplaria conſentirent, non auſus ſum immutare ſcripturam, tametſi ſenſus videbatur abſurdus; quando enim factum eſt ut aliquis inungeret hominis vivi caput myrrhâ?* Perſæpe, quod qui cupiet ſcire adeat Exod. xxx, 23.

Pſal. XLV, 9. Cant. v, 6. Eſth. II, 12. *Hieronymum* ad Principiam; *Plinii* Hiſt. Naturæ Lib. XIII. c. I. ejúſquè Interpretes & *Claudium Salmaſium* ad *Solinum*, pag. 499. Ed. Ultrajectinæ. *Sed quidam Codices*, ſubdit vir ſummus, *anſam dederunt divinandi id quod arbitror ab Hieronymo fuiſſe ſcriptum. In quodam enim legitur* myrrho. *Id cum nihil ſignificaret, alius vertit in* myrrha. *Unde nihil dubitandum eſt; quin Hieronymus ſcripſerit* myro, μύρῳ, *id eſt, unguento. Alluſit enim ad mulierem, quæ effudit alabaſtrum unguenti pretioſi in caput Domini diſcumbentis; & evangelicâ voce delectatus, maluit dicere* μύρῳ *quàm unguento.* At ſi attentè verba *Hieronymi* legamus, videbimus cum multò directiùs, ut ita dicam, reſpicere ad mulieres quæ *myrrham* tulerunt ad ſepulcrum Chriſti; quàm ad eam, aut eas quæ capiti ejus accumbentis unguentum adfuderunt. Perinde enim loquitur, ac ſi diceret: *nequaquam Salvatorem quæritis in ſepulcro*, quem mortuum myrrhâ ungatis, quemadmodum mulieres Evangelicæ fecerunt; ſed *myrrhâ* veſtrâ, ejus viventis *ungitis caput.* Sic & Epiſt. ad Principiam, allegoricè *myrrham* interpretatur, explicans enim

Pſalm. XLV. *Et iſtos*, inquit, *verſiculos ad te referam, cui volumen hoc ſcribitur. Mortificaſti membra tua ſuper terram, & quotidie Chriſto offers myrrham. Chriſti bonus odor es, & propterea ſtacten, id eſt, ſtillam, vel guttam exhibes Domino.* Igitur credibilius eſt *Hieronymum* ſcripſiſſe *myrrhâ*. Nihili eſt ratio, quæ ſubjicitur ab *Eraſmo*: *tum Græca vox aptior eſt; nam Latinis unguentis oblinuntur & ſcabioſi, ſed Græcis* μύρον *non dicitur, niſi fragrans & aromaticum.* An propterea non licebat *unguenti* nomine in bonam partem uti, aut ſemper fuit adhibenda vox Græca? Nemo dixerit qui vel ſolum *Hieronymum* legerit, qui hanc vocem non magis refugit, quàm optimi quique Scriptores, apud quos paſſim occurrit. Si legendum eſſet hîc *myro*, exiſtimarem potiùs ita loquutum *Hieronymum* ad imitationem *Hilarii*, qui ea voce utitur ad Pſalmum CXXXII. *num.* 4. Ed. Benedictinorum Pariſinæ.

Nunc audiamus Criticum Benedictinum, qui, diſſimulatâ *Eraſmi* animadverſione, non aliter loquitur, tametſi ſimilia habet, quàm ſi ille numquam in rerum natura fuiſſet.

In

In textum enim admiſsâ voce *myro*, *ſic legunt*, inquit, *omnes MSS. noſtri*, *niſi quòd plures pro* myro, *ſcribunt* myrro *cum duplici R.* Contrarium de pleriſque ſuis MSS. non contradicente *Victorio*, quamvis ei infenſiſſimo, teſtatus eſt *Eraſmus*, cùm tamen præferret *myro*; & permirum eſt conſenſum MSS. *Martianæi* opponi conſenſui Codicum *Eraſmi* & hîc & alibi non raro. Pergit Benedictinus, his verbis: Μύρον *autem Græcè unguentum dicitur*, μύῤῥα *verò herbam ſignificat.* Imò verò arborem, aut arbuſtum, cujus *altitudo ad quinque cubita*, pervenit, ut docet *Plinius* Hiſt. Nat. Lib. XII. c. 15. atque ex cujus cortice inciſo *à radice uſque ad ramos* fluit myrrha *ſtacte* propterea dicta. Meminit quidem idem *Plinius* Lib. XXXIV. c. 16. herbæ ſimilis cicutæ, quæ *myrrhis* aut *myrrha* dicebatur; ſed cujus nullus in unguentis uſus, cùm ſucci arbuſti cognominis frequentiſſimus eſſet. Ideóque abſurdè huc traheretur. At *Martianæus* argumentum addit ab *Eraſmo* deſumtum: *Neque verò caput Domini diſcumbentis unctum eſt* myrrha, *ſed* myro, id eſt, *unguento pretioſiſſimo mulieris peccatricis in Evangelica nar-*

ratione ad quam hic alludit S. Hieronymus. Verùm hoc jam confutavi, ne præterea dicam unguentum peccatricis quale fuerit non dici Luc. VII, 38. nec videri eamdem eſſe hiſtoriam, ac eam quæ exſtat Marc. XIV, 3. ubi mentio fit *nardi ſinceræ*; ac proinde voce μύρον poſſe intelligi myrrham, quæ ita κατ' ἐξοχὴν interdum vocatur, ut oſtendit *Claud. Salmaſius*, loco laudato; & à cujus nomine מור, *mor*, videtur factum ipſum nomen μύρν.

VIII. Ex hiſce proclive eſt colligere quàm multa deſint Monacho Benedictino, ad feliciter edendum *Hieronymum*, & quàm illo ingenii atque eruditionis dotibus ſuperior fuerit *Eraſmus*, quem tamen copiâ MSS. Codicum fortè ſuperat. Non attingam quæſtionem, quam moveri video à nonnullis popularibus & Symmyſtis *Martianæi*; an, nimirum, eâ, quâ par eſt, fide Codicum ſuorum lectiones producat. Mirum tamen eſt ſubinde lectiones proferri MSS. Codd. non *Eraſmi* tantùm, ſed etiam *Victorii* contrarias, atque Epiſcopum Reatinum non obſcurè malæ fidei inſimulari; qui ſe etiam priſcos Codices ſequutum ait, in Dedicatione Operum *Hie-*

Hieronymi. Quin & in notis in Ep. ad Marcellam, de aliquot locis Pſalmi CXXVI. cùm *Eraſmus* edidiſſet in ea Epiſtola ἐξηκονημένοι, cúmque *Victorius* diſertè notaſſet legendum ἠκονηθέντος νοῦ, & ſic habere OMNIA *manuſcripta* exemplaria; *ſi viveret*, inquit Martianæus, *noſtro tempore Marianus*, *andacter eum provocarem*, *ad MSS. Exemplaria Hieronymi*, NULLUM *eſſe ſciens*, *in quo* ἠκονηθέντος νοῦ *legatur.*

IX. De *Mariano* ipſo *Victorio* nihil eſt quod dicam, niſi, cùm eſſet per omnia *Eraſmo* inferior, laboribúſque ejus ſit uſus, debuiſſe eum erga virum ſummum gratiori animo eſſe, cui pro gratiarum actionibus convicia reponit. Verùm quia *Eraſmus* paſſim multa habet, quæ minùs placent Theologis, qui ſe ἀναμαρτήτους credi volunt, ideóque lectio ejus Operum vetita eſt *donec expurgentur*, in Indicibus Romanis & Hiſpanicis; ideò, ſcilicet, fuit malè habendus à *Victorio*, qui non quærebat quid verum eſſet, ſed quid verum videri expediret iis, qui ex Chriſtianorum erroribus lucrum captant. Attamen bene eſt, quòd *Martianæus* paſſim *Victorium*, pro merito, caſtigarit. Gratias

tias ei propterea habebunt omnes, quibus *Eraſmi* ſingulare ingenium, atque admirabilis induſtria ſemper placuerunt, inter quos nomen noſtrum libenter profitemur.

QUÆSTIO II.

Quanta ORIGENI *fuerit peritia Linguæ Hebraïcæ.*

I. SECUNDA noſtra Quæſtio fuiſſet de *Hieronymi* eruditione, niſi conſultum duxiſſemus expendere priùs vulgarem ſententiam de eruditione *Origenis*; quia non modò ejus labore uſus eſt *Hieronymus*, ſed & ſummoperè hominem extulit ac paſſim deprædicavit; antequàm ejus diſcipulis infenſus fieret. Itaque ſi conſtare nobis queat, exiguam fuiſſe *Origeni* Linguæ Hebraïcæ peritiam; non modò colligemus perperam, aut certè nimiùm laudatum fuiſſe ab *Hieronymo*, aliiſque Veteribus, nec ſemper credendum ejuſmodi laudibus; ſed præterea ſuſpicabimur hinc *Hieronymum* ipſum non magiſque adeò fuiſſe ejus Linguæ peritum, qui tantopere laudare ſuſti-

ſuſtineret peritiam hominis infra mediocritatem, ea in re, poſitam. Prius maximi eſt momenti, ne laudibus & judiciis Veterum fallamur, quod à multis ſæculis contingit ferè hominibus incautis; poſterius verò nobis viam ſternet, ad certius judicium de eruditione Hieronymiana ferendum.

II. EUSEBIUS Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Lib. VI. caput 16. ubi docet quantum ſtudium *Origenes* in divinis Scripturis collocarit; ita orditur: τοσαύτη δὲ εἰσήγετο τῷ Ὠριγένει τῶν θείων λόγων ἀπηκριβωμένη ἐξέτασις, ὡς καὶ τὴν Ἑβραΐδα γλῶτταν ἐκμαθεῖν· τάς τε παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις ἐμφερομένας πρωτοτύπους αὐτοῖς Ἑβραίων στοιχείοις γραφὰς κτῆμα ἴδιον ποιήσασθαι: *Tantum & tam accuratum examen divinorum ſermonum ſubiit Origenis animum, ut & linguam Hebraicam didicerit, & Scripturas, quæ circumferuntur apud Judæos, ipſis Hebræorum prototypis litteris ſcriptas poſſeſſionem ſuam fecerit.* Poſtea pluribus deſcribit Hexapla, in quibus, ut cetera omittam, erant columellæ, quæ Hebraïcum contextum litteris Hebraïcis, eumdémque Græcis expreſſum litteris continebant; qua de re vide & *Epiphanium* in LXIV. Hæreſi, ſeu

ſeu Origeniana, *num.* IV. Quicumque id opus viderant, aut etiam ejus deſcriptiones legerant, non dubitabant quin Hebraïcè doctus fuiſſet *Origenes*; quod tantum opus feliciter abſolvi potuiſſe non videretur, niſi ab Hebraïcæ Linguæ ſciente.

III. HIERONYMUS, qui ejus Hexapla ſibi comparaverat, hanc eamdem famam ſequutus eſt. Verba ejus è *Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſubjiciam: *Quantæ autem gloriæ fuerit hinc apparet - - Quòd tantum in Scripturis divinis habuerit ſtudii, ut etiam Hebræam Linguam, contra ætatis gentiſque ſuæ naturam, ediſceret*, &c. Idem Epiſtolâ ad Paulam ſuper obitu Bleſillæ; *Jam verò*, inquit, *quod in* ORIGENE *quoque* ILLO GRÆCIA TOTA MIRATUR, *in paucis, non dicam menſibus, ſed diebus, ita Hebrææ Linguæ vicerat difficultates, ut in diſcendis canendiſque Pſalmis, cum matre contenderet. Origeni*, quaſi Hebraïcæ Linguæ perito, tribuebatur explicatio Nominum Hebraïcorum Novi Teſtamenti. *Hieronymus* Præfationem in Lib. de Interpretatione Nominum Hebraïcorum, hiſce verbis, claudit: *Ac ne fortè conſummato ædificio, quaſi extrema deeſſet ma-*

manus, Novi Teſtamenti verba & nomina interpretatus ſum, imitari volens ex parte Origenem, quem poſt Apoſtolos Eccleſiarum magiſtrum nemo niſi imperitus negabit. Inter cetera enim ingenii ſui præclara monumenta, etiam in hoc laboravit, ut quod Philo, quaſi Judæus, omiſerat, hic ut Chriſtianus impleret. Hoc ipſum Lexicon, aut ei non abſimile ex Codice MS. Regio edidit *Martianæus* Tomi II. pag. 182. & ſeqq. Addam præterea noviſſima verba alterius præfationis *Hieronymi*, in Quæſtiones Hebraïcas, quaſi cumulum Origenianarum laudum: *De Adamantio autem*, inquit, *ſileo; cujus nomen (ſi parva licet componere magnis) meo nomine invidioſius eſt; qui cùm in homiliis ſuis quas ad vulgum loquitur, communem editionem ſequatur; in tomis, id eſt, in diſputatione majori, Hebraicâ veritate * ſuperatus eſt, & ſuorum circumdatus agminibus interdum linguæ peregrinæ quærit auxilia. Hoc unum dico, quòd vellem, cum invidia nominis ejus, habere etiam ſcientiam Scripturarum; flocci pendens imagines, umbráſque larvarum, quarum natura eſſe dicitur terrere*

* Cùm ſic habeant MSS. non video cur legamus *ſtipatus*, quod hîc ſenſu caret.

rere parvulos, & *in angulis garrire tenebroſis*. Vix potuit exquiſitiùs laudari *Origenis* ſcientia, in interpretatione Scripturæ, quæ niſi conjungatur cum Hebraïcæ Linguæ peritia, non magna fuit; cùm ceteroqui fermè tota in philoſophicis ratiocinationibus, aut allegoriis ſita fuerit.

IV. At quid fiet iis laudibus, ſi indubitatis indiciis oſtenderimus *Origenem* ita loqui, quaſi Hebraïcos characteres legere neſciviſſet? Dicendum erit, nimirum, bonum virum in conficiendis Hexaplis, vertendiſque nominibus Hebraïcis, Judæi cujuſpiam operâ uſum fuiſſe, ejúſque gentis homines interdum conſuluiſſe, dein edidiſſe quæ ab iis accepiſſet; ita ut imperitis Græculis primùm, deinceps etiam peritiori *Hieronymo*, ſed non ſatis attento, fucum feciſſe videatur. Quod cùm ita ſit, vehementer vereor ut ipſe *Hieronymus* prorſus evadat, néve ſimilis fallaciæ, apud Latinos Græcis rudiores, reus habeatur; quod erit ſequentium Quæſtionum argumentum. Ne quis autem ita me ſolum de *Origene* ſuſpicari putet, proferam verba doctiſſimi viri *Pet. Danielis Huëtii*, ignorantiæ hominem apertè inſimulantis & reum peragentis;

quem

quem Reverendiſſ. Præſulis locûm particulatim expendam, & pluribus confirmabo.

V. SIC ergo loquitur, Origenianorûm Lib. II. C. I. §. 2. „ Quod ſi „ plus ſe ſe in Hebraïcis exercuiſſet, „ majorémque Linguæ hujus fuiſſet „ peritiam conſequutus, nihil ei ad „ perfectam ſacræ Legis cognitionem „ defuiſſet; ſed tantùm decerpſit ex ea „ gloria, quantùm ex loquelæ hujus „ ſtudio detraxit. Cùm adſentiar eruditiſſimo viro, in eo quod habet de neceſſitate cognitionis Linguæ Hebraïcæ, ad conſequendam abſoluti Sacrarum litterarum Interpretis laudem; fateor me ab eo in ceteris diſſentire, qui exiſtimo allegoricum interpretandi genus, plenum alienis digreſſionibus, refertum paralogiſmis, ac inquinatum deliriis Philoſophorum, totum abjiciendum *Origeni* fuiſſe; antequàm juſtas ullas laudes conſequeretur; deinde aliam planè viam ei fuiſſe ineundam. Qua in re, præſtantiſſimos quoſque Interpretes recentiores mecum ſentire ſciunt qui eos vel obiter verſarunt; nam contrariam planè rationem inſtiterunt. Hæc tantùm habuit *Origenes*, quæ ei ſubſidio eſſe potuiſſent, in interpre-

C tatione

tatione Scripturæ, ſi modò iis uſus eſſet; quòd eam multùm legiſſet, quòd facultatem ſcribendi adeptus eſſet, & quòd Veteres Interpretes conſulere poſſet. Cetera omnia, niſi velimus verum diſſimulare, ei defuerunt. Quamobrem mirarer *Hieronymum* tantam ei ſcientiam Scripturarum tribuere, niſi *Hieronymus* ipſe, vitio temporum, tranſverſus actus fuiſſet. Profectò nemo hodie, vel mediocriter eruditus, in lucem publicam proferre vellet, quæ *Hieronymus* uſque adeò mirabatur; nec effugeret ſummum dedecus, omniúmque ludibrium, ſi quid tale moliretur. Ito nunc, & crede judicio ac laudibus Veterum, aut Recentioribus qui eas minimè expenſas repetunt, ut ſolet Echo humanæ vocis ſonitum.

VI. „ Dicam enim verè, ſubjicit „*Huëtius*, vel Hebraïſmi parum „ſcientes ſunt, vel in lectione Ori„genianorum Operum perfunctoriè „verſati, qui eximium quid ipſi, vel „in Sanctæ Linguæ, vel in earum, „quæ ex hoc fonte profectæ ſunt, „dialectorum peritia, tribuerunt. Nec „opinioni noſtræ contradicit *Hiero*„*nymus*, etſi videtur contradicere, „cùm ait ſingularem loquelæ hujus no-

„notitiam demiratam in eo fuiſſe to-
„tam Græciam. Mirum id quippe
„videri potuit Græcis Hebraïſmi ru-
„dibus & imperitis, nec quantùm in
„eo profeciſſet *Origenes* exiſtimare
„ſcientibus. At laudes, quas *Hieronymus* in *Origenem* congerit, cùm
nuſquam ejus imperitiæ meminerit,
non patiuntur nos dubitare, quin de
Origene æquè magnificè ſenſerit, ac
Græci. Certè obtrectator acerrimus
Origenis, & vehementiſſimus adverſarius Origeniſtarum factus, non
omiſiſſet dicere fruſtrà peritiam Hebraïcæ Linguæ tribui *Origeni*; cùm
ad eum, ejúſque diſcipulos in contemtum adducendos nihil omiſerit,
ut liquet ex ejus Scriptis contra *Ruffinum*.

VII. HÆC verò ſequuntur, apud
Huëtium. „ Minimè verò ipſe hujus
„Linguæ ignorantiam diſſimulat Ho-
„mil. XIV. in Numeros: *Aiunt ergo*,
„inquit, *qui Hebraïcas litteras legunt*,
„*in hoc loco*, *Deus*, *non ſub ſigno te-*
„*tragrammati eſſe poſitum*; DE QUO
„QUI POTEST REQUIRAT. Ne quis
verò Interpretis Latini hoc eſſe adſumentum putet, en locum ex Lib. I.
contra Celſum pag. 27. Ed. Cantabrigienſis. Poſtquàm protulit vatici-

nium, de Virginis conceptione & partu, quod legitur Eſaïæ C. VII. ac nonnulla de Celſo ſubjecit, ita porrò pergit: Ἐὰν δὲ Ἰουδαῖος ἐυρεσιλογῶν τὸ, ἰδοὺ ἡ παρθένος, μὴ γεγράφθαι λέγει, ἀλλ᾽ ἀντ᾽ αὐτοῦ, ἰδοὺ ἡ νεᾶνις· φήσομεν πρὸς αὐτὸν, ὅτι ἡ μὲν λέξις ἡ Ἀαλμὰ, ἣν οἱ Ἑβδομήκοντα μετειλήφασι πρὸς τὴν παρθένον, ἄλλοι δὲ εἰς τὴν νεᾶνιν, κεῖται, ΩΣ ΦΑΣΙ, καὶ ἐν τῷ Δευτερονομίῳ, ἐπὶ παρθένου: *Quod ſi Judæus contentioſus neget ſcriptum*, ecce virgo, *ſed*, ecce puella; *dicemus ei vocem* Haalma, *quam* LXX. *Interpretes verterunt* virginem, *alii verò* puellam, *exſtare*, UT AIUNT, *etiam in Deuteronomio ſignificatu virginis.* Hæc verba ſunt hominis Hebraïca legere neſcientis; nam qui potuiſſet legere Hexaplorum textum Hebraïcum, ex aliena fide nequaquam pependiſſet, in re gravi, propter calumnias Judæorum.

VIII. DIXERIT verò hîc fortè aliquis nos non tantùm ex *Hieronymo* ſcire ab *Origene* peregrinæ Linguæ quæſita auxilia, ſed re verâ legere Hebraïca verba ab eo allata Tom. XVI. Commentariorum in Matthæum, pagg. 438. & 439. Ed. Huëtianæ, ex Pſalmo CXVIII, 25, 26. Verùm hæc verba ex ſuis Hexaplis deſumſit

ſumſit & quidem ex columella Græcis litteris Hebraïca exprimente, quæ an accuratè Hebraïcis reſponderet neſciebat, niſi ex fide ejus à quo deſcripta fuerat. Alioqui numquam, in re ejuſmodi, ex aliena fide, ut vidimus, pendere maluiſſet; ſed quid in Hebraïco textu legatur, ſine circuïtione, dixiſſet. Nec videtur intellexiſſe quid vellent ſingula Hebraïca verba, niſi ex verſione *Aquilæ*, quam illico ſubjicit: εἰ δὲ τὸ ἀκριβὲς βούλει μαθεῖν τῆς λέξεως, ἄκουε Ἀκύλου ἑρμηνεύσαντος· ὧδί· ὦ δὴ κύριε, σῶσον δὴ, ὦ δὴ κύριε, εὐώδωσον δή· εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίου. *Si verò accuratè cupis loquutionem intelligere, audi Aquilam, qui interpretatus eſt ſic: ô, quæſo, Domine, ſerva, quæſo; ô Domine, ſecunda, quæſo. Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hæc oſtendere videntur omnem eruditionem Hebraïcam Origenis, ſitam fuiſſe in collatione *Aquilæ*, cum Hebraïcis verbis Græcis litteris deſcriptis, & in iis quæ audiverat à Judæis.

IX. ANALOGIAM & Grammaticam Linguæ Hebraïcæ planè ignoravit, ac verba affinis ſoni, quamvis aliter ſcripta, miſcuit, ut nos docet vir doctiſſimus ſequentibus verbis;

 „Multa

„Multa in Obſervationibus noſtris „animadvertimus, quæ inſcitiam „ejus in Hebraïcis demonſtrant; cu„juſmodi eſt frivola illa diſtinctio „*οὐρανὸν* inter & *οὐρανοὺς*, quam com„miniſcitur ad Matth. XVIII, 18. & ad „quam Chriſtum reſpexiſſe tradit; „quaſi hanc diſtinctionem ferat Sy„riaca dialectus, quam Chriſtus uſur„pabat; cujuſmodi eſt falſa illa no„minis *Aſer* interpretatio, quæ habe„tur in Comment. ad Matth. XVIII, „19. quaſi derivati à יסר *erudiit*, *li„gavit*, cùm fiat ab אסר *ligavit.* „Quamquam auctoritate ſenum „LXX. excuſari id poteſt, qui אסר „aliquando ita reddiderunt, quaſi „idem eſſet ac יסר. Subjiciuntur deinde exempla ex Pſalm. CV, 22. & Oſ. x. 10. At mihi credibile fit eam interpretationem nominis *Aſſir* natam non eſſe ex comparatione LXX. Intt. cum Hebræo Codice, ſed ex interrogatione Judæo propoſita; qui aut malè pronunciatam vocem aut Græcis characteribus ſcriptam ad radicem יסר retulit, & *παιδείαν* interpretatus eſt, quaſi eſſet prima Futuri Kal אסר *eſer*, erudiam. Talia multa peccata occurrunt in Libris de Nominibus, editis initio Tomi II. *Hiero-*

nymi

nymi à *Martianæo*, ex dubia aut prava pronunciatione, vel ſcriptione Græcanica Nominum propriorum orta; non ex nominibus Hebraïcè ſcriptis, ſed perperam intellectis. Quod poſtea demonſtrabimus.

X. HÆC apud *Huëtium* ſequuntur: „cujuſmodi eſt depravata * illa „lectio loci LXX. Interpretum 2 Eſd. „I, 11. Εὐνοῦχος τῷ βασιλεῖ. Quod ſi „in Hebraïcis utcumque fuiſſet ver- „ſatus, quæ habent משקה למלך, „emendaſſet utique in τοῖς ό: οἰνόχος „τῷ βασιλεῖ, ſi modò hunc ipſe erro- „rem non invexit, qui certè in LXX. „Interpretum exemplaribus nuſpiam „exſtat; cujuſmodi eſt inepta illa „expoſitio vocabuli *Johannes*, quod „formari exiſtimavit à nomine יהוה „Jehova præfixo & חנן, cùm ex ſolo „חנן præfixis ſervilibus litteris deriva- „tum ſit. Attamen ſi ſcribamus יהוחנן *jehobhanan*, aut ejus compendiariam ſcriptionem eſſe putemus יוחנן *jobhanan*, inepta etymologia haberi non poſſet; cùm conſtet multis nominibus propriis ab initio & à fine additum nomen יהוה. Verè tamen ineptit *Origenes*, oſtendítque ſe planè imperitum Linguæ Hebraïcæ

 in

* *Orig. in Matth.* XIX, 12.

in iis quæ tradit de nomine *Joannes* Tom. V. in Joannem, pag. 79. Ed. Huëtianæ. Hæc enim ſunt ejus verba: Εὔρομεν τοίνυν ἐν τῇ ἑρμηνείᾳ τῶν ὀνομάτων, ἰωάννης, τὸ [a] Ἰωὰν, χωρὶς τοῦ [b] νῆς, μεταλαμβανόμενον· ὅπερ τὸ αὐτὸν οἰόμεθα εἶναι τῷ ἰωάννης· ἐπεὶ καὶ ἄλλα ἡ καινὴ διαθήκη ἑβραίων ὀνόματα ἐξελλήνισε χαρακτῆρι αὐτὰ εἰποῦσα ἑλληνικῷ, ὥσπερ ἐπὶ Ἰακὼβ, Ἰάκωβον, καὶ ἐπὶ Συμεὼν, Σιμών: *invenimus ergo in interpretatione nominum* Joannes *mutatum*, *nempe*, Joan, *ſine* nes; *quandoquidem Novum Teſtamentum & alia Hebræorum nomina Græca fecit, iis formâ Græcâ prolatis*; *velut pro* Jacob, Iacobos, *pro* Symeon, Simon. Poſtea nomen interpretatur ἀπὸ θεοῦ χάρις, *à Deo gratia.* Verùm dicendum fuit in Libro Nominum inveniri *Joanan*, quod eſt etiamnum in eo Libro, non *Joan*, & pro *Joanannes*, vel *Jehobhanannes* dictum κατὰ συγκοπὴν *Joannes*. Præterea *Symeon* non magis eſt Hebraïcum, quàm *Simon*; notiſſimum enim eſt nomen שמעון *ſchimhon*, quod inditum fuit filio Jacobi. Potiùs eſt corruptio Græca nominis Hebraïci; quamvis neminem fugiat *Simon* Atticum eſſe nomen.

XI.

a *Sic lego non* ἰωὰ. b *Sic lego pro* ἧς.

XI. CETEROQUI veriſſima ſunt quæ poſtea habet *Huëtius*: „plerumque itidem peccat in perſcrutandis „Nominum Hebraïcorum originibus. Proclive id, nempe, fuit viro „ad mutuatitiam lucem veſtigia ſua „in locis ignotis regenti. Præſtabat „autem lucem Judæus *Philo*, qui „Hebraïca Veteris Teſtamenti nomina fuerat interpretatus; cui libro „parem ſubjunxit *Origenes*, Hebraïcorum Novi Teſtamenti expoſitionem complexum. Quî verò non „offendiſſet *Origenes Philonem* ſequens „ducem, qui, Judæus licèt, Judæis „prognatus, ne mediocri quidem „litterarum Hebraïcarum aurâ, uti „neque Helleniſtæ ferè reliqui, fuerat „afflatus? Ea de causâ, perſuaſum mihi eſt librum *Philonis* de Nominibus, ſi ab eo editus ſit, ex ore Judæi alicujus ineptas etymologias dictantis, & fucum Hebraïſmi ignaro facientis, exceptum. Scatet enim abſurdis Etymologiis ipſe *Philo*, atque ex iis putidas allegorias paſſim deducit. Quin & vocem *Æthiopia*, quæ manifeſtò eſt Græcæ originis, quaſi Hebraïcam interpretatur, & quidem ταπείνωσιν, cum quo ſignificatu nihil affine habet Hebraïcis characteribus

ſcripta אִיחִיפִּיא. Collegit Etymologias Philonianas *Martianæus*, initio ſecundi voluminis. Crediderim etiam *Origenem*, non meliore uſum magiſtro, edidiſſe Etymologias Novi Teſtamenti, prout eas accipiebat; útque *Philonis* ridiculam diligentiam imitaretur, voces Græcas & Latinas ex Hebraïca Lingua voluit ſibi explicari; ſicut quando Κολοσαεῖς, nomen Coloſſenſium, vertit φωνῆς γενομένης & κολωνία, *colonia* ἀποκεκαλυμμένη, quaſi prius eſſet ab Hebraïcis קוֹל לעשׂוּי kol lahaſouï, *vox facti*: poſterius à גלויה *gelouja*, retecta. Talia multa ſunt, quæ quam ſint abſurda nemo non videt, & olim etiam ab *Hieronymo* ipſo ſunt exploſa.

XII. Possemus ingentem numerum ridicularum Etymologiarum proferre, ac præſertim caſtigare & *Philonem*, & ejus ſimiam *Origenem*, quòd in Etymologiis illis, quarum ex Scriptura conſtat ratio, non adquieſcant; ſed alias abſurdas & Analogiæ contrarias inveſtigent, quod videre licet in nominibus, *Adam*, *Abraham*, *Babylon* &c. In Scripturæ, Grammaticæque auctoritatem ſimul delinquere non potuerunt, ſine maxima judicii & eruditionis Hebraïcæ penuria. Verùm

rùm hæc delicta tam manifeſta támque frequentia ſunt, in iis Etymologiis, ut res probatione non indigeat. Quamobrem inutili labore ſuperſedentes ex iis quæ hactenus expoſuimus colligemus *Origeni*, quem vulgò Græci credebant Hebraïcè fuiſſe doctum, quémque tantis laudibus extulit *Hieronymus*, vix elementa ejus Linguæ fuiſſe nota.

QUÆSTIO III.

Quanta fuerit Græcæ Linguæ cognitione præditus HIERONYMUS.

I. QUISQUIS audiverit quàm multa ſint ab *Hieronymo* ex Græca Lingua in Latinam converſa; vel librorum illorum inſcriptiones, in Catalogo ejus Operum, dumtaxat legerit; vel animadverterit quàm cupidè ab eo * *Auguſtinus*, Hipponenſis Epiſcopus, poſtulaverit *ut interpretandis eorum libris, qui Græcè Scripturás noſtras quàm optimè tractaverant, curam atque operam impendere ne gravaretur*; facilè exiſtimabit hominem Græ-

* *Ep. XXVIII. Ed. Pariſ.*

Græcæ Linguæ fuiſſe peritiſſimum, cùm præſertim ea Lingua, non per Græciam modò, ſed per Aſiam ac Ægyptum etiamnum floreret. Attamen, non dubiis argumentis, deprehenderunt viri docti *Hieronymum* perquàm modicè in ea exercitatum fuiſſe, quando cum Græcis Archetypis tranſlationes ejus accuratiùs conferre cœperunt. Quod non dixerim, quaſi aut *Hieronymo* Græcæ Linguæ ignorantiam exprobrare velim, aut illo peritiorem me venditare; ſed cùm ut veritatem, qualem eam certò comperi, ut bonum virum decet, proloquar: tum etiam ne quis, dum nimiam ei peritiam tribuit, in errorem unà cum illo incidat; néve, dum famâ viri deterretur, nihil ultra ſibi inquirendum putet atque in ejus hallucinationibus ſecurè adquieſcat. Ad quæ hoc accedit, quòd multos videam ſtudio, ut præ ſe ferunt, Antiquitatis, quam non ſatis norunt, Recentiorum ingeniis ac laboribus ita detrahere; quaſi univerſam eorum induſtriam in inquirenda mente Patrum, non in inveſtiganda ulteriùs Veritate, ſitam eſſe oporteret. Si quid enim in Veteribus reprehendas, haud ſecus excandeſcunt ac ſi te Veritati
ipſi

ipſi adverſari velle profitereris; tum etiam conatus Recentiorum ita deprimunt, quaſi nullâ ratione cum Veterum ſcriptis æquari poſſent. Denique ſic ſe gerunt erga nos, ubi agitur de interpretatione Scripturæ, ut Peripatetici adversùs hodiernos Philoſophos, in quæſtionibus Phyſicis aut Metaphyſicis. Volunt hi inquiri in mentem *Ariſtotelis*, non in rerum naturam, quòd putent nihil ampliùs, præter id quod docuit, poſſe inveniri, nec Stagiritam Philoſophum ulla in re hallucinatum. Sic qui Antiquitatis patroni videri volunt, ubi ſermo eſt de ſenſu Hebraïcorum Codicum, nobis unum *Hieronymum* oggerunt intelligendum & approbandum, non denuò expendendum. Scio quidem eos interdum rem inficiari, quia nimis eſt abſurda; ſed ut ſcias num verum dicam, incipito vel manifeſtiſſimum delictum ejus arguere, continuò videbis homines omnem lapidem movere ut rem dubiam reddant; nec parvo affectu in te invehi, quaſi in temerarium ac profanum. Novit *Joannes Martianæus* virum, qui bonos, & Sacrarum Litterarum ſtudioſos homines inclementiſſimè propterea excepit; & quinam ſit vir ille facilè

lè intelligent qui quæ, ad illuſtrationem *Hieronymi*, congeſſit legent.

II. HORUM ego hominum cauſam cùm tueri aggredior, videor mihi, non meam, aut aliorum, qui nominatim laceſſiti ſunt, quòd *Hieronymum* erraſſe aliquando dixerint; ſed non exiguæ, nec ſpernendæ partis humani generis cauſam dicere. Aguntur enim hîc jura naturæ humanæ, agitur communis totius Reipublicæ Litterariæ libertas; quæ violantur atque opprimuntur ab iis, qui ab aliquot ſæculis contendunt à Litterarum ſtudioſis nullo modo poſſe in dubium revocari quod ſanxerunt conſenſus & auctoritas priorum ætatum, in rebus etiam quæ iis notiores non erant, quàm nobis, quæcumque à Recentioribus proferantur rationes; ſed conſentientem Vetuſtatem tantæ venerationi eſſe oportere, ut omnia ejus placita, ſine examine, admittantur. Quid enim aliud eſt, in Republica Litteraria, ſervum eſſe natum, quàm ſi ex aliorum judicio ita noſtrum pendeat, ut ab illorum ſententia, quæcumque ſit, numquam abire liceat, ſitque noſtræ ipſorum Rationi non credamus, ſed tantùm alienæ? Imò verò hæc deterior multò eſt ſervitus, quàm

quàm quæ ita vulgò dici ſolet. Servitus enim quæ ad corpus pertinet, ad animum non pertingit; hæc verò ſervitus eſt animi, eò fœdior, quò animus præſtantior eſt corpore & naturâ ſuâ liberior. Illa hominum corpora hominibus ſubjicit, Rationem intactam relinquit; hæc verò Rationem mancipat alienis decretis, aut potiùs exſtinguit. Nihil verius dicto ſervi ita*Herum, apud *Philemonem*, alloquentis:

> Κἂν δοῦλος ᾖ τις, οὐδὲν ἧττον, δέσποτα,
> Ἄνθρωπος οὗτός ἐστιν, ἂν ἄνθρωπος ᾖ.

Quamvis ſit aliquis ſervus, nihilominus, here, homo hic eſt, ſi modò ſit homo. At qui Rationem ſuam in ſervitutem vendit, is homo eſſe deſinit. Valeant ergo importuni animorum mangones, qui vellent nos ne inſtar quidem hominum vendere, ſed inſtar pecudum Ratione deſtitutarum. Laudaverint Veteres quod ipſis laudabile viſum eſt, ſed nihil extollere cogamur, niſi quatenus nobis laude dignum videbitur. Mirati fuerint quod mirabile credebant, ſed ne miremur

* *Joan. Stobæi Floril. C. LXII.*

remur hodie id quod, poſt maturum examen, mirabile non putamus.

Attamen, ut verum profitear, numquam fortaſſe aggreſſus eſſem hodiernorum Criticorum judicia Hieronymianis contraria ſingulari opere tueri; tacitus paſſus eſſem, vi Veritatis tandem erupturæ, & tenebras omnes luce ſuâ diſcuſſuræ fretus, *Hieronymi* admiratores, aut patronos affectui ſuo indulgere; niſi animadvertiſſem eam laudationem præterea conjunctam eſſe cum tribus graviſſimis incommodis, nec in Republica Litteraria, ab iis, qui incolumem ac florentem eſſe cupiunt, ferendis. Etenim non tantùm, præter omnem modum, laudant *Hieronymum*, ſed etiam nominatim eruditiſſimos quoſque viros, qui nonnullos ejus errores meritò notarunt, quàm maximè poſſunt infamant; quaſi piaculum eſſet in delicta ejus animadvertere, nec quiſquam eruditionis famam tueri poſſet, qui illum vel minimùm attigiſſet. Quo facto iniquius nullum, in libera Republica, fingi poteſt. Præterea videbam, hac ratione, Sacrarum Litterarum cognitionis augmentum planè ſufflaminari; cùm nemo auſu-

rus

rus eſſet meliora Hieronymianis proferre, niſi vellet ſe ſe iræ ac conviciis malè feriatorum hominum objicere. Multi autem ſunt viri eruditi, qui otii & quietis amore malunt tacere quàm, dum conantur omnibus prodeſſe, ab iniquis hominibus exagitari. Poſtremò, non poteram ferre non tantùm homines ipſos à Libitina conſecrari, doctóſque haberi dumtaxat quia olim vixere; ſed etiam manifeſtos eorum errores, quaſi pulcherrima dogmata atque inventa nobis, fruſtra intercedente rectâ Ratione, imponi. Hiſce cauſis, gravibus & neceſſariis, adductus ſum ad defendendam Veritatem; de qua alioqui dixiſſem, quod ſummus Orator, de bona cauſa: * *res ſe ipſa defendat.* Propterea etiam liberiore oratione uſus ſum, quia videbam nullius hodiernorum Criticorum famæ parci, bellum omnibus indici, & aſperrima quæque in eos dicta maximè probari. Impar autem planè erat futurum certamen, ſi cùm laudatores *Hieronymi* omnibus conviciorum machinis, venenatiſque cæcæ invidiæ telis, nos aggrederentur, nobis numquam liberam vocem emittere liceret in tyrannicum

D illud

* *Cicero pro A. Cluentio.*

illud jugum, quod liberis ingeniis homines ſervituti nati imponere conantur. Quaſi rei, qui ſibi pravi facinoris conſcii fuiſſent, & miſericordiam judicum blandâ ac demiſſâ oratione flectere nituntur, dum adverſarii ferociter iis inſultant, non fuere illi defendendi, quorum longè optima ac certiſſima eſt cauſa. Non æquum erat quaſi obnoxios loqui, nec audere veris nominibus res appellare eos qui re ipsâ multò ſuperiores ſunt; contrà verò homines, quorum inferior manifeſtò eſt cauſa, res bonas falſis ac invidioſis nominibus audacter & impunè infamare. Igitur qui dixerunt quæ par non erat dici, audiant etiam aliquando quæ nollent audire, & pari jure homines, apud hominum tribunal, habeantur.

III. Hæc cùm ſint uſque adeò æqua, ut, ſine intoleranda tyrannide, negari nemini poſſint; non verebor dicere, quemadmodum laudes ab *Hieronymo* in *Origenem* congeſtæ non fecerunt ut *Origenem* admirarer: ita nec me *Hieronymi* eruditionem, quamquam à multis decantatam, tantam fuiſſe putare, ut nobis etiamnum hodie, collata cum præſtantiſſimorum è Recentioribus doctrina, admirationi eſſe

eſſe poſſet. Utamur ejus Scriptis, gratiáſque ei habeamus, ut ſolemus quibuſvis aliis, cùm Legibus rectæ Rationis & Criticæ conſentanea nos docet; at ne ea miremur, quæ indulgentia noſtra indigent, néve temerè credamus homini affirmanti quod minimè probat.

IV. IN Epiſtola ad Pammachium & Oceanum, de erroribus *Origenis*, ita loquitur de ſua Tranſlatione libri *Origenis* de Principiis: *Quid autem laboris in libris transferendis* περὶ ἀρχῶν *ſuſtinuerim, veſtro judicio derelinquo, dum & mutare quapiam de Græco non eſt vertentis, ſed evertentis; & eadem ad verbum exprimere, nequaquam ejus qui ſervare velit eloquii venuſtatem.* Nihil eſt verius; media tenenda via, inter duo hæc extrema. At eam minimè tenuit *Hieronymus*, in variis locis Librorum quos de Græco vertit, quia ſæpe non ſatis adſequebatur quæ transferebat. Exprobrabat peracerbè *Ruffino* cum *tantam habuiſſe Græci, Latiníque ſermonis ſcientiam, ut & Græci eum Latinum, & Latini eum Græcum putarent.* At ipſe profectò, ſi verum amamus, non potuit haberi Græcus, niſi apud Latinos. Exemplum inſigne ejus rei habemus, in

ejus tranſlatione *Chronici Euſebiani*, quod reverâ *evertit*, multis in locis, ut dudum obſervavit vir ſummus *Joſephus Scaliger*, in Animadverſionibus ad id opus *Euſebii* ab *Hieronymo* verſum. Nec ulla rei ratio reddi poteſt, niſi quia Græca non ſatis adſequebatur, quamvis minimè obſcura.

V. Ne inquirenda ſint, néve ab iis qui non quærerent incredibilia videantur quæ ſunt nobis dicenda, nonnulla hîc ſubjiciemus exempla, nam omnia colligere longum eſſet; ſed ea ſeligemus, ex quibus manifeſtò liquebit non eſſe temerè fidendum *Hieronymo* Græca vertenti. *Sanè*, inquit *Scaliger*, *ſi quis hodie ita*, *ut fecit* Hieronymus, *Græca verteret*, *non dico ab alienis*, *ſed ut Actæon*, *à ſuis canibus mordicus diſcerperetur*. Nos particulatim proferemus aliquot periodos Prooemii Euſebiani in Chronicum Canonem, ſubjectâ verſione *Scaligeri*, deinde *Hieronymi*, ut poſ-ſint inter ſe conferri: Μωϋσέα γένος Ἑβραῖον, προφητῶν ἁπάντων πρῶτον ἀμφὶ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν, λέγω δὲ τοῦ Χριστοῦ, ἀμφίσει τῆς τῶν ἐθνῶν δι' αὐτοῦ θεωγνωσίας χρησμοὺς καὶ λόγια θεῖα γραφῇ παραδεδωκότα τοῖς χρόνοις ἀκμᾶσαι κατὰ Ἴναχον εἰρήκασιν

ἄν-

ἄνδρες ἐν παιδεύσει γνώριμοι, Κλήμης, Ἀφρικανὸς, Τατιανὸς, τοῦ καθ' ἡμᾶς λόγου, τῆς τε ἐκ περιτομῆς Ἰώσηππος καὶ Ἰοῦστος ἰδίως ἕκαστος τὴν ἀπόδειξιν ἐκ παλαιᾶς ὑποσχόντες ἱστορίας. Hoc eſt, interprete Scaligero: *Moſem genere Hebræum, qui prophetarum omnium primus de Salvatore noſtro, de Chriſto, inquam, & de ea quam Gentes per eum adeptæ ſunt Dei cognitione, vaticinia & oracula divino ſcripto tradidit, temporibus Inacho æqualem prodiderunt viri eruditione celebres, noſtri quidem inſtituti Clemens, Africanus, Tatianus; ex circumciſione verò Joſephus & Juſtus, ſuis quiſque ex antiqua Hiſtoria præbitis argumentis.* Audiamus nunc Hieronymum: *Moyſem Gentis Hebrææ, qui primus omnium Prophetarum, ante adventum Domini Salvatoris, divinas leges Sacris litteris explicavit, Inachi fuiſſe temporibus eruditiſſimi viri tradiderunt, ex noſtris Clemens & Africanus & Tatianus; ex Judæis Joſephus & Juſtus, Veteris Hiſtoriæ monumenta replicantes.* Nulla fuit ratio *Hieronymo* mutandi ſenſum verborum ἀμφὶ τοῦ &c. ad παραδεδωκότα, niſi quòd ea non ſatis intelligeret; nam non paullò melior eſt ſenſus *Euſebii*, & facilè potuit eleganter Latinè exprimi; ita ut

 nullus

nullus ſuperſit locus excuſationi *Hieronymi*, petitæ ex diſſimilitudine Linguarum. Nec paraphraſin habet Verborum *Euſebii*, ſed alium ſenſum, eumque, ut dixi, cum Euſebiano minimè conferendum.

VI. Non objiciam pro *quingentis* eſſe in Græcis ἑπτακόσια *ſeptingenta*, poſſet enim hoc feſtinantibus Librariis tribui. Sed quare verba, ἐγὼ δὲ περὶ πολλοῦ τ' ἀληθῆ λόγον τιμώμενος, καὶ τὸ ἀκριβὲς ἀνιχνεῦσαι διὰ σπουδῆς πεποιημένων; *ego autem, qui nihil prius habeo veritate, rem accuratiùs inveſtigare decrevi*; quare, inquam, hæc verba vertit: *Quæ cùm ita ſe habeant, neceſſarium duxi veritatem diligentiùs perſequi*? Nam falſum eſt *Euſebium* concedere *Porphyrio* rem *ita ſe habere*, ut dicebat. Vult, quemadmodum rectè obſervavit *Joſ. Scaliger*, Scriptor Græcus, cùm Ethnici ipſi Moſem pluſquàm octingentis annis antiquiorem Trojano exſcidio facerent; & ſufficeret Chriſtianis hanc confeſſionem ab illis extorſiſſe; tamen quia ei nihil antiquius erat Veritate, rem ipſam propiùs putantem, non tantam Moſis vetuſtatem reperire, quantam volebant illi, majorem tamen, quàm omnium Deorum & ſacrorum quam-

vis

vis vetuſtiſſimorum. Obſervat idem paullò pòſt verſa non eſſe verba, ὁμοῦ γίνονται κέ, licèt valde neceſſaria.

VII. SEQUUNTUR hæc apud *Euſebium*: Ἐν δὲ τῷ παρόντι ἐπὶ τὸ αὐτὸ τοὺς χρόνους συναγαγὼν καὶ ἀντιπαραθεὶς ἐκ παραλλήλου τὸν παρ' ἑκάστῳ ἔθνει τῶν ἐτῶν ἀριθμὸν, Χρονικοῦ Κανόνος σύνταξιν ἐποιησάμην: *in præſenti quidem opere, temporibus in unum collatis, annorum uniuscujuſque gentis numeris invicem ex adverſo inter ſe oppoſitis, Chronici Canonis opus confeci*. Legamus nunc *Hieronymum*, qui multò obſcuriùs, nec tam Latinè, dum hæc verba interpretatur, ne ſenſum quidem eorum reddidit: *In præſenti autem, ſtilo eadem tempora contra ſe invicem ponens & ſingularum gentium annos dinumerans, ut quid cuique coætaneum fuit, ita curioſo ordine coaptavi*. Videtur credidiſſe σύνταξιν eſſe *ordinem*; cùm ſit idem ac σύνταγμα, & hoc opus ſignificet; pro cujus titulo numquam maluiſſet dicere *curioſum ordinem*, ſi Græca verba adſequutus eſſet; at *certè*, ut habet *Staliger* in hunc locum, *non intellexit*.

VIII. SEQUENTIA verba non minùs depravavit: Εὑρών τε παρ' Ἑβραίοις διαφόρους τῶν χρόνων ἀποδόσεις, τὸν μὲν πλεονά-

ονάζουσαν τὴν δὲ ἐνδέουσαν ταύτην μετῆλθον· πλὴν ἀλλὰ καὶ οὕτως κατὰ μὲν Ἴναχον, ὃν πρῶτον Ἕλληνες Ἄργους βασιλεῦσαι φασὶ, τὸν Ἑβραίων προπάτορα Ἰσραὴλ γενόμενον εὗρον, ἐξ οὗ τὸ δωδεκάφυλον τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους ἐπωνυμίας ἠξιώθη: *Cùm autem, apud Hebræos, diverſas temporum obſervaſſem editiones, alteram quidem redundantem, alteram verò deficientem, hanc ſequutus ſum. Nihilominùs & ſic quoque Hebræorum progenitorem Iſraëlem, à quo Judaicæ gentis duodecim tribus Iſraëlis nomine cenſentur, Inacho, quem primum Argis regnaſſe Græci prodiderunt, tempore æqualem fuiſſe reperi.* Pro quibus hæc habet *Hieronymus*, à mente *Euſebii* aliena, nec perſpicuitate, aut elegantiâ, aut etiam ipsâ re laudanda: *Neque me fugit in Hebræis Codicibus diſſonantes ætatum annos inveniri, plúſque vel minùs, prout interpretibus viſum eſt, lectitari; ſequendúmque illud potiùs, quod exemplariorum multitudo in fidem traxit. Verùm utcumque quis volet computet, & reperiet Inachi temporibus, quem primum Argis regnaſſe aiunt, Patriarcham fuiſſe Iſraëlem, à quo duodecim Judæorum tribus Iſraëlis vocabulum ſortitæ ſunt.* Rectè animadvertit *Scaliger*, neque tale quidquam ſcriptum

ab

ab *Euſebio*, neque eam ejus fuiſſe mentem. Hoc, nimirum, volebat Epiſcopus Cæſarienſis, in ſacris Judæorum libris, duplicem annorum rationem inveniri; alteram longiorem, quæ eſt LXX. Interpretum: alteram breviorem, quæ Codicum Hebraïcorum ejus ævi fuit, & quam licuit *Euſebio*, præſertim ex *Aquila*, *Symmacho* & *Theodotione*, cognoſcere. Se verò hanc poſteriorem ſequutum; nec tamen ex hoc calculo Inachum eſſe antiquiorem Iſraële. Eſt quidem hîc paralogiſmus, ut animadvertit *Scaliger*, ſed eſt deterior ratiocinatio *Hieronymi*; qui vult, quemcumque calculum ſequamur, rem eamdem conſtare. Præterea reliqua omnia ſunt inania.

IX. ADDAMUS ex hoc eodem Procœmio ſequentem periodum, cujus conſtructio ex ſuperiore pendet: κατὰ δὲ Σεμίραμιν τὸν Ἀβραὰμ Χαλδαῖον μὲν τὸ γένος, ἄλλως γε ἄνδρα θεοφιλῆ καὶ πρῶτον τῶν παρ᾽ Ἑβραίοις προφητῶν εἶναι πεπιστευμένον· Μωϋσέα δὲ φιλαλήθως εἰπεῖν, τούτων μὲν νεώτερον, τῶν δὲ παρ᾽ Ἕλλησιν ἀρχαιολογουμένων πρεσβύτατον: *Semiramidis verò temporibus, Abrahamum vixiſſe hominem quidem genere Chaldæum, ſed tamen Deo acceptiſſimum,*

qui primus Propheta, apud Hebræos, fuiſſe creditur; *Moſem autem, ut verum fatear, infra horum tempora extitiſſe, antiquiorem tamen omnibus priſcæ Græcorum memoriæ* &c. *Hieronymus* verò ſic habet: *Semiramin autem & Abraham contemporales fuiſſe manifeſtum eſt. Namque Moyſes junior licet ſupradictis ſit, ab omnibus tamen, quos Græci antiquiſſimos putant, ſenior deprehenditur.* Præterquam quòd ea omiſit de Abrahamo, quæ omittenda non erant, meritò *Scaliger* oſtendit, malè *manifeſtum* dici quod ad *Euſebium* uſque nemo prodiderat, nemo crediderat, nondum probatum fuerat, nondum conceſſum, deinde quæ de Moſe dicuntur continuanda fuiſſe cum ſuperioribus, hoc modo: Abrahamum quidem Semiramidi, Iſraëlem Inacho æqualem; Moſem, nequid diſſimulem, quamquam illis inferiorem, tamen omnibus, Diis vetuſtiorem fuiſſe.

X. Hæc ſatis ſupérque eſſent, ſi res nobis eſſet cum hominibus, qui tam ſeveri eſſent cenſores dudum mortuorum, quàm ſunt iniqui judices viventium. Sed horum causâ, ſubjiciemus adhuc unicum locum ex Chronico, ad Num. MCCL. in quo verſio

verſio *Hieronymi* eſt à duobus ſummis Criticis meritò caſtigata, ubi de Poëta, qui non amplius exſtat: *Arctinus*, inquit, *qui Æthiopidam compoſuit, & Ilii Perſin*. Eſt in Græco Ἰλίου πέρσιν, hoc eſt, *Troiæ exſcidium*, ut oſtendit *Joſ. Scaliger*. Quare ità debuit verti, ſed vocem rariorem πέρσιν non intellexit *Hieronymus*. Vide & *Claudium Salmaſium* pag. 600. Exercit. Plinianarum Ed. Ultrajectinæ.

XI. VERÙM hìc mihi audire videor *Hieronymi*, etiam manifeſtò errantis, patronos clamitantes à me lectam non fuiſſe Præfationem ad *Vincentium* & *Gallienum*, quam Chronicis præfixit *Hieronymus*; nam in ea oſtendi quàm difficile ſit Libros in alienam Linguam transfundere, & ea indicari quibus, ſi *Hieronymus* verbum verbo non reddidit, aut ſicubi offendit, facilè excuſetur. Ego verò eam Præfationem diligenter perlegi, nec tamen eâ perlectâ intelligo qui poſſit purgari, niſi omnes ſimul pravi Interpretes excuſentur; quod ut liqueat, defenſionis capita breviter expendamus. Primum eſt rei difficultas: *Difficile eſt enim*, inquit, *alienas lineas inſequentem non alicubi excedere; arduum, ut, quæ in aliena lingua bene dicta*

dicta ſunt, eumdem decorem in tranſlatione conſervent. Significatum eſt aliquid unius verbi proprietate? non habeo meum quo id efferam; &, dum quæro implere ſententiam longo ambitu, vix brevis viæ ſpatia conſummo. Accedunt hyperbatorum amfractus, diſſimilitudines caſuum, varietates figurarum; ipſum poſtremò ſuum, &, ut ita dicam, vernaculum Linguæ genus, ſi ad verbum interpretor, abſurdè reſonat; ſi ob neceſſitatem, aliquid in ordine & in ſermone mutavero; ab Interpretis videbor officio receſſiſſe. I. Hæc cauſſari fortè poſſet *Hieronymus*, in opere oratorio, in quo eloquentiam archetypi conatus fuiſſet æquare; quemadmodum *Cicero* converterat ex Atticis duorum eloquentiſſimorum nobiliſſimas orationes, inter ſe contrarias, Demoſthenis & Æſchinis. At in Opere, quale eſt Chronicon *Euſebii*, nihil aliud præter perſpicuitatem ſectari eum oportuit, ſicut fecit *Euſebius* ipſe; nec difficile fuit mentem ejus clarè exprimere. II. Non eſt ea caſtitas & elègantia, in ſtylo *Hieronymi*, qualibus ſimiles adſequi non poſſemus, accuratiùs vertendo, quemadmodum fecit *Joſ. Scaliger*. III. Hæc quæ habet *Hieronymus*, de diffi-

difficultate vertendi, non potuere obſtare quominùs ſententiam ſaltem egregiam verborum *Euſebii* redderet, ſi eam adſequutus eſſet.

XII. SED eſt alterum purgationis caput, quo in ſequentibus verbis utitur Hieronymus: *Itaque, mi Vincenti cariſſime, & tu Galliene pars animæ meæ, obſecro ut quidquid hoc tumultuarii Operis eſt, amicorum non judicum animo relegatis; præſertim cùm & notario, ut ſcitis, velociſſimè dictaverim.* Opus quidem ipſum quomodo velociſſimè dictari potuerit non capere me fateor, nec facilè intelligent qui oculos in id conjicient, cùm tot ſint numeri, certis intervallis diſponendi, & res ipſæ è regione numerorum accuratè notandæ. Præfationem verò potuit *Hieronymus* multò velociùs dictare, ſed tamen, dum dictaret Latina, videtur in manibus habuiſſe Græcum exemplar, ſdque etiam priùs legiſſe. Quod ſi probè adſequutus eſſet, numquam profectò ita vertendo interpolaſſet. Addiderit fortè & quiſpiam *Hieronymum* lentiùs feſtinare debuiſſe, in re ejuſcemodi, quæ rectè fieri à nimiùm properante nullo modo potuit. Sed eſt ea ſolemnis ejus excuſatio, ut alibi videbimus, quam

quam neſcio an omnes admittent; ſunt enim qui ſuſpicari queant eum, callidâ excuſatione, imperitiæ peccata in feſtinationem voluiſſe conjici. Certè, ſi verum dicere velimus, non abhorret ea ars ab ingenio *Hieronymi*, quod totum fuit ad jactantiam & diſſimulationem compoſitum.

XIII. QUÆ habet poſtea de varietate, quæ occurrebat inter Scripturæ Interpretes, ad rem nihil faciunt; cùm manifeſtum ſit vel mediocriter Græcè doctis, reique non prorſus imperitis, Prooemium *Euſebii* non aliter converti poſſe, quàm eſt verſum à *Joſepho Scaligero*, ad ſenſum quod attinet. Nemo etiam defenderit *Hieronymum*, eo quòd ejus conſilium in hac tranſlatione fuerit ſupplere varia quæ *Euſebio* deerant, atque interdum non Interpretem, ſed Scriptorem agere. Etenim hoc ſibi ſi propoſuit, quod ſine dubio fecit multis in locis; addere potuit quod videbatur, non corrumpere planè aut decurtare ſententiam verborum *Euſebii*, egregiam licèt, ac rei quæ agitur perneceſſariam. Quod cùm non fecerit, non veretur tamen fidelitatem tranſlationis ſuæ jactare. *Sciendum*

dum etenim, inquit, *me & interpretis & ſcriptoris ex parte officio uſum; quia & Græca* FIDELISSIME *expreſſi, & nonnulla, quæ mihi intermiſſa videbantur, adjeci - - - Itaque à Nino & Abraham, uſque ad Troiæ captivitatem, pura Græca tranſlatio eſt* &c. Fortaſſe tam verum eſt eum uſque adeò feſtinaſſe, quàm verum fidelem Interpretem fuiſſe. Plura de ea Tranſlatione non addam, quam harum rerum curioſi conferent cum iis, quæ nobis ex Euſebianis Græcis ſuperſunt; non omiſſis *Scaligeri* animadverſionibus longè doctiſſimis, & qualibus ſimiles *Hieronymus* ſcribere non potuiſſet.

XIV. QUOD ſi quis tamen putet lapſum fortaſſe eſſe feſtinatione, in eo Libro convertendo, *Hieronymum*; ſuſcipiat in ſe laborem conferendi cum Græcis verſionem Latinam Libri alterius ejuſdem *Euſebii*, de Situ & Nominibus Locorum Hebraïcorum, videbítque paſſim Bethlehemitam Solitarium majoris peritiæ, aut diligentiæ in eo opere ſpecimina non edidiſſe. I. Ad primam vocem *Ararat*, dixerat *Euſebius*, *ferri adhuc monſtrari in montibus Armeniæ reliquias arcæ*, δείκνυσθαι λείψανα τῆς κιβωτοῦ, hoc

eſt

eſt reliquias ligni, ut liquet manifeſtò ex mediis ac poſtremis paragraphi verbis. Quare ergo *Hieronymus* vertit *veſtigia*, voce incommodâ & obſcurâ? Quare poſtea *monumenta*, ac tandem ſimpliciter *ligna*? Quæ ratio fuit obſcuriùs loquendi, cùm clara vox ſuppeteret? II. Ipſe *Martianæus* notavit συνευωχεῖσθαι malè verti paullò pòſt *gaudere*, cùm ſit *epulari cum* aliquo. Sed *Hieronymus* rationem habuit Etymologiæ ab εὖ & ἔχειν, *bene habere*, quæ ratio interpretandi fallaciſſima eſt, nec hominis admodum periti. III. Ibidem malè ἀποβατήριον *exitus*, vel *egreſſus* vertitur, quaſi eſſet ἀπόβασις. Eſt autem locus in quem fit exſcenſio, ſeu *exſcenſorium*, ſi ita loqui licet. Alioquin ἀποβατηρία eſt κλίμαξ νεὼς, ut docet *Heſychius*, hoc eſt, *ſcala* per quam è navi fit exſcenſio. IV. In verbis *Nicolai Damaſceni*, ubi meminit montis Baridis, quare omittitur vox μέγα, quæ antecedit ὄρος & *mons* ſimpliciter dicitur, cùm ſit neceſſaria? Non imperitiæ hoc eſt, ſed negligentiæ. V. Poſtquàm idem Scriptor dixit famam eſſe in montem Barin multos, tempore Diluvii, confugiſſe, addit, καί τινα ἐπὶ λάρνακος ὀχούμενον ἐπὶ τῆς ἀκρωρείας ὀκεῖ-

λαι ;

λαι, καὶ τὰ λείψανα τῶν ξύλων ἐπὶ πολὺ σωθῆναι· γένοιτο δ' ἂν οὗτος, ὅντινα καὶ Μωυσῆς ἀνέγραψεν ὁ Ἰουδαίων νομοθέτης: *& quemdam vectum arcâ ad jugum appuliſſe, & reliquias lignorum diu ſervatas. Fuerit fortaſſe hic vir, de quo Moſes Judæorum Legiſlator ſcripſit.* Manifeſtum eſt reſpici ad Noachum, cujus, tametſi ſolus memoratur, tamen non excluditur familia. At hæc minimè intelligens *Hieronymus*, plurali numero loquentem inducit Nicolaum: *alios verò in arcæ alveo ſupernatantes* &c.

XV. In voce *Aſtaroth Carnaim*, ὑπὲρ τὴν [a] Σοδομῖτιν, hoc eſt, *ſupra Sodomiticum tractum*, vertitur *in ſupercilio Sodomorum*; quod ferri non poteſt, niſi *Sodomi* eſſent mons, in cujus ſupercilio ea urbs fuiſſet condita, quod falſum eſſe omnes norunt. Intellexit verò *Euſebius* eam eſſe ad Septentrionem Sodomitidis, ut vidit *Jac. Bonfrerius*. Superiora enim dicuntur loca magis ad Septentrionem vergentia; etenim [b]

Mundus ut ad Scythiam Riphæáſque
arduus arces

E Con-

a *Abſurdè editum* ϛοδομίτην, *ut aliquoties alibi.*

b *Virgil.* 1, *Georg. verſ.* 240.

Conſurgit, premitur Libyæ devexus in Auſtros.

Sic tractus ad Septentrionem Libani, collati cum Meridiana regione, dicuntur eſſe ἄνωθεν *ſuperiùs*, in voce *Aulon*. Sic vulgò ſolent loqui Veteres Geographi, quod facile eſſet probatu. In *Arbo* aut potiùs *Arbee*, dicitur Chebron fuiſſe βασίλειον Davidis, hoc eſt, οἴκημα, *ſedes regia Davidis*, quod malè vertitur *regnum*. Perinde eſt ac ſi quis diceret Græcè, de Verſalia, ubi Regia Ludovici XIV. Βερσαλίαν βασίλειον εἶναι βασιλέως Κελτῶν, verterétque alius, *Verſaliam regnum eſſe Celtarum Regis.*

XVI. CASSIODORUS meritò monebat* Monachos ſuos, deſcripturis, aut emendaturis Codices Scripturæ Sacræ, vel Scripta Patrum, Orthographos priſcos frequenter eſſe legendos; ut exſcriptor vel emendator cognoſcat quæ minimè debeat violare, & quomodo vitia corrigantur, quorum non exigua pars in prava ratione ſcribendi ſita eſt. Exempla ejus rei inſignia habemus, in libro hoc de Locis Hebraïcis. Cùm enim nec *Jac. Bonfrerius*, nec *Joan. Martianæus*, memores eſſent in MSS. Græcis H & I paſſim

* *De Inſt. Divin. Litt. Capp. XVI. & XXX.*

paſſim miſceri, nec recordarentur nomina minorum tractuum, apud Græcos, frequentiſſimè in ΙΤΙΣ finiri, reliquerunt in voce *Aſtaroth*, Σοδομίτην, pro Σοδομῖτιν, ut jam obiter monuimus. Idem etiam peccatum occurrit & in vocibus *Laſan*, *Save*, & *Seboim*, ne putemus mendum eſſe typographicum. Græci enim non dicerent ἡ Σοδομίτη γῆ, ſed ἡ Σοδομιτικὴ, vel ἡ Σοδομῖτις. Sic *Joſephus* de Bello Judaico Lib. V. c. 27. in Græcis, ſub finem: γειτνιᾷ δὲ ἡ Σοδομῖτις αὐτῇ, *vicina eſt illi Sodomitis*, vel *Sodomitica terra*: Σοδομίτης verò nomen eſt incolæ urbis Sodomorum, aut tractûs Sodomitici. Vide *Joſephum* Antiq. Lib. I. c. 10. & 12. Hinc *Stephanus* Byzantinus, in Ethnicis: Σόδομα μητρόπολις — Ὁ πολίτης Σοδομίτης: *Sodoma metropolis*, *Civis Sodomita*. Quare, inquies, rem pueris notam probas? Quia in ea peccarunt *Bonfrerius* & *Martianæus*; imò, ſi eorum editionibus ſtamus, ipſe *Hieronymus*, deceptus pravâ ſcripturâ Græcâ. Sic enim loquitur *Euſebius*, de Amalecitide: Ἀμαληκῖτις, χώρα ἐν τῇ ἐρήμῳ. At editum eſt Ἀμαληκίτης, qui merus eſt Solœciſmus, & in Hieronymo pariter: *Amalecites*, *Regio in deſerto*. At vix

mihi perſuadeam peccatum hoc eſſe à manu *Hieronymi*, qui in voce Σαυῆ bene vertit, ὑπὲρ τ̃ Σοδομῖτιν, *ſuper regionem Sodomæ*. Mirum eſſet eamdem loquutionem utrobique eodem modo converſam in hoc libro non fuiſſe, niſi conſtaret hominem in aliis tranſlationibus conſtantiorem non eſſe; quod an peritiæ indicium ſit, judicent eruditi.

XVII. Quicumque plura volet argumenta, ex quibus colligere liceat *Hieronymum* tam doctum Græcè non fuiſſe, quàm olim vulgò credebatur, pergat librum hunc contendere cum *Euſebii* Græcis. Mihi tantùm non eſt à re mea otii, nec profectò pluribus opus eſt. Addam tamen ridiculam hallucinationem. 2. Sam. III, 12. in verſione LXX. Intt. dicitur Abner miſiſſe nuncios ad Davidem εἰς ΘΗΛΑΜΟΥΓΗΝ, ut habet Codex *Alexandrinus*, ex qua lectione fecit *Euſebius* nomen Θηλαμοῦ γῆ, hoc eſt, *terra Thelami*. At *Hieronymus*, unâ voce, Latinè vertit *Thelamuge*. Nec quiſquam dubitet ita ſcripſiſſe LXX. Intt. itáque legiſſe *Hieronymum*, (quamvis videam alios ſcribere Θηλὰμ οὗ γ' ἦν) ſi conſideret verba Hebraïca, quæ occaſionem præbuerunt huic verſioni, &

& quæ ſic habent : תחתו לאמר למי ארץ *pro ſe dicens, cui terra?* Videtur fuiſſe omiſſio & mendum in exemplari LXX. Intt. hoc modo : ת....למו ארץ quæ legerunt *thelamou erets*, id eſt; Græcè Θηλαμοῦ γῆ. Similia alibi peccata, in malè intellectis Interpretibus Græcis ſita, liberè quoque notavit *Lud. Cappellus*, in Notis Criticis ad Vetus Teſtamentum.

XVIII. DIXERIT fortè quiſpiam, potiſſimùm Hebraïcæ Linguæ peritiam à *Martianæo* in *Hieronymo* fuiſſe prædicatam, adeóque me nimis multis de Lingua Græca agere. Verùm quiſquis volet ſcire quid *Martianæus* aliíque ejus Symmyſtæ ſentiant de peritia *Hieronymi*, ad Græcam Linguam quod attinet; incipiat caſtigare Verſionem Latinam Novi Teſtamenti. Intelliget quàm magnificè ſentiant de Græcanica hominis eruditione. Quæ cùm ita ſint, quæ hac de re diximus nobis viam munire poterunt, ad judicium paullò audaciùs & liberiùs ferendum de eruditione Hebraïca *Hieronymi*. Qui enim Græcæ Linguæ falsò peritiſſimus habitus eſt, quamvis modicam dumtaxat ejus peritiam ſibi comparaverat; qui fidus Interpres à multis credebatur, cùm tam fre-

quenter offenderet, aut diſſimularet quod in Græcis erat, ſi fortè non intelligebat; quidni idem potuerit, in Hebraïca Lingua multò ignotiore, plerisque fucum facere? Si liceat peccata *Hieronymi* in Græcis, ſine invidia, notare, quæ ſanè defendi non poſſunt, quidni idem in Hebraïcis licebit?

XIX. At erunt fortaſſe alii, qui dicant nos iterum injuriâ afficere *Hieronymum*, cùm ejus verba ſubtiliùs contendimus cum Græcis, quia verbum verbo reddere non ſtatuerat; prout ipſe in Præfatione profitetur; *Tranſtulimus, relinquentes ea quæ digna memoria non videntur & pleraque mutantes. Semel enim & in Temporum libro præfatus ſum, me vel interpretem eſſe, vel novi Operis conditorem.* Non reponam eam interpolationem alienorum Operum gravibus incommodis laborare, neque enim ea de re agimus; ſed dicam ſive Interpretem, ſive mavis Conditorem novi Operis, non debere pro rectè expreſſis & benè dictis, incommodas loquutiones, & minùs accuratas reddere, aut neceſſaria reſecare, aut etiam falſa veris ſubſtituere; quemadmodum ſæpe fecit *Hieronymus*, ut anteà oſtendimus.

Deinde

Deinde ſatis liquet ea quæ attigimus non eſſe à mutante, quapiam de ratione, ſed ab hallucinante, & malè Græca intelligente ſcripta. Addam hîc rem leviculam quidem, ſed quæ oſtendet nihil eſſe verius quàm quod dixi. Scripſit *Euſebius*: Ἰτουραία, ἡ καὶ Τραχωνῖτις, χώρα ἧς ἐτετράρχει Φίλιππος: *Ituræa, quæ & Trachonitis, regio cujus Tetrarcha fuit Philippus.* Quare vertit Hieronymus: *Ituræa & Trachonitis regio*, &c? Poteſt enim Lector ſuſpicari eſſe nomina duorum tractuum regionis; quæ fuit Tetrarchia Philippi. Moroſus es, inquies, qui talia ad vivum reſecas? Imò verò moroſa negligentia eſt ejus, qui non commodiùs vertit: nec ſcio annon exiſtimarit delendam particulam ἣ *quæ*, quòd putaret eſſe ἢ *ſive*. Ratio ſuſpicandi hæc eſt, quòd in voce Τραχωνῖτις, ſimiliter offenderit: Τραχωνῖτις χώρα, ἡ καὶ Ἰτουραία, hoc eſt, *Trachonitis regio, quæ & Ituræa*; nempe dicitur. Vertit tamen ille: *Trachonitis regio, ſive Ituræa.* Si ego ita vertiſſem, numquam mihi ignoviſſet *Martianæus*, quamvis dicerem me eſſe *Novi Operis Conditorem.* Vociferaretur eſſe hanc artem, quâ conarer occultare meam imperitiam, ne malæ

tranſlationis arguerer. Ac ſanè multi Interpretes liberiori verſione ſæpe ſeſe ex locis, quæ non ſatis intelligunt, expediunt; nam ſententiam quidem ſummatim vident, quamquam ſingula verba non adſequuntur.

XX. Atque hæc hactenus, quæ ſcripſi, ut iterum dicam, non ut contemtum *Hieronymo* præter meritum crearem; ſed ne, dum nimia peritia ei tribuitur, ſimúlque contemnuntur omnes præ ejus Scriptis Recentiorum labores, haud paullò doctiores & accuratiores, ab uſu panis homines ad glandes revocentur. Quid enim opus eſt diſſimulatu? Qui nunc Scriptores Græcos vertunt, aut cum aliqua laude Scripturam Sacram illuſtrant, nollent Scriptis Hieronymianis, aut ſimilibus, nomen ſuum adſcribi. Si *Joſ. Scaliger* Græca vertiſſet, aliud agens, quemadmodum fecit *Hieronymus*; ſi *Hug. Grotius* ita eſſet Scripturam adoleſcens interpretatus; relectis attentiùs aut maturiori ætate Operibus illis, ea illico flammis damnaſſent, aut ſi iis invitis edita fuiſſent, ea ſanè abdicata è numero fœtuum ingenii ſui ejicienda pronunciaſſent.

QUÆSTIO IV.

Quanta fuerit HIERONYMO *Hebraïcæ Linguæ peritia, quod attinet ad Grammaticam.*

I. UBIQUE *Joannes Martianæus* admirabilem Linguæ Hebraïcæ Scripturæque Sacræ peritiam *Hieronymo* tribuit, præque eo ſpernit omnes Interpretes nuperos, quaſi talpæ eſſent Stridonenſi Presbytero collati, nec quidquam Hieronymianis æquiparandum procudere potuiſſent. Ita ſe ſentire ſignificat, præſertim Prolegomeno III. ſecundi Voluminis. Ego verò, cùm minimè negem utiles nobis eſſe *Hieronymi* labores, ſi iis utamur, ut par eſt, præſertim quòd haberet Hexapla, quæ paſſim laudat, & quibus nos caremus; unde intelligere licet quæ fuerit vetuſtiorum Interpretum, de multis locis, ſententia; attamen exiſtimo eruditionem Hebraïcam *Hieronymi* multùm abfuiſſe à perfectione, quam ei affingit Monachus Benedictinus. Tota, nimirum,

mirum, mihi videtur fuiſſe ſita in collatione Interpretum antiquiorum, atque in nonnullis quæ acceperat à præceptoribus Judæis, quorum multa exigui pretii fuerunt. Abſoluta autem cognitio Linguæ Hebraïcæ, ut ceterarum omnium, in duobus potiſſimùm ſita eſt; quorum prius eſt intelligentia ſingularum vocum & loquutionum, poſterius Grammaticæ, propriè dictæ, peritia. Priorem quidem cognitionem nobis nunc præſtant perpetua lectio Hebraïci Codicis, & Lexica ad regulas Artis exacta; in quibus Radices & derivata omnia ordine traduntur, diſtinctis variis eorum ſignificationibus, & explicatis loquutionibus omnibus, quæ illis conſtant. Nec parum ad accuratum examen vocum conferunt *Concordantiæ* Bibliorum, Hebraïcæ, Græcæ ac Latinæ; quæ jamdudum exſtant, & in quibus omnia Scripturæ loca, ubi occurrunt ſingulæ voces ac loquutiones, præ oculis nobis ponuntur. Poſteriorem verò cognitionem præbent Grammaticæ illæ, tanto numero à ducentis præſertim annis confectæ, in quibus arte ac viâ ſingulæ orationis partes excutiuntur. Liquidò autem apparet ex Scriptis *Hieronymi*

mi eum & Lexico & Grammatica fuiſſe deſtitutum, ita ut tantùm lectione & uſu didicerit quod noverat de Lingua Hebraïca, nec methodo ullâ adjutus ſit; quamobrem varius admodum eſt in ſignificatu nominum, & paſſim in certiſſimas Grammaticorum regulas peccat. Quæ nobis pluribus oſtendenda ſunt.

II. OBJICIAT, hîc in ipſo limine diſputationis, quiſpiam, iniquos nos eſſe erga *Hieronymum*, qui Lexica, Concordantias, Grammaticas ab eo poſtulamus, quæ ejus ævo nullæ fuerunt; nec jure ab ullo exigi, quod comparari à nemine quiret. Non diffitemur nulla tunc temporis talia fuiſſe ſubſidia Hebraïcarum Litterarum Studioſis, quorum quidem ſubſidiorum ullum ſuperſit, apud Veteres, veſtigium; ſed duo reponimus, primùm non fuiſſe difficile divinatu homini, non prorſus hebeti, ad probè intelligendam Linguam dudum demortuam, neceſſaria eſſe hujuſmodi auxilia; nec Veteris Teſtamenti tantam eſſe molem, aut rem ipſam uſque adeò intricatam, ut tentari non poſſet. Qui Lexica Alphabethica Nominum & Locorum norant, facilè poterant cogitare de conficiendo Lexico

co vocum appellativarum & loquutionum omnium. Certè ſi quis hodie, ſine Lexico & Grammatica, conaretur Linguam demortuam diſcere, cujus cognitio ſolis oculis è vetuſtis libris hauriretur, ab omnibus meritò rideretur. Sécundò, ſi caruit auxiliis neceſſariis *Hieronymus*, ad perdiſcendam Linguam Hebraïcam, ſive ipſius negligentiâ, ſive temporum vitio, non poteſt abſoluta ejus Linguæ cognitio ei tribui; niſi à divino afflatu, ſine auxiliis humanis, credatur ſuam eruditionem accepiſſe.

III. INITIUM faciemus ab iis quæ defuerunt *Hieronymo* in Grammaticæ peritia, & plerumque quidem clara indicia, quibus rem comprobabimus, deſumemus ex iis *Hieronymi* Operibus, quæ jam in primo & ſecundo volumine ſunt ad annum ultimum ſæculi XVII. à *Joanne Martianæo* edita; ne queri poſſit nos corruptas Editiones *Eraſmi* & *Victorii* ſequi, ut *Hieronymum* nihil tale meritum carpamus. Non aggrediemur tamen Vulgatam Verſionem, quam primo volumine complexus eſt, ad examen revocare. Paſſim enim hoc præſtitimus, in Commentariis noſtris in Pentateuchum, & porrò in ſequentibus præſtabimus,

prout

prout res & occaſio ferent. Multa quoque alii Vulgatæ commiſſa animadverterunt, & ne acerbiores æquo Cenſores nominem, unus *Lud. Cappellus* in Notis Criticis editis in hac urbe anno M DC LXXXIX. multa ſuppeditabit, ex quibus liquebit nos non immeritò ita ſentire de eruditione *Hieronymi*, ut hodiernæ virorum Hebraïcè doctorum peritiæ non ſit æquiparanda. Pauca igitur exempla hinc proferemus.

IV. NIHIL priùs occurrit in Grammatica Hebraïca, quàm id quod docetur de Conſonantium poteſtate; Lingua enim illa, ut eruditiores omnes norunt, figuris vocalium caruit, dum viguit. In Alphabetho autem Hebraïco, prima eſt *Aleph* א, quæ idem valet ac ſpiritûs lenis Græcorum, poteſtque ita efferri ut omnibus Vocalibus inſerviat, neque enim per ſe ſonum ullum habet. Liquet hoc, non tantùm ex punctatione hodierna, cui poſſunt ineſſe errores, quippe poſt dudum demortuam Linguam inventæ; ſed potiſſimùm ex prolatione multorum nominum propriorum, qualis apud veteres Interpretes exſtat. Pronunciatur A in אדם *Adam*; E in Nominibus compoſitis ex

אל

אל *el*, ſive ab initio præpoſito ut אליהו *elia*, ſive à fine ut ישראל *iſrael*; I in איזבל *iezabel*; O ut in אופיר *ophir*; U in אורים *urim*. Quod cùm ita ſit, quid ſibi vult *Hieronymus* in Quæſtionibus Hebraïcis ad Gen. XVII. ubi ita loquitur de additione litteræ *He* voci *Abram*: *Nec mirandum quare, cùm apud Græcos & nos, A littera videatur addita nos He litteram Hebræam dixerimus; idioma enim Linguæ illius eſt per He quidem ſcribere, ſed per A legere; ſicut è contrario A litteram ſæpe He pronunciant.* Quod Hebraïcè ſcribitur per *He* deberet Græcè ſemper ab initio ſpiritu aſpero exprimi, Latinè verò litterâ vel adſpiratione H, cùm ab initio, tum in mediis vocibus, ut nunc facimus; nec ſpiritus lenis אלף debuit umquam cum aſpero הה miſceri. Præterea numquam A pronunciatur apud Hebræos ut *He*, ſed quidem *E* Latinum. At, inquies, hoc ipſum voluit dicere *Hieronymus*. Fortaſſe, ſed ita loquutus eſt, ut liqueat ejus animo perſpicuam notionem poteſtatis harum litterarum, ſeu horum, ſi mavis, ſpirituum, apud Hebræos, minimè obverſatam eſſe. Quare enim alioqui tam obſcurè dixiſſet quod perſpi-
cuè

cuè licebat? Non ita loqueretur hodiernus Grammaticus. Verùm hoc non eſſe tanti reſpondebis. Fateor, ſed tamen tenenda perſpicuè fuit *Hieronymo* res tantilla, ſi de ea loqui vellet. Nam imperitè loquenti, de rebus facilibus, quis fidem habeat de difficilioribus agenti?

V. CùM, ut dixi, littera H, aut, ſi mavis, adſpiratio, ſit ſpiritus aſper, unà cum figura ה *he*, conjungitur quævis vocalis, quemadmodum cum א, ut antea diximus; quod Index Nominum propriorum Hebraïcorum *Greg. Gregorii*, aut alius docebit; ſatis enim fuit, exemplo litteræ א, vel imperitis oſtendiſſe quid vellem. Itaque, in re nota, ſuperſedebo ab exemplis. Notum quoque eſt litteras *ejuſdem organi*, ut loquuntur Grammatici, ſæpe miſceri, præſertim in affinibus Linguis. Attamen, ſi accurati eſſe velimus, diſtinguendæ ſemper ſunt; nec miſcendæ umquam, ubi in Scriptura conſtanter diſtinguuntur, neque quidquam eas confundi cogit. Alioqui miſcentur voces varii prorſus ſignificatûs. Propterea inventæ, apud Græcos, Spirituum figuræ, & apud Latinos adſpiratio H. Attamen qui primi condiderunt Catalogum No-

Nominum Hebraïcorum, *Philo*, *Origenes*, aut alii, rem ferè neglexerant; quâ negligentiâ factum ut diverſa miſceant. Exempli causâ, *Abel*, אבל, interpretantur *luctus*, *ſive vanitas*, cùm ſolus prior ſignificatus ei voci conveniat, quando ſcribitur per *Aleph*, & nomen eſt filii Adami; poſterior verò ſit poteſtas vocis הבל, ſcriptæ per *He*. Multa talia exempla invenient, qui Latinum Librum Nominum comparabunt cum Hebraïca eorum ſcriptura. *Hieronymus* verò qui eum è Græca Linguâ vertit, ſi paullò accuratior Grammaticus fuiſſet, continuò ſenſiſſet id ſui eſſe officii, ut ad adſpirationem Latinam H referret omnia nomina, quæ inchoantur adſpiratione Hebraïcâ ה. Tantùm verò abeſt ut hoc præſtiterit, ut hanc planè prætermiſerit litteram in eo Catalogo. Quod ne mirum videretur, ad Nomina Deuteronomii ita Lectorem monet: H *à pleriſque adſpiratio putatur eſſe*, *non littera*. Similiter ad Nomina Evangelii Matthæi: *ut* I *litteræ ſervemus ordinem*, *adſpirationem* H *in pleriſque* (imò ſemper ab initio) *omiſimus*, *licèt eam Grammatici non putent litteræ locô habendam*. Non habeatur littera, ſi ita vi-

videatur, nolo enim de nominibus pugnare; an tamen propterea ferretur Lexicographus Latinus, qui eam deleret, & vocabula, quæ ab ea inchoantur, ad vocales, quæ eam in ſingulis vocabulis proximè ſequuntur, referret? Non puto. Quare autem? Quia adſpiratio non minùs eſt neceſſaria vocabulis rectè ſcribendis & diſtinguendis, quàm quævis aliæ litteræ. Idem dicendum de Hebraïca Lingua, ut omnes norunt, qui ejus elementa attigerunt. Diſtinxit quidem *Hieronymus* vocabula, quæ incipiunt à C & à CH & quæ inchoantur à T & à TH. Atqui diſtinctio vocum adſpiratarum, præmiſsâ H, ab aliis non minùs fuit neceſſaria. Nec in hac re peccaſſet, niſi tenuiſſimâ grammaticarum regularum cognitione imbutus fuiſſet.

VI. LITTERAM ח pro adſpiratione duplici, hoc eſt, quæ duplo aſperiùs pronuncianda ſit, quàm ה Hebraïcum, aut H Latinum, non uno in loco habendam docet *Hieronymus*. Sic Quæſt. Hebraïcarum ad Gen. IX, 18. *Frequenter*, inquit, *Septuaginta Interpretes non valentes* HETH *litteram, quæ duplicem adſpirationem ſonat, in Græcum ſermonem vertere*, CHI *Græcam litteram addiderunt; ut*

 nos

nos docerent, *in iſtiuſmodi vocabulis*, *adſpirari debere*; *unde*, & *in præſenti loco Cham tranſtulerunt*, *pro eo quod eſt Ham.* Similia habet ad Cap. XLI, 2. in Epiſtola ad Fabiolam, ad manſionem XXIX, & alibi. Nec quiſquam dubitet quin veriſſimè expreſſerit vim litteræ ה, cum qua conjunguntur paſſim ſoni quinque Vocalium, ut cum א & ה.

At eſt alius locus *Hieronymi*, in quo cùm ejus rei oblitus eſſe videtur, tum etiam parum ad animum revocaſſe quod diximus de litteris א & ה. Nomina, nimirum, propria deducta ex Regnorum Lib. II. & incipientia à littera H hæc quatuor habet: HIRAM, *vivens excelsè.* HISTOB, *vir bonus.* HIRAS, *vigilans.* HISBOSETH, *vir confuſionis.* Tum hæc adnotat: *Idcirco cum adſpiratione hæc nomina poſuimus*; *quia* & *apud Græcos* & *apud Hebræos per Diphthongum ſcribuntur.* Quibus in verbis, ita loquitur *Hieronymus*, ut ſi aliud nihil exſtaret, ab eo profectum, nec Hebraïcæ, nec Græcæ, nec Latinæ Grammaticæ elementa ſciviſſe cenſeretur. Nunc verò cùm alia ejus Scripta non ſinant nos dubitare quin doctior fuerit, præſertim Latinè; hæc tribui non poſſunt

niſi

niſi ſummæ negligentiæ, qualis tamen in virum eximiè doctum Hebraïcè cadere vix poteſt, cùm ſit hîc intolerabilium errorum mira συμπλοκή, niſi verba ejus aliter explicemus, quàm ſonant. Primùm enim, quamvis vocabula quatuor allata à Græcis & Hebræis ſcriberentur *per Diphthongum*, an deberent propterea adſpirari? An Diphthongus & adſpiratio idem ſunt, & poſteriore prior aliquando exprimitur? Nemo ſanè dixerit, qui non prorſus deſipiat. Cur ergo ita loquutus eſt *Hieronymus*? Non capio, niſi dormitârit. Secundò, annon debuit animadvertere non poſſe niſi malè ſcribi *Hiſtob* & *Hisboſeth*, cùm hæc Nomina Hebraïcè ſcribantur per א, cui nulla adſpiratio ineſt, אישטוב & אישבשת? Certè ſi inſit adſpiratio vocibus hiſce, ab א incipientibus, debuit & ceteris omnibus ab ea littera inchoatis præponi. Quòd ſi tùm præterea poſtulatur (quod tamen nonniſi abſurdiſſimè dici poteſt) ut Jod ſequatur; omnia Nomina, quæ ab Aleph & Jod inchoantur, erunt ſcribenda per adſpirationem, quod minimè factum eſt. Eſſet ſcribendum *Hithamar* איתמר, aut Εἰθαμάρ, *Hithaï* אית״, aut Εἰθαὶ &c. Quis verò ferat ejuſmodi

Nomina adſpirari, ſine adſpiratione verò ſcribi ea quæ à ח incipiunt? Tertiò, quare ſelegit, inter omnia Nomina, quæ inchoantur à littera ח, ſolum Nomen חירם *hhiram*, & ex incipientibus à littera ע ſolum עירה *hirah*, ut ea adſpiraret? An ſola hæc Nomina ſic inchoata habent ſpiritum denſum? Quo quidem ſpiritu affecerint LXX. Intt. ΙΡΑΣ non ſatis conſtat, quia ſpirituum figuræ ſunt recentiores; ſed ſolent ſcribere Χειρὰμ, hoc eſt, *Chiram* Latinè, ita ut hæc vox ad CH debuerit referri. Quartò, ne hîc loquar de littera ע, de qua poſtea, quomodo duplex adſpiratio ח, quæ exprimitur CHI Græco, & cum qua per ſe nihil ſonante omnium vocalium ſoni junguntur, facere Diphthongum poteſt cum I ſequente? Quomodo etiam figura א, quæ majorem vim quàm ſpiritus lenis non habet, poteſt cum eadem vocali conflare Diphthongum? Quintò, omnes voces inchoatæ ab אי aut à חי deberent à Diphthongo *ει* Græcè inchoari, quod tamen non fieri docebunt Indices Nominum Hebraïci, Græci & Latini inter ſe comparati. Conjiciantur oculi in Indicem Hebraïcum *Gregorii*, aut in eum qui eſt in VI. Tomo

mo Bibliorum Polyglottorum, & multa talia invenientur.

Hæc cùm ſint meridiano ſole clariora, Monachus noſter Benedictinus; quem vel hinc diſcere par fuiſſet, fruſtra ab *Hieronymo* exſpectari poſſe quidquam eximium, in Hebraïca Grammatica; hunc locum & ſimilia nobis oggerit, ut ab *Hieronymo* accipiamus, ſcilicet, quod neſcimus. Operæ pretium eſt hominem audire grande arcanum, & quod fugit hactenus omnes Grammaticos Hebræos, aperturum. *Quatuor*, inquit, *nomina, ab Hieronymo vel Philone hîc recenſita, apud Hebræos per Diphthongum ſcripta leguntur, hoc modo*; חירם *Hiram*, אישטוב *Hiſtob*, עירא *Hira*, אישבשת *Hisboſeth. Neque verò litteræ* Aleph, Heth & Ain, *apud Veteres Hebræos, pro conſonantibus uſurpatæ erant, ſed pro vocalibus, ut perſpicuè declarat Hieronymi præſens adnotatio, qua ſtatuit* Aleph, Heth & Ain *Diphthongum conſtituere, cum* Jod *ſequenti, in quatuor jam dictis nominibus. Hinc evaneſcunt opinationes quorumdam hodiernorum Grammaticorum, quibus viſum eſt quamcumque Diphthongum Hebraïco exſulare idiomate. Hebræáſque voces à Conſonanti ſemper lit-*

 tera,

tera, *non à vocali*, *initium ducere*. I. Non *quidam*, ſed omnes omnino Grammatici Hebræi veteres & recentiores cenſuerunt nullam vocem à vocali incipere; ſi perpaucos excipias, quos nomine appellare nihil attinet. II. Plerique omnes etiam exiſtimarunt dari Diphthongos, exceptis potiſſimùm Judæis Germanis; qua de re vide *Joan. Buxtorfii* Theſaurum Capp. III. & IV. alióſque Grammaticos. III. Grammaticorum ſententia, quâ negant ſyllabam Hebraïcam inchoari à vocali, non eſt *opinatio*, ſed certiſſima veritas; quam nemo oppugnarit, niſi dormitans, ut hîc *Hieronymus*, & rauca ejus Echo *Martianæus*. Tribus verbis res demonſtratur. Vocalis omnis certum habet ſonum, ut A, E, I, O, U, non promiſcuè quinque illis ſonis effertur, quemadmodum *Aleph*, *Hheth* & *Hain*, quod ex Nominibus propriis, in quibus occurrunt, manifeſtò liquet; cùm ab antiquis Interpretibus ita pronuncientur, ne quis nos ſolorum Maſſorethârum auctoritate niti putet. IV. Primus index Nominum, qui in manus incidet, rem demonſtrabit, ſed vel ex quatuor allatis Nominibus manifeſta fiet. Quæro, ſi *Alpha* ſit vocalis,

quæ-

quænam quinque vocalium ſit? Sine dubio A. Itaque legendum eſſet AISTOB, & AISBOSETH, non *Hiſtob*, & *Hisboſeth*, ſine Diphthongo, aut *Eiſtob* & *Eisboſeth*. Deinde quæ vocales erant *Hheth* & *Hain*? An prius Græcorum ἦτα & poſterius O? Quomodo ergo hîc nobis conſlant *Diphthongum*, ſi *Hieronymo* credimus, qualis eſt Græca EI? Scribendum fuiſſet Hiερὼμ, & Oiρὼ, quod tamen non fecerunt LXX. Intr. quibus prolatio eorum nominum probè nota erat, & ne ipſe quidem *Hieronymus*. An tres vocales conjunctæ cum Jod facient unam eamdémque Diphthongum? Nemo crediderit. Quid igitur hinc colligemus? Nec Bethlehemitam, nec Pariſienſem Monachum, quos tamen minimè æquarim, ne quid fallatur *Martianæus*, ſatis attendiſſe quid dicerent. Si attentiore animo ſcripſiſſent, non magis dicturi fuiſſent *Aleph*, *Hheth* & *Hain*, eſſe vocales, & conſtituere, apud Hebræos, Diphthongos, quàm H Latinum, in Latina Lingua. Pænè omiſeram *Martianæum*, ut figmentum hoc, de vocibus apud Hebræos à vocali inchoatis tueatur, afferre exemplum Arabum, qui *Vau*, quo multa vo-

cabula inchoantur, pronunciant ut w, quod Galli exprimunt per *ou*, ut *ouaheb*, quod *waheb* efferunt Arabes, Grammatici verò hodierni Hebraïcæ Linguæ ſcribunt *vaheb*. At eum ſcire oportuit neminem Arabem habere *Vau* pro conſonante, non magis quàm Gentes Europæas, quæ littera w utuntur; quòd ea littera per ſe nullum ſonum habeat, ſed debeat neceſſariò cum vocali conjungi, cùm in Linguis Europæis, tum etiam in Arabica. Quod ſi malit adhuc *Martianæus* temerè ab oſcitante *Hieronymo* prolata præferre manifeſto uſui, certæque Analogiæ Linguæ Hebraïcæ, per me licet. Suis animum paſcat ſomniis, & quæ indulgentia noſtra ſummopere indigent ea maximè pergat in *Hieronymo* mirari. Numquam nos pudebit hujuſmodi homini non placuiſſe.

VII. Verùm fortè objicietur non temerè, atque ab aliud agente *Hieronymo* ſcriptum, *Hain* eſſe vocalem; quandoquidem inter nomina ex Geneſi, ſic habet ad vocem *Gomorra*: *Sciendum quòd* G *litteram in Hebraïco non habet*, *ſed ſcribitur per vocalem* AIN. Similia invenias in *Segor*, & in *Gaza*, non ſemel. Pariter in Libro de Situ & Nominibus Locorum,

ad

ad vôcem *Aggai: Sciendum*, inquit, *quod in Hebræo* G *litteram non habet*, *ſed vocatur Ai*, *ſcribitúrque per elementum quod apud eos dicitur Ain.* Sed quæ tandem hæc eſt vocalis, quæ in vocibus *Gomorra* & *Segor* O, in *Gaza* verò & *Aggai* eſt A? Non poteſt aliter excuſari *Hieronymus*, niſi dicatur maxima ἀκυρολογία eſſe uſus, & *vocalem* dixiſſe, non quæ reverâ vocalis eſſet, apud Hebræos, ſed quæ vocali Latinâ plerumque exprimi ſoleret; quia eſt ejuſmodi adſpiratio, qualem nullam habuerunt nec Græci, nec Latini. Hoc ſuadere videntur verba hæc præfixa libro de Nominibus Hebraïcis: *Non ſtatim ubicumque ex* A *littera*, *quæ apud Hebræos dicitur Aleph*, *ponuntur nomina*, *æſtimandum eſt ipſam ſolam eſſe*, *quæ ponitur. Nam interdum ex* AIN, *ſæpe ex* HE, *nonnumquam ex* HETH *litteris*, *quæ adſpirationes ſuas*, *vocéſque commutant*, *habent exordium.* Adſpirationes commutant in ſola Latina ſcriptura, in qua prætermittuntur; ſed *voces*, hoc eſt, *vocales* etiam in Hebraïca. Similiter loquitur de adſpiratione litterarum ח & ע, in Commentario in Cap. III. Ep. ad Titum; ubi loquens de Nominibus Hebraïcis;

F 5 *Si*

Si fortè, inquit, *erraverimus in accentu*, *in extenſione & brevitate Syllabæ*; *vel brevia producentes*, *vel producta breviantes*; *ſolent irridere nos imperitiæ*; (nempe, Judæi) *maximè in adſpirationibus*, *& in quibuſdam*, *cum raſura gulæ*, *proferendis. Hoc autem evenit quod* LXX. *Interpretes*, *per quos in Græcum ſermonem Lex divina tranſlata eſt*, *ſpecialiter* Heth *litteram &* Ain *& ceteras iſtiuſmodi*, *quia cum duplici adſpiratione in Græcam Linguam transferre non poterant*, *aliis additis litteris expreſſerunt. Verbi causâ*, *ut* Rahel Rachel *dicerent*, *&* Hieriho Hiericho, *&* Hebron Chebron, *&* Seor Segor. *In aliis verò eos conatus iſte deficit.* Videtur ergo intellexiſſe *Hieronymus* ע non eſſe vocalem ſed adſpirationem, cum raſura gulæ proferendam. Verùm mirum tamen eſt ab eo ita conjungi ח & ע, quaſi utraque eſſet duplex adſpiratio; quæ videtur eſſe poteſtas ſolius ח, unde factum ut LXX. Interpretes eam ſolam, non verò ע, Græco *Chi* exprimant. Mirum quoque eſt, prolatis Hheth & Hain, addi, *& ceteras iſtiuſmodi*, quaſi eſſent aliæ apud Hebræos adſpirationes, quæ Græcè exprimi non potuiſſent. Sed for-

fortè intellexit litteras *Tſade* & *Schin*, de quibus poſtea; ita ut τὸ *iſtiuſmodi* ſignet litteras omnes, quæ Græcè exprimi nequeant, non adſpiratas tantùm, quamvis alieno loco poſitum. Uſque adeò verum eſt Lectorem, aut imperitum, aut indulgentem, benignéque omnia interpretantem, & ſpectantem potiùs quid velit, debeátve dicere, quàm quid dicat, *Hieronymo* eſſe oportere, ut eruditionis ſuæ famam tueri poſſit!

VIII. Si Linguas Orientales inter ſe contuliſſet, quod faciliùs multò facere potuiſſet quàm nos, cùm non deeſſent in Palæſtina Syri & Arabes Chriſtiani, quos interrogare poterat; ab Arabibus didiciſſet litteras *Haïn* & *Gain* apice uno eſſe diſtinctas, unde collegiſſet facilè potuiſſe fieri, ut apud veteres Hebræos uni eidemque figuræ ע eſſent duo diſtincti ſoni attributi; ita ut nonnullis in vocibus mera eſſet gutturalis, ut etiamnum hodiè eſt apud Arabas; in aliis verò G ſonaret, & fortè quidem paullò aſperius quàm Γ Græcum, aut G Latinum, ut apud eoſdem populos. Alterutrâ autem ratione exprimenda eſſent vocabula docebat uſus, ex quo norant

עברי

עברי exprimendum non Γεβραῖον, ſed Ἑβραῖον, aut Ἑβραῖον.

IX. VERÙM hoc miſſo, audiamus quid alio in loco de vocalibus doceat *Hieronymus*, ex quo iterum liquebit non eſſe cur ei multùm in Grammaticis tribuamus. Sic ergo loquitur in Epiſtola ad *Evangelum* Monachum, quæ exſtat p. 570. Tomi II. Pariſienſis. *Nec refert*, inquit, *utrum* Sálem *an* Salim *nominetur*, *cùm vocalibus in medio litteris perrarò utantur Hebræi; & pro voluntate Lectorum, ac varietate regionum, eadem verba diverſis ſonis atque accentibus pronuncientur.* Vocales litteras hîc videtur vocare quieſcentes אהוי, quæ *matres lectionis* vulgò vocantur, quòd multùm adjuvent lectionem, ut omnes norunt. Agit enim de י omiſſo in voce שלים, quod ſi exprimatur, legendum *Salim*. Verùm imperitus Lector hinc collegerit à fine, aut ab initio vocum frequentiùs eſſe vocales, apud Hebræos, quandoquidem obſervat *Hieronymus* eos *vocalibus in medio litteris perrarò uti*; quid enim hæc ſibi volunt, ſi idem æquè rarò aut numquam fiat ab initio & à fine? Atqui, ſi accuratè loquamur, falſum eſt, ullas fuiſſe priſcis Hebræis vocalium figuras, quæ ſeor-

ſeorſim ſonum ſuum obtinerent, cùm & gutturales & quieſcentes omnes ſint verè conſonantes. Quòd ſi negligentiùs & Hieronymiano more, loqui velimus, falſum quoque eſt rarò adhiberi *vocales*, hoc eſt, gutturales & quieſcentes in mediis vocibus, ut omnes norunt. Ut de ſola littera *Jod*, de qua agebat *Hieronymus*, loquar, quis ignorat eâ formari pluralium omnium maſculinorum & conjugationis Hiphil, ut cetera omittam, terminationem? Hæc, aliáque ſimilia cùm expendo, non capio quî magna peritia Linguæ Hebrææ ei poſſit tribui, qui in rebus adeò notis offendat. Quinimò interdum ſuſpicor, penum omnem eruditionis Hebraïcæ Bethlehemitici Aſcetæ ſitum fuiſſe in Hexaplis Origenianis & iis quæ ſubinde accipiebat à Judæis, quos ubi opus erat conſulebat. Quæ ſuſpicio ſequentibus magis confirmabitur.

X. NIHIL eſſet quod præterea de litteris Alphabethi diceremus, niſi explicanda eſſent nonnulla quæ habet *Hieronymus* de littera ש *ſchin*, & quæ minimè intellexit nuperus ejus Editor. Sic autem loquitur ante Nomina à littera S inchoata atque in Geneſi occurrentia: *Apud Hebræos, tres S*

ſunt

ſunt litteræ; una quæ dicitur SAMECH *& ſimpliciter legitur quaſi per* S *litteram deſcribatur: alia* SIN, *in qua ſtridor quidam non noſtri ſermonis interſtrepit: tertia* SADE, *quam noſtræ aures penitus reformidant.* Item in Cap. III. Ep. ad Titum, eo loco cujus antea initium protulimus: *Nos & Græci unam tantùm literam* S *habemus, illi verò tres*, SAMECH, SADE *&* SIN, *quæ diverſos ſonos poſſident.* Iſaac *&* Sion *per* SADE *ſcribuntur*; Iſraël *per* SIN, *& tamen non ſonat hoc quod ſcribitur*; Sehon *Rex Amorrhæorum per* SAMECH *litteram & pronunciatur & ſcribitur.* Hinc colligere poſſe videmur figuram ש ſemper pronunciatam ut CH Gallorum, SH Anglorum, & SCH Germanorum; nam in voce *Iſraël* eſt ש, quod tamen Maſſorethæ inſtar Samech pronunciandum cenſuerunt; ſed malè, ut liquet ex hoc loco *Hieronymi*, & Etymologia à nobis allata ad Geneſ. XXXII, 28. Itaque veteres Hebræi nullam litteram habuiſſe videntur, quâ exprimerent ſonum S Latini, præter Samech.

Verùm cùm eſſent vocabula planè diverſi ſignificatûs, & diverſæ prolationis, eodem modo ſcripta, inter

quæ

quæ nonnulla conſtant partim litterâ *ſchin*; conſuetudo obtinuit, quæ quo tempore cœperit non conſtat, ut lineolæ, inſtar accentuum, nonnullis vocibus imponerentur, ut ab aliis iiſdem litteris ſcriptis, ſed diverſi ſignificatûs diſtinguerentur. Quales lineolas videmus etiamnum plurimas in Samaritico Codice, de quibus adeatur vir doctiſſimus *Chriſtoph. Cellarius* Grammaticæ Samariticæ Cap. II. Has aut ſimiles lineolas vocavit *Hieronymus accentus*; quòd nihil inveniret ſimilius, in notioribus Linguis. Sic Quæſt. in Geneſ. Cap. II, 23. de voce אישה, poſt allatam *Symmachi* verſionem: *Porrò*, inquit, *Theodotio aliam Etymologiam ſuſpicatus eſt, dicens* hæc vocabitur adſumtio, quia ex viro ſumta eſt, *poteſt quippe* ISSA, *ſecundùm varietatem accentûs*, & adſumtio *intelligi.* Nimirum, norat occurrere lineolas, ad diſtinguendas ambiguas voces, quamquam in hoc ſingulari exemplo errabat. Nam ab איש, ſcribitur אישה, *iſchah*; ſed à נשא ſi ſimilis vox deduceretur, ſic pingeretur, אשא *iſſcha*; deinde poſterior hæc vox nuſquam exſtat. In Comment. in Cap. XII. Eccleſiaſtæ: *In Jeremiæ principio verbum* SOCED (שקד

(שָׁקֵד *ſchaked*) *ſi varietur accentus*, & nucem *ſignificat* & vigilias. Similia occurrunt ad Cap. XXVII. Ezechielis.

Exiſtimat *Martianæus* ſignificari punctum diacriticum alterutri cornuum litteræ ש nunc impoſitum; ſed *punctum* dixiſſet *Hieronymus*, potiuſquàm *accentum*, memoraſſétque cornua litteræ *Schin*, eo inſignita. Nec ſi fuiſſet, ejus tempore, diſcrimen inter *Sin* & *Schin*, rem reticuiſſet, cùm de hac littera loquutus eſt; cui, ut vidimus, unicum ſonum tribuit. Præterea ſi jam inſtitutum fuit hoc diſcrimen, non eadem diſcriminatio vocum fuit, quæ nunc eſt; legebat enim, ut oſtendimus, *Iiſchraël* ישראל, non *Iiſraël*, ut nos, per Sin. In Quæſtionibus Hebraïcis ad Geneſ. Cap. XXVI. 32, 33. contrà videtur innuere vocem, quæ ſcripta eſt per ש Schin, cum puncto dextro, pronunciatam eſſe ab Iſaaco quaſi ſcripta eſſet per Samech. *Licèt enim ſupra*, inquit, *ex verbo juramenti*, *ſive ex ſeptenario ovium numero*, *quod* SABEE *dicitur*, *adſeruerimus* BERSABEE *appellatum*; *tamen nunc*, *ex eo quod aqua inventa eſt*, *Iſaac ad nomen civitatis quæ ita vocabatur alludens declinavit paullatim*

litte-

litteram, *& pro ſtridulo Hebræorum* SIN, *à quo* SABEE *incipitur*, *Græcum Sigma*, *id eſt*, *Hebræum* SAMECH *poſuit.* Si noviſſet *Hieronymus* duplicem pronunciationem ש ש, debuiſſet hîc ejus memor eſſe, & dicere duplicem SIN eſſe apud Hebræos. Sed Judæus, à quo Traditiones Hebraïcas accepit, videtur legiſſe, hoc certè in loco, שבע סבע *ſabee*, quamvis aliter ſentiat * *Martianæus.* Profertur quidem ab eo *textus Hebraïcus hodiernus*, *in quo*, inquit, *nomen* Sabee *ſemper ſcribitur per Sin quod ſtridulum dicit Hieronymus*, *ſive* ſeptem, *ſive* juramentum, *ſive* abundantiam *ac* ſatietatem *ſonet.* *Nihil enim differt*, inquit, *Sabee Geneſ.* XXVI, 33. *ab eodem Sabee Cap.* XXI, 30. Poſterius hoc verùm eſt, ſed eodem modo utrobique ſcribitur, quia utrobique manifeſtò ſignificatur *Juſjurandum*; quod intellexiſſet *Hieronymus*, ſi attentiùs Moſem legiſſet. Ceterùm falſum eſt, in Codicibus punctis inſtructis, vocem שבע eodem modò ſcribi cùm *ſatietatem* & cùm *juſjurandum* ſignificat; poſterior enim ſignificatus ש ſtridulo, hoc eſt, Schin, non Sin, exprimitur; prior Sin, quod idem ſonat ac Samech, ut poſtea à ſe diſ-

* *Pag.* 299. *Com. in Lib. Nom*, *T. II. Hieron.*

ſentiens fatetur *Martianæus.*

At hîc contendit duplicem ſonum ש *ש* veteribus Hebræis non fuiſſe ignotum, *Hieronymúmque* voce *accentus* intellexiſſe notam diacriticam utriuſque pronunciationis. Non dicam liquere eum falli, ex iis quæ antea diximus; ſed proferam alium *Hieronymi* locum, de hac ipſa voce, ex quo manifeſtum eſt ambiguitatem vocis שבע, non varietate pronunciationis, ſed ſenſu diſcutiendam fuiſſe. Sic loquitur in Quæſt. Hebraïcis ad Gen. XLI, 29. *Miror quomodo verbum Hebraïcum* SABEE, *quod nos ſuprà* abundantiam *ſive* ſatietatem, *in puteo, quem foderunt poſtremùm ſervi Iſaac, interpretati ſumus, nunc* LXX. *rectiſſimè transferentes, ibi* juramentum *interpretati ſunt*; *cùm & juramentum & ſeptem, & ſatietas, & abundantia, prout locus & ordo flagitaverint, poſſit intelligi.* Hîc memoranda erat diverſitas pronunciationis, ſi nota fuiſſet. Mirum autem eſt *Hieronymum* mirari ita vertiſſe Gen. XXVI, 33. LXX. Intt. nam, inſpecto loco, liquidum eſt ita eos vertere debuiſſe; cùm reſpiciat Iſaacus ad *jusjurandum* mutuum cùm ipſius, tum Abimelechi, eo die datum, quo die in-

inventa in effoſſo puteo eſt aqua.

Suſpicor *Hieronymum* Codicem Hebræum, dum hoc Opus conſcriberet, non ſemper præ oculis habuiſſe; quo factum, ut memoria eum fefellerit, niſi hujuſmodi commiſſa tribuenda ſint Judæo Doctori. At profectò cùm, in Epiſtola ad Fabiolam, nomen manſionis primæ רעמסס *rahmeſés*, interpretaretur, non *commotionem turbulentam*, aut *amaritudinem*, *commotionémque tineæ*, ſed, ut loquitur, *veriùs æſtimaret exprimi tonitruum gaudii*, exiſtimabat vocem ſcribi hoc modo רעמשש *rahmeſcheſch*, nam שוש eſt, *hilarem eſſe*, non סוס. Scio quidem in noſtris exemplaribus, eſſe punctum ſiniſtrum in ea voce, ſed more antiquo legendum.

HÆC ſatis ſupérque, de litteris Alphabethi Hebraïci, de quarum nonnullis abſurdè ac variè loquutum *Hieronymum* vidimus, atque in errorem abduxiſſe ſuum Interpretem; cujus erat monere Lectores minùs peritos, ne *Hieronymo* crederent aut erranti, aut certè parum accuratè loquenti. Quod ut fieri poſſet, oportuiſſet à Monacho Benedictino majorem operam datam fuiſſe litteris Hebraïcis, nec quidquam antiquius Veritate haberi.

XI. Nunc veniamus ad conſtructionem Nominum, cujus hæ duæ ſunt potiſſimæ regulæ, oportere cum ſubſtantivo adjectivum convenire genere; & adjectivum quidem poſtponi. Conſtat etiam perpetuo uſu nomina numeralia, quæ *ordinalia* dicuntur, formare fœmininum in י׳ת *ith*, excepto ראשׁנה *prima*. Sic à חמשׁ hhameſch, *quinque*, formantur חמשׁי hhamiſchi, *quintus*, & חמשׁית hhamiſchith, *quinta*. Quod ſi ignoret *Martianæus*, legat *Joannis Buxtorfii* Theſaurum Lib. II. c. 1. & Gram. *Th. Erpenii* Lib. III. c. 7. Res enim uſque adeò nota eſt, ut tempore abutatur, qui eam poſt Grammaticos probare aggrediatur. Attamen *Hieronymus*, ſi credimus MSS. Codicibus *Martianæi*, exiſtimavit *quintam generationem* dici poſſe Hebraïcè חמישה דור *hhamiſcha dor*, cùm vox דור ſit generis maſculini, & neceſſe ſit dici דור חמישי *dor hhamiſchi*; ut Concordantiæ docebunt, ſi iis conſultis, in re clara, opus ſit. Sic enim habet *Hieronymus*, in Epiſtola ad *Damaſum: *Si eſſet* quinta generatio, *ſermone legeretur illorum* AMESA DOR. In margine adſcripſit Editor חמישה דור *hhamiſcha*

* *Tom. II. p.* 567.

miſcha dor. Quod idem eſt ac ſi dicerem Latinè *quinta annus*, aut aliquid deterius. *Amerbachii* fratres, qui Editionibus Eraſmianis addiderant voces Hebraïcis characteribus ſcriptas, ediderant hunc locum ad normam Grammaticæ Hebraïcæ. Sed eos ita caſtigat *Martianæus: Vitiatus omnino hic locus, in editis antea libris; nam pro* חמישה דור ameſa dor, *ut poſuit Hieronymus, genus mutarunt & ordinem verborum, legentes* דור חמישי dor amiſi *genere maſculino, contra fidem omnium Codicum MSS. Epiſtolæ ad Damaſum.* Illi, nimirum, exiſtimationi *Hieronymi* conſultum volebant, quam hîc imprudens prodit *Martianæus*; qui, ſi probè inſpexit MSS. Codices, nos docet hîc triplex, quod diximus, peccatum ab *Hieronymo* admiſſum eſſe; quod ſi in ludo litterario Latinè committeretur à pueris, non effugerent ferulam.

Attamen exiſtimo MSS. Codices hîc habere quod ſcriptum voluit *Hieronymus*, & bonâ fide citatos ad teſtimonium à *Martianæo*. Perſuadet hoc ejuſdem generis peccatum quod proximè antecedit. Agens enim de voce חמשים *hhamuſchim*, quæ occurrit Exodi XIII, 8. ita loquitur: *In reliqua*

parte, *interpretationes non diſcordant*; *omnis pugna de verbo eſt* AMUSIM, *quod his litteris ſcribitur*, *heth*, *mem*, *ſin*, *iod*, *mem*, *utrúmnam* quinque, *an* munitos *ſonet*. *Et quidem* quinque *hoc ſermone dici negare non poſſumus*, *non* quinta, *ut illi interpretati ſunt ſingulari* At nos pernegamus חמשים, quibuſcumque punctis afficiatur, ſignificare *quinque*; & omnes, quibus non ignota ſunt elementa Linguæ Hebraïcæ, norunt חמש *hhameſch* quidem eſſe *quinque*, חמשים *hhamiſchim* verò aut *quintos*, aut *quinquaginta*.

XII. NE autem videar ſolus ita ſentire de eruditione Grammatica *Hieronymi*, proferam nonnulla huc facientia ex Biblicis Exercitationibus *Joannis Morini*; quæ ille quidem alio conſilio ſcripſit, ſed non minùs confirmant noſtram ſententiam; quamvis omnia quæ habet non probemus. Sic ergo ille Lib. II. Exercit. XV. C. III. ubi probare aggreditur *Hieronymo* Grammaticam fuiſſe ignotam. „Nonnullis, inquit, * exemplis iſta illuſtrari poſſunt. *S. Hieronymus* Traditionibus in Geneſ. ad hæc verba „Geneſ. VI. *Filii Dei*, ſcribit: *Verbum Hebraicum* Eloim *communis eſt* „*nu-*

* §. 2.

„ *numeri*, *& Deus quippe & Dii ſimi-*
„ *liter appellantur.* Et Epiſt. CXXXVI.
„ ad Marcellam: *Scire autem debemus*
„ *quòd* Eloim *communis numeri ſit,*
„ *quòd & unus Deus ſic vocetur & plu-*
„ *res, ad quam ſimilitudinem cœli quo-*
„ *que vocantur & cœlum, id eſt,* Sa-
„ maïm. *Cujus rei exemplum nos in*
„ *Lingua noſtra habere poſſumus; Athe-*
„ *nas, Thebas, Salonas.* Putat *Elohim*
„ non dici ſingulariter, ſed plurali nu-
„ mero ſingularem etiam ſignificare,
„ ut שמים. *Eloah* tamen ſingulare eſt
„ non ſemel in Scriptura uſurpatum,
„ ut apud Habakuk non ſemel, ſed
„ potiſſimùm apud Danielem. Refu-
„ git forſan hoc dicere *Hieronymus*,
„ eò quod אלה, abſentibus punctis,
„ ſæpe uſurpatur, ſed *exſecrationem*
„ ſignificat, aut exſecratus eſt. Ve-
„ rùm ſi puncta illi fuiſſent cognita,
„ facilè unum ab alio diſtinxiſſet;
„ *Eloah* enim Deum ſignificat, *Alah*
„ verò exſecrationem. Noverat qui-
dem *Hieronymus*, dici אלה *elóah*, aut
ut pronunciabat, *elohe.* Sed ſi peritus
Grammaticæ Hebraïcæ fuiſſet, num-
quam dixiſſet *Elohim* eſſe numeri
communis; ſed tantùm pluralis; cui
tamen ſubjecta eſſet ſingularis pote-
ſtas, ut τῷ אלה, quod eſt ſingularis

numeri. Verùm qui non arte & viâ, ſed excercitatione tantùm & uſu Linguam didicerunt ſæpe id quod ſciunt neſciunt.

XIII. „In eadem, inquit, Epiſto„la, agens de nominibus Dei: *Deinde Eloim* אלהים, *& Eloe* אלהי, „*quod & ipſum Deus dicitur.* Non „diſtinguit inter formam nominis ab„ſolutam & conſtructam. Quod pluribus explicat *Morinus*, ſed fallitur; quia pro voce אלהי, hîc ab *Amerbachiis* perperam addita, fuiſſet addenda אלה, quam *Hieronymus* legebat *Eloe*; ut rectè, poſt *Joannem Druſium*, obſervavit *Joan. Martianæus.* At felicior eſt *Morini*, quæ proximè ſequitur, animadverſio. „Ita „Michææ V, 4. *ubi nos poſuimus pri„mates homines, & in Hebraico ſcri„ptum eſt* naſiche adam (נסיכי ארם.) „*Symmachus interpretatus eſt*, χειςοὺς „hominum: *Theodotio & Quinta E„ditio*, principes hominum. Eadem, „inquit *Morinus*, Grammaticæ igno„ratio. נסכי nomen eſt conſtructum, „& ita interpretati ſunt *Symmachus*, „*Theodotio* & *Quinta Editio*, LXX. „quoque, qui verterunt, *morſus ho„minum*. Non diſtinxit *Hieronymus* „inter formam abſolutam & con-

ſtru-

„ſtructam, ſeu quæ eſt in regimine „&c.

XIV. „In Traditionibus ad Ge-„neſ. xxiv, 43. diſputat de nomine „*Alma* contendítque de *virgine* tan-„tùm dici, atque id probat ex Jobi „xxviii, 21. *Habet Etymologiam* ἀπό-„κρυφος, *id eſt*, abſcondita, *ſcriptum* „*ſiquidem eſt in Job :* Sapientia unde „invenietur ? Et quis locus intelle-„ctûs? & abſcondetur ab oculis om-„nis viventis. *Ubi nunc diximus* abſ-„condetur, *in Hebræo*, *propter decli-„nationem verbi* , *aliter figuratum* „naalma *dicitur*. Prævenire vult ob-„jectionem, ibi haberi *naalma* , non „*alma* , de qua dictione diſputatio „eſt, dicitque additionem τοῦ *na* factam „propter verbi declinationem. Si „fuiſſet aliqua Judæis, ſi *Hieronymo* „Grammaticæ cognitio, non obvium „erat illi dicere, eadem Radix & ſig-„nificatio quæ *alma*? &c.

XV. „Epistola ad Suniam & „Fretelam ad Pſ. cvii. *Ita apud om-„nes invenimus tranſlatores*, ἐμοὶ ἀλ-„λόφυλοι ἐφιλίασαν, id eſt, *amici facti* „*ſunt*, *quod Hebraicè dicitur Ethroe.* „Si Grammaticalia noſtra edoctus „fuiſſet *Hieronymus* , quàm multa „dixiſſet? Hebraïcè ſic nunc legitur

„אתרעע, ut legit. Dixiſſet primam „eſſe perſonam futuri Hithpaël; ſigni„ficationem iſtius conjugationis eſſe „reciprocam; verbum iſtud poſſe „multipliciter derivari, propriè à רוע „*vociferari*, quod in Hithpaël eſt „clangere, jubilare; à רעע *frangere*, „atque à רעה, quod ſignificat & „*paſcere* & *amicum eſſe*. Ipſe hanc „ultimam ſignificationem accepit, „quam alii quoque Tranſlatores ac„ceperant. Sed ſic interpretantes le„gere non poterant אתרעע, verùm „יתרעו, quod *S. Hieronymus* feſtinans „non animadvertit. Fallitur tamen hîc *Morinus*, neque enim verterunt Interpretes illi ad verbum, ſed ſenſum expreſſerunt; nam *cum Palæſthina fœderabor*, & *mihi amici facti ſunt Philiſthæi*, idem ſonant, exceptâ diverſitate temporis, quæ hîc tanti non eſt. Sed ſi potuiſſet *Hieronymus* conjugationem notare, ſine dubio feciſſet.

XVI. „EPISTOLA CXXXIX: „ad Cyprianum; *Error perſpicuus eſt* „*cur pro diebus*, LXX. *dextram dixe*„*rint*. JAMENU *quippe verbum compo*„*ſitum eſt*, *ſignificans* dies noſtros; „*quod in ſingulari numero ſi ſcribatur* „*extremâ litterâ*, *quæ appellatur* NUN,

ex-

„*exprimit dextram*, *ſicut eſt illud in* „*nomine* Benjamin, *qui interpretatur* „filius dextræ. *Sin autem* MEM *ha-* „*beat*, dies, *vel* diem *ſonat*. Sanè ſi „Grammaticæ periti fuiſſent Judæi, „qui illum docuerunt, omnino aliter „ſcripſiſſet, ימינו eſſe cum affixo pri- „mæ perſonæ pluralis. Pronomina „poſſeſſiva in unam dictionem cum „dictionibus coaleſcere, & ideò dic- „tionis ultimam litteram abſorberi, „multáque alia ejuſmodi, quæ ex „Grammaticis diſcantur. Sed ſem- „per reſpondet *Hieronymus*, ut ple- „beius, qui linguæ vernaculæ, quam „aliàs optimè callet, nullam eſt ar- „tem edoctus. Atqui eâ ratione grà- viter ſubinde peccat, nec à locis paul- lò impeditioribus ſe ſe expedit, quia Cynoſura Grammaticæ caret; ne jam dicam eum multùm abfuiſſe ab ea pe- ritia Linguæ Hebraïcæ, quæ fuit iis quibus erat vernacula, quamquam Grammaticæ ignaris.

XVII. IN Michæam C. VII, 12. „*Ubi* LXX. *interpretati ſunt* de Tyro, „*ſciamus in Hebraico ſcriptum eſſe* „MASOR, *quod verbum*, *ſi in præpo-* „*ſitionem* MA, *& nomen* SOR *divida-* „*tur*, *de Tyro intelligitur. Sin autem* „*unus ſermo ſit*, munitionem *ſonat*.

„Sanè

„Sanè מן præpoſitio eſt, cùm à di-
„ctione disjungitur; cùm verò con-
„jungitur, Nun eliditur & pronun-
„ciatur cum vocali Chirik parvo;
„cùm autem מצור eſt per ſe dictio
„Mem pronunciatur per A, ſeu Ka-
„mets. Iſta & ejuſmodi non omiſiſſet
„Hieronymus, ſi Artis Grammaticæ
„tum fuiſſet apud Judæos aliqua me-
„moria. Vix tamen eſt credibile lit-
teræ Nun eliſionem non eſſe pecu-
liari pronunciatione olim ſignifica-
tam; cùm hoc nitatur naturâ ipſâ
Linguæ Hebraïcæ, quæ non patitur
elidi conſonantem, niſi ſequente du-
plicatâ.

XVIII. „In Cap. 1, 8. Nahum:
„*Verbum* MAKOMA, *quod nos inter-*
„*pretati ſumus* loci hujus, *omnes in*
„*duas orationis partes diviſerunt*, *ut*
„MA *in præpoſitionem* de *verterent*,
„id eſt, ἀπὸ KOMA *ſurgentes interpre-*
„*tarentur* &c. *Solus Symmachus cum*
„*noſtra interpretatione conſentit.* Eadem
„quæ prioris ratio. Deinde ceteri om-
„nes, præter *Symmachum*, qui ver-
„terunt plurali numero cum præpoſi-
„tione, alio modo legerunt quàm
„*Hieronymus*, ſcilicet, מקמיה, Aqui-
„la ἀπὸ τ͂ ἀνιςαμένων, מקמים *mikka-*
„*mim*; LXX. qui verterunt *conſur-*
„*gen-*

„*gentes*, מקוממים *mkomemim*, aut
„מקימים *mkimim.* Alii legerunt
„participium præſens Kal, alii parti-
„cipium præſens Pyhel aut Hiphil.
„Sed quomodo aliquid horum dixiſ-
„ſet *Hieronymus*, cùm nondum ali-
„quid horum eſſet à Judæis inven-
„tum? Quidquid ſit, nulla harum in-
„terpretationum convenire poteſt
„cum lectione *Symmachi* & *S. Hiero-*
„*nymi*, quæ eadem eſt cum hodierna.
„Nec diverſitati lectionum ſatisfacit
„diſtinctio præpoſitionis מ à dictione
„קומה, quæ nihil aliud eſſe poteſt,
„quàm infinitivus, vel imperativus
„cum ה paragogica, aut nomen quod
„altitudinem & erectionem ſignificat.
„Hæc ex innumeris, quibus Hiero-
„nymiana Scripta paſſim abundant,
„electa ſunto. Hæc vir doctiſſimus,
quibus nihil verius eſſe ſciunt qui
Hieronymi opera legerunt, aut ejus
Tranſlationem cum Hebraïco Codi-
de ſtudioſè contulerunt; quæ tamen,
ut & alia ſimilia, ne tentavit quidem
confutare *Martianæus.* Sed & nos alia
certiſſima imperitiæ Grammaticæ ex-
empla proferemus poſtea, aliud agen-
tes.

XIX. UNUM dumtaxat hîc adji-
ciemus, ex Quæſtionibus Hebraïcis,
ex

ex quo liquebit *Hieronymo* non ſatis notam fuiſſe vim temporum Hebraïcorum. Sic ergo habet, ad hæc verba Veteris Latinæ Verſionis ex LXX. Intt. *Et conſummavit Deus in die ſexto opera ſua quæ fecit*, Gen. II, 2. *Pro die ſexto, in Hebræò habet diem ſeptimum. Arctabimus igitur Judæos, qui de ocio Sabbathi gloriantur; quod jam tunc in principio Sabbathum diſſolutum ſit, dum Deus operatur in Sabbatho, complens opera ſua in eo, & benedicens ipſi diei, quia in illo univerſa compleverit.* Non dicam Judæos potuiſſe reſpondere vertendum eſſe *intra diem ſeptimum*, quemadmodum nos fecimus; ſed tantùm verbum Hebraïcum ויכל *vaichal*, ut & Græcum συνετέλεσε, tam ſonare *abſolverat*, in pluſquàm perfecto, quàm in perfecto *abſolvit*; quia notum eſt Hebræos pluſquàm perfecto carere, quod exprimunt promiſcuè aut præterito, aut futuro. Ita verò intelligendum locum, cùm rem ipſam oſtendere, tum etiam diſerta Decalogi verba Exodi XX, 11. *Sex diebus, cœlos & terram & mare & quæcumque in iis ſunt perfecit Jehova, diéque ſeptimo quievit; qua de cauſa, diei Sabbathi benedixit Jehova, & ſanctum eſſe voluit.* Talia reſponden-

dentibus Judæis, *arctatus* ipſe fuiſſet *Hieronymus*, qui improvidè eos *arcta-re* voluit.

XX. Ex hiſce ſatis jam liquet Grammaticam peritiam fruſtra in *Hieronymo* quæſitum iri, ac proinde procul eum abfuiſſe à ſumma illa eruditione Hebraïca, quam liberali manu ei largitur *Martianæus*; niſi fortè putet Linguam demortuam, nec uſquam extſtantem, niſi in uno volumine, poſſe perfectè ſine regulis Grammaticis intelligi. Quod ſi exiſtimaret fieri poſſe, non eſſet operæ pretium tam abſurdum errorem à nobis confutari; cùm vel pueri intelligant nugari eos, qui talia affirment. At quæret fortaſſe, quî *Hieronymus*, ſine Hebraïcæ Grammaticæ cognitione potuerit Vetus Teſtamentum non admodum malè convertere? Facilis eſt reſponſio. Uſus eſt Verſionibus Græcis, quas habebat in Hexaplis *Origenis*, eámque ſequutus eſt, quæ optima ei videbatur. Uſus eſt auxilio Judæorum, quos ſæpe laudat, & ad quos confugiebat, ſi quid obſcurius occurreret. Sed cùm nec Veteres Interpretes Græci, nec præceptores Judæi *Hieronymi* aliter legerent Hebraïca, quàm traditione & con-

ſue-

ſuetudine, ſine ullius Grammaticæ ſubſidio, omnes ſæpe errarunt, præſertim in locis obſcurioribus; ubi ab iis Grammaticas leges omnes, eáſque certiſſimus, perfringi, in noſtris ad Vetus Teſtamentum Commentariis, oſtendimus, ut vel Index Pentateuchi noſtri abundè docebit; nec, in vertendo, ſatis conſtantes fuerunt.

QUÆSTIO V.

Quanta fuerit HIERONYMO *Linguæ Hebraïcæ cognitio, in iis quæ ſpectant ad ſingulorum vocabulorum ſignificatum.*

I. SATIS conſtat, apud Græcos, jam à multis ſæculis, fuiſſe *Gloſſographos* qui ordine alphabethico interpretati erant obſcuriores voces, quæ in antiquiſſimis & nobiliſſimis Græcorum Scriptoribus occurrebant. Quod ſi quis ignoraret, diſcere poſſet cùm ex aliis virorum eruditorum Scriptis, tum ex Critica Diſſertatione, quam *Harpocrationi* adjecit olim vir

vir doctiſſimus *Phil. Jacobus Mauſſacus.* Apud Latinos, idem tentatum oſtendunt libri *Sexti Pompeii Feſti.* Hæc aliáque id genus videntur debuiſſe monere Judæos, Chriſtianóſque Linguæ Hebraïcæ ſtudioſos, ut ſimile quidpiam aggrederentur; quò faciliùs ac tenaciùs vocum Hebraïcarum ſignificationes addiſcerent, atque ad poſteros certiùs tranſmitterent: quemadmodum hodie fieri videmus. Attamen nihil ſimile ab iis factum conſtat, non modò quia nihil tale memorat *Hieronymus*; ſed etiam quia nec ipſe, nec LXX. Intt. conſtantes fuerunt in verſione vocum, quas variè verti varietas rerum ac ſententiarum non poſtulabat; quia voces affinis ſoni, quamvis aliter ſcriptas, miſcet *Hieronymus*; quia multa, contra certiſſimum Linguæ Hebraïcæ uſum, malè vertit; quia denique Radices à derivatis non ſatis diſtinguit, nec derivationum analogiam obſervat. Ex quibus intelligere licet doctiorem, hac in parte, non fuiſſe hominem, quàm in Grammaticis Regulis, de quibus ad ſuperiorem Quæſtionem egimus. Horum autem omnium exempla nonnulla ſelecta proferemus, eáque potiſſimùm ex duobus primis ejus Operum

voluminibus, aut Commentariis ejus Interpretis petita.

II. SINGULARIS eſt varietas in Interpretatione Latina, quod attinet ad voces אלה *elah* aut *allah*, & אלון *elon* aut *allon*, atque in hac loquutione אלון מורה *elon moreh*; qua in re, partim quidem *Hieronymo* præivere LXX. Intt. partim etiam ſolus aberravit; quòd carerent Lexico, ex quo intelligerent quid conſtanter ſingulæ voces ſignificent, nec ſatis memores eſſent rationis, quâ antea eas converterant. Nec dixeris varietatis illius non eſſe inſimulandum *Hieronymum*, ſed vetuſtiorem Interpretem Latinum, quem emendare aggreſſus eſt. Nam aut ubique debuit mutare ſignificationem quam improbabat, aut nuſquam; niſi peculiari quapiam ratione ad eam ſervandam adigeretur, ut ſi loci circumſtantiæ oſtenderent inſolito ſignificatu vocem ſumendam. LXX. Interpretes dictionem אלה *alah* verterunt τερέβινθον arborem reſiniferam, Geneſ. XXXV, 4. Joſ. XXIV, 26. 1 Sam. XVII, 2. Iſai. I, 3. VI, 13. At iidem haud minùs frequenter βάλανος aut δρῦν, hoc eſt, *quercum* interpretati ſunt, quæ arbor eſt alius generis, ut Jud. VI, 11. 1 Sam. XVII, 19. 2 Sam.

XVIII, 9. &c. *Hieronymus* verò vertit *therebinthum* Gen. XXXV, 4. I. Sam. XVII, 2, 19. *quercum* reliquis locis allatis. Simili inconſtantiâ, vocem אילון *elon* interpretatur quidem *convallem* Geneſ. XII, 6. XIII, 19. XIV, 13. XVIII, 1. *quercum* verò Jud. IX; 6, 37. I. Sam. X, 3. quam tamen ſemper verterunt δρῦν LXX. Intt. excepto Jud. IX, 37. ubi habent Ἠλών.

III. QUÆ cùm ita ſint, mirum eſt *Hieronymum*, in Traditionibus Hebraïcis ad Gen. XXI, 30. hæc habere: *Notandum autem & ex prioribus & ex præſenti loco, quòd Iſaac non ſit natus ad quercum Mambre* (quod ſolet vertere *convallem Mambre*) *ſive in* AULONE *Mambre, ut in Hebræo habetur*. Quò verò loco? Nullo, in noſtris certè codicibus; neque in antiquis Interpretibus, quoad quidem ex eorum verbis colligi poteſt; quo fit ut credam aut mendosè ſcriptum fuiſſe in Codice *Hieronymi* אולון pro אילון, aut eum fefelliſſe memoriam; unde nobis nata eſt commenticia vox Hebraïca *aulòn*, de qua alibi. Hoc eò credibilius eſt, quòd in libro de Nominibus Hebraïcis, inter nomina ex Geneſi deſumta, legamus ELOM (pro *Elon*) *regio campeſtris*, *aut quer-*

 cus,

cus, *aut roboreus*. *Elon* etiam legitur, in Nominibus è Levitico ſumtis. Præterea quamvis *quercus* poſſit eſſe in *valle*, ea nomina non ſunt idem.

IV. SOLET quidem *Hieronymus* vertere אילון מורה *elon moreh*, convallem illuſtrem; ſed cur Deut. XI, 30. interpretatus eſt *vallem tendentem & intrantem procul*? Videtur quidem eſſe periphraſis, quâ deſcribitur *Magnus Campus*; at minimè conſtat *quercetum More* fuiſſe in Magno Campo, neque licet vertere aliter, atque aliter, unum idémque nomen. Nec dicas ſecùs eum legiſſe quàm nos, nam מנרה hîc vertitur à LXX. ὑψηλὴ, quemadmodum alibi ſolent; unde intelligere eſt eos eadem ratione legiſſe, ac nos hódie. Obiter hîc obſervare poſſumus מורה, nuſquam alibi aut *altum*, aut *illuſtrem* ſignificare, ſed aut *ſagittarium*, aut *pluviam*, aut *doctorem*. Itaque ſi appellativa ſit vox, in hac loquutione אלון מורה fuiſſet vertendum *vallem ſagittarii*, aut *doctoris*, aut *pluviæ*; non fingenda vox, quæ nuſquam exſtat. Scio eam cenſeri deductam à LXX. Intt. ex verbo ראה *vidit*, quo factum, ut cùm priorem vocem verterent *quercum*, exiſtimarint hanc vertendam *altam*,

quia

quia conſpicuæ quercus ſunt altæ. Similiter *Hieronymus illuſtrem* interpretatus dicitur, quòd res illuſtres ad ſe oculos hominum convertant. Sed quid opus eſt inauditam vocem fingere & quidem contra Analogiam, cùm ſint uſitatæ, & analogicè deductæ à verbo ירה *jecit* ? Verùm de prava hac ratione vertendi poſtea agam. Interea hinc liquet veteribus Interpretibus analogicum Lexicon, qualia noſtra ſunt, defuiſſe.

V. INDIDEM factum, quod antea jam animadvertimus, ut errante memoriâ, litteras vocéſque, quarum non abſimilis eſt, apud Græcos, aut Latinos, pronunciatio confunderet ſæpe *Hieronymus*. Sic in Quæſt. Hebraïcis ad Gen. III, 14. עפר haphar, *pulvis*, & אפר epher, *cinis*, miſcet. *Terram manducabis: Pro terra*, inquit, APHAR *ſcriptum eſt, quod nos favillam & pulverem poſſumus dicere.* At *favilla* eſt אפר *epher*, non עפר *haphar*, quod ſemper *pulverem* terræ ſonat. Eodem in Libro ad Cap. XXX, 13. confunditur אשר aſcher, *felix* cum אצר *atſer*, hoc eſt, *recondente*, nimirum, theſauros, ſeu divite; vel cum עשר hoſcher *divitiæ*. Cùm in textu Veteris Latinæ Verſionis, poſt no-

nomen *Aſer*, additum eſſet *divitiæ*, quaſi interpretationis causâ, ſic eam notavit *Hieronymus*: *Malè additæ ſunt divitiæ, id eſt*, πλοῦτος, *cùm Etymologia nominis* ASER *Scripturæ auctoritate pandatur dicentis*: Beata ſum ego & beatificant me mulieres; *& ab eo quod beata dicatur ab hominibus, filium ſuum* beatum *vocaverit*. ASER *ergo non divitiæ, ſed* beatus *dicitur, dumtaxat in præſenti loco. Nam in aliis, ſecundùm ambiguitatem verbi, poſſunt &* divitiæ *ſic vocari*. Ambiguitas nullá eſt, in verbis Hebraïcè ſcriptis, ſed tantùm in Græca aut Latina prolatione. Deinde nomen אצר *atſer* nuſquam legitur in toto Vetere Teſtamento, ſed tantùm אוצר *otſar*, quod *apothecam* & *theſaurum* ſonat. Nec minùs abeſt vox עשר *hoſcher* ab *Aſcher*.

VI. POTUIT error ejuſmodi vitari ope Lexici, quod vacillantem memoriam & pravâ ſcriptione deceptam confirmaſſet, vel errantem in viam revocaſſet. Hinc quoque potuiſſet *Hieronymus* ea auxilia petere, quibus verum ſignificatum vocibus & loquutionibus tribuiſſet, eúmque ex ipſa Scriptura petitum, non à Judæo acceptum, aut ex fallace Tranſlatione hauſtum. Etenim

enim ex diligenti collatione locorum Scripturæ, in quibus eadem vox, aut loquutio legitur & quæ omnia nulla ſuppeditare ubique poteſt vel tenaciſſima memoria, intelligimus, ſine erroris periculo, quid ſignificent. Sin minùs, dum ratiocinationi indulgemus, contraria uſui Linguæ imprudentes ſcribimus. Cujus rei paulò plura exempla ex *Hieronymo* proferemus, ut vel hinc liqueat quantùm à perfectâ Linguæ Hebraïcæ cognitione abfuerit.

VII. IN Quæſtionibus Hebraïcis ad Gen. II, 17. prolatis verbis antiquæ Verſionis: *in quacumque autem die comederis ex eo, morte morieris*; ſubjicit: *Melius interpretatus eſt Symmachus dicens*, mortalis eris. Sed ne dicam hanc eſſe potiùs paraphraſin quàm verſionem, ne unus quidem locus eorum, ubi occurrit ea loquutio, qui ſunt ſanè magno numero, hanc interpretationem confirmat. Solet frequentiſſimè adhiberi in ſanctionibus Legum, in quibus ubique ſupplicium capitis ſignificat, nuſquam *mortalitatem*. Ad Capitis ſequentis verſ. 17. hæc verba: *maledicta terra in operibus tuis*; ſic interpretatur: *Opera hic non ruris colendi, ut plerique*

 pu-

putant, ſed peccata ſignificant, ut in Hebræo habetur, & Aquila non diſcordat dicens: maledicta humus propter te; & *Theodotio:* maledicta adama in trangreſſione tua. Ad hunc locum obſervavimus LXX. Intt. legiſſe בעבודך *bababodcha*, hoc eſt, in cultura tua, ſenſu non malo. Sed *Hieronymus* pro ד legit ר, & quemadmodum Maſſorethæ, בעבורך *bababourcha*, quod poſt *Theodotionem* interpretatur. ἐν τῇ παραβάσει σȣ, à verbo עבר *tranſgreſſus eſt*. Verùm ſi conſideraſſet loca, in quibus בעבור *bababour* legitur, aut cum affixis, aut ſine affixis; vidiſſet eâ voce ſimpliciter ſignificari *propter*, ſine ulla alluſione ad ſignificationem verbi עבר, & prætuliſſet verſionem *Aquilæ*, uſui perpetuo conſentaneam. Eſt quidem, fateor, idem ſenſus, ad ſummam rei quod attinet; ſed vim propriam interpretationum non eſt adſequutus *Hieronymus*, quod ex dictis facilè liquet; quidquid dicat *Martianæus*, qui non intellexit, cur *Hieronymus* hîc ab eruditis viris caſtigaretur.

VIII. Ex quo fonte *Hieronymus* hauſerit לאמים *laomim* dici poſſe φυλάρχȣς, hoc eſt, *principes multarum tribuum*, niſi à Judæo magiſtro, non in-

intelligo. Sic enim quoque interpretatur *Jonathan*, ſed contra conſtantem uſum vocis; quæ aut appellativè *populos* ſonat, aut ſingularem tribum Arabicam, ab Abrahamo oriundam. Principes populorum eſſent Hebraïcè שרי לאמים *ſchare leummim.*

Gen. XXVIII, 19. ita habebat vetus interpretatio: *Et vocavit Jacob nomen loci illius Bethel & Ulammaüs erat nomen civitatis priùs.* Antequàm dicamus, de iis, quæ habet *Hieronymus* ad hunc locum; obſervamus eſſe mendoſam lectionem MS. Alexandrini, quam ſequutus eſt *Hieronymus*, potiùs quàm emendatiorem MS. Vaticani, qui habet *Ulam luz*, ſecundùm Hebraïca verba אולם לוז *oulam louz*. Atqui manifeſtum erat ΟΥΛΑΜΛΟΥΖ facilè mutatum fuiſſe ab imperito librario in ΟΥΛΑΜΑΟΥΖ, mutato Λ in Α. Liquet hoc ex Libro de Situ locorum, ubi *Euſebius* in voce *Bethel* veram lectionem profert. Non puto *Hieronymum*, niſi dormitaret, ejuſmodi mendum tribuiſſe LXX. Interpretibus, cùm ex Græca ſcriptura ortum ſit. *Martianæi* erat monere, quod ab eo omiſſum fuerat, aut hîc, aut ad Loca Hebraïca; ſed videamus quid ad hunc locum habeat *Hieronymus*:

Vocat, inquit, *illam* Bethel, *id eſt, domum Dei, qui locus vocabatur ante* Luza, *quod interpretatur nux, ſive amygdalon. Unde ridiculè quidam verbum Hebraicum* ULAM *nomen eſſe urbis putant, cùm* ULAM *interpretetur* prius. *Ordo itaque iſte eſt lectionis*: & vocavit nomen loci illius Bethel, & prius Luza vocabulum erat civitatis. *Antiquæ omnes Scripturæ verbo* ULAM, *ſive* ELAM *pleaæ ſunt; quod nihil aliud ſignat, niſi* ante; *aut* prius, *vel* veſtibulum, *ſive* ſuperliminare, *aut* poſtes. Meritò quidem *Hieronymus* rejicit hîc Tranſlationem LXX. Interpretum, ſed fallitur, cùm putat, aut hîc, aut alibi אולם ſignificare *prius*. Si legiſſet integrum hunc locum Hebraïcè, cùm hæc ſcribebat, delenda illico vidiſſet, ſic enim habet Moſes ad verbum: *Vocavit nomen loci illius Bethel*, ואולם לוז שם העיר לראשנה *ſed* (veulam) *Luz nomen urbis erat priùs* (lariſchonah.) Ubi poſtrema vox manifeſtò ſignificat *priùs*, non verò *ulam*, quod non poteſt verti *prius*, ſine abſurda repetitione; nec ſanè debet, ex uſu Linguæ Hebraïcæ, ut in Commentario noſtro ad eum locum oſtendimus. Quod additur de altera ſignificatione vocum

אולם

אולם & אלים *elim*, id ad rem nihil facit; nuſquam enim eæ dictiones ſignificant *priùs* aut *antè*.

IX. NOMEN Nephthali, ita interpretatur *Hieronymus*, ut ſatis liqueat eum neſciviſſe ſignificationem Radicis, à qua deducitur. Sic enim habet recitatis verbis Hebraïcis Geneſ. xxx, 8. נפתולי אלהים נפתלתי, quæ Latinè ita in MSS. ſcribuntur: *nephthule elaim nephthalethi: Unde à converſione, ſive à comparatione, quia utrumque ſonat*, converſionem *ſive* comparationem, *nephthalim nomen filio impoſuit.* Non repetam hîc quæ dixi, in Commentario ad eum locum; ſed contendo nullum exemplum poſſe proferri, in quo verbum נפתל *niphthal* (nam in Kal non occurrit) ſignificet *convertere* aut *comparare*, niſi iis vocibus inauditam quamdam poteſtatem ſubjiciamus. Unde ergo, inquies, harum ſignificationum in mentem *Hieronymo* venit? Ex malè intellectis LXX. Interpretibus, qui habent: συναντελάβετό με ὁ Θεὸς, καὶ συνεστράφην, quod in hanc ſenſum accepit: *comparavit me Deus*, & *converſa ſum.* Quod quàm abſurdè fecerit, res ipſa docet; cùm præſertim נפתולי *nephthoule* nullâ ratione poſſit eſſe ver-

bum

bum actívum cum affixo primæ perſonæ; ex quo etiam intelligere eſt, quod antea pluribus demonſtravimus, elementa Grammaticæ Hebraïcæ *Hieronymo* parum fuiſſe nota. *Joannes* tamen *Martianæus*, adversùs rationes omnes Criticas imperterritus *Hieronymi* patronus, ſic eum defendere aggreditur. * *Pace*, inquit, *horum Criticorum dicere nobis liceat idem eſſe apud Hebræos, Græcos ac Latinos Interpretes, nec non apud Gallos & Vaſcones*, luctationibus Dei luctata ſum, *quod Aquilæ interpretatio*, convertit me Deus & converſa ſum. Egregios verò auctores, Gallos & Vaſcones, in quorùm vernaculi ſermonis uſu acquieſcamus, ubi explicanda eſt loquutio Hebraïca! Deinde *Aquilæ* verba malè vertit, quæ ſunt vertenda: *contorſit me Deus, & contorta ſum*, nam hæc propria eſt ſignificatio & Græci verbi συστρέφω, & Hebraïci נפתל *niphthal*, unde פתיל *filum*, aut *funiculus*, quæ contorto lino vel cannabi conſtant. Pergit tamen Benedictinus noſter, hiſce verbis: * *Id planè liquet, ſi meminerimus Rachelem, ſorori imparem fuiſſe inferiorémque apud virum ſuum Jacobum, antequàm ei peperiſſet filios,*

* *Pag. 523. Com. in Lib. de Nom. Hebr.*

filios, vel proprios, vel ex ancilla adoptivos. Poſtquàm autem matrisfamilias honore lætata eſt, in nativitate filiorum famulæ ſuæ Balæ, parem ſorori ſe ſe præbuit apud maritum, unde ajebat: comparavit me Deus cum ſorore mea & invalui. *Luctabantur ergo ſorores inter ſe ſe, prolis contentione, in qua lucta inferior erat Rachel aliquamdiu:* Cernens autem Rachel quòd infecunda eſſet, invidit ſorôri ſuæ; & ait marito ſuo, da mihi liberos, alioquin moriar. *Sed nato primùm Dan, ac deinde Nephthali, quæ prius invidiâ & infecunditate inæquabilis, & inferior remanebat, æqualis procreatione liberorum exſtitit ſorori Liæ, cujus vulvam Deus aperuerat* &c. *Comparaverat igitur Deus Rachelem cum Lia, quando minorem majori præſtitit æqualem gloriâ pariendi filios.* Hæc quidem oſtendunt aliquatenus quis ſenſus poſſit ineſſe verbis Vulgatæ Verſionis, ſi in ſe & ſeorſim ab Hebraïcis ſpectentur, qua de re hîc non agimus; ſed non oſtendunt Hebraïcorum verborum eam ſententiam eſſe. Non diſſimulabo tamen quod non reticuiſſet *Martianæus*, ſi ſciviſſet; nimirum, *comparare*, apud Latinos, dici de iis qui Athletarum paria eligunt, & Antago-

goniſtas inter ſe opponunt. Itaque ſi *Hieronymus* cogitaſſet hîc de luctâ, crederem hanc eſſe ejus mentem: Deus me comparavit certaturam cum ſorore, quam vici. Quam ſententiam eſſe putaſſet horum verborum, *luctationibus Dei luctata ſum*, non propriam tranſlationem. Sed ſi de hac re cogitaſſet, ejus in Traditionibus Hebraïcis meminiſſet. Verùm audiamus *Martianæum*: *Nam*, inquit, *apud Latinos*, contendere rem cum alia *idem valet ac* comparare; *rurſus* contendere & luctari *pro eodem accipiuntur*. At, bone vir, tunc temporis *contendere* idem eſt ac pugnare, non verò comparare. *Ex quo*, ſubjicit, *conſectarium eſt optimum apparere Etymologiam nominis* Nephthali, quod comparationem *ſonat*, *ſive* converſionem. Si hæc habeas, Martianæe, conſectarium ſuperiorum verborum debuiſti hîc dicere *contentionem*, aut, ut Dialectici loquuntur, plùs eſt in tua concluſione, quàm in præmiſſis; quo majus peccatum in ratiocinatione admitti non poſſe minimè ignoras. Pergit tamen: &, *eo ſenſu*, inquit, *quo apud vulgus Gallorum dicitur* retournez-vous, & *apud Vaſcones* tourne-te; *quod Latinè diceremus*,

contende, *luctare*, *dimica*, *par pari redde.* An ergo propterea *comparare* ſignificabit certare? An *convertere ſe*, perinde erit, apud Latinos, quia Galli & Vaſcones verbo *ſe retourner* utuntur, ἀντὶ τοῦ pugnando par pari reddere? An *Hieronymus* vocibus *comparatio* & *converſio* ideò certamen intellexiſſe in Traditionibus Hebraïcis cenſeri poteſt? Apud ſe hæc penſitet *Martianæus*; & intelliget quàm temerè hanc ſit defenſionem ingreſſus.

X. PERITIÆ cujuſvis Linguæ non ultima, imò potiſſima pars eſt cognitio propriæ ſignificationis ſingularum vocum & loquutionum, ita ut à tralatitiis rectè diſtinguatur. Videamus nunc an *Hieronymus*, hac in re, felicior fuerit, quàm in explicandis locis obſcuris. In* Epiſtola ad Fabiolam, ſic loquitur de pectore ſalutarium victimarum, quod in uſum Sacerdotum cedebat. *Ipſum quoque pectuſculum appellatur* ἐπιθέματος, *id eſt, additamentum, ſive præcipuum & egregium.* THENUPHA *quippe hoc magis ſonat.* Pernegamus primùm תְּנוּפָה *thenuphah* quidquam *præcipuum*, aut *egregium* ſignificare. Eſt tantùm *agitatio*

* *Tom. II. p. 575.*

tatio oblationis, certo quodam modo ad altare facta, de qua egimus ad Exod. XXIX, 24. Videtur in eam cogitationem incidiſſe *Hieronymus*, quòd LXX. Intt. ſæpe verterint hanc vocem ἀφαίρεμα, ἀφόρισμα, ἀπαρχὴν, hoc eſt, *rem ſepoſitam*, *primitias*. Verùm hæ non ſunt propriæ ſignificationes vocis, ſed nomina quarumvis oblationum, quæ ad Sacerdotes pertinebant. Deinde contendimus ἐπίθεμα malè verſum *additamentum*, cùm ſit potiùs *impoſitio*; iſque victimæ artus ita dictus videatur, quòd ſoleret ἐπιτίθεσθαι, *imponi* manibus Sacerdotum, ut liquet ex Exod. XXIX, 24.

In eadem Epiſtola ad Fabiolam, כתנת *chethoneth*, aut, ut ſcribitur apud *Hieronymum*, *chothonath*, dicitur eſſe χιτὼν, *quod Hebræo ſermone in lineam vertitur*. Non nego lineas fuiſſe tunicas interiores Sacerdotum, ſed hanc eſſe poteſtatem vocis Hebraïcæ pernego. Vide Gen. III, 21.

XI. In alia Epiſtola ad Fabiolam, de XL. manſionibus ad VII. manſionem: *Verbum*, inquit, JAM SUPH, *ex* Mari & Rubro *compoſitum eſt*. SUPH *autem* & Rubrum & Scyrpus *vocatur*. Verum quidem eſt mare illud, quod ים סוף *jam ſouph* dicitur

ab

ab Hebræis, à LXX. Intt. aliiſque *Mare Rubrum*, ſed hinc nequaquam ſequitur voce סוף ſignificari *rubrum.* Utuntur, nimirum, Interpretes nomine Græcis notiore, Hebraïca verò verba propriè non vertunt; neç quiſquam Hebraïcè vel mediocriter doctus ſomniarit *Souph* ſignificare *rubrum.* Norunt etiam omnes paullò doctiores, errore Ethnicorum, id mare *rubrum* dictum, quod Idumæum dici debuit. Hiſce, quia manifeſta ſunt, non immoramur.

In eadem Epiſtola, nomen manſionis XVIII. *Reſſa* רסה *frenum* vertitur, quaſi idem eſſet ac רסן *reſen*, parum analogicè; cùm deducendum ſit à רסס *raſas*, hoc eſt, *humeſecit*, *ſtillavit*; ut vel tirones norunt, qui ſciunt inveſtigandæ Radicis rationem. Attamen ex falſa Etymologia, æquè ac veris, allegoriam puerilem (quidni enim, in re aperta, ſcapham ſcapham vocemus?) captat *Hieronymus*, & quia antecedens manſio vocabatur *Lebna*, quâ voce lateres ſignificantur; *Si enim*, inquit, *poſt profectum*, *rurſus ad luti opera deſcendimus*, *infrenandi ſumus*, & *curſus vagi atque præcipites retinaculis Scripturarum dirigendi.* Si ſciviſſet voce רסה potiùs *guttam* ſigni-

ficari, dixiſſet fortè, labores magnos, in hac ſpirituali terræ Ægypto, ferendos antequàm cœleſti aquâ refrigeremur, aut quid ſimile; nam ejuſmodi nugis latiſſimus patet campus.

Manſio XXI, quæ חרדה *hharadah* dicitur, non ſignificat *miraculum*, ut vult *Hieronymus*, ſed *tremorem*, aut *terrorem*; ut docebunt Lexica & Concordantiæ, ex uſu perpetuo vocis, ſignificationéque Radicis & ejus omnium Derivatorum. Sed qui interpretatus erat Nomina Hebraïca verterat hanc vocem *obſtupuit*, *admiratus eſt*; *Hieronymus* verò, cùm ſciret ARADA nomen eſſe, non verbum, tranſtulit *miraculum*; at contra Sacræ Linguæ uſum, quæ aliis prorſus nominibus *miraculum* vocat.

Manſionis XXIII. nomen, quod eſt תחת *thahhath*, ſic interpretatur: *viceſima tertia manſio poteſt* & ſubter *intelligi*; *ſed meliùs* pavorem *interpretabimur*. Cur verò? an alicubi legitur vox חתת pro *pavore*? Nuſquam, ac proinde non debuit fingi, quamvis analogicè poſſit deduci à Radice חתת hhathath, *pavefactus fuit*; neque enim omnia vocabula, analogicè deducta, uſitata propterea haberi poſſunt.

ſunt. Sed meliùs procedebat Allegoria, ſi *pavor* verteretur, quam *ſubter. Veniſti ad Eccleſiam, adſcendiſti ad montem pulcherrimum*, (שפר *ſchapher*, pulcher, nomen XX. manſionis) *ſtupore & miraculo* (חרדה bharada) *Chriſti magnitudinem confiteris. Vides ibi multos virtutis tuæ ſocios* (מקהלות makheloth, *cœtus*, nomen XXII. manſionis) *noli altùm ſapere, ſed time. Dominus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam; & qui ſe exaltat, videat ne cadat. Timor virtutum cuſtos eſt, ſecuritas ad lapſum facilis.* Atqui bona hæc ſunt monita: Quis negat? ſed ſuo loco dicenda fuere, non ludibrio exponenda, coactâ allegoriâ.

Nomen XXXIII. manſionis קדש *Kadeſch*, cujus notiſſima eſt * ſignificatio Hebraïcè ſcientibus, ſic interpretatur *Hieronymus*: Cades, *non ut plerique æſtimant*, ſancta *dicitur, ſed* mutata, *ſive* tranſlata. *Legimus in Geneſi, juxta Hebraicam veritatem, ubi Judas meretricem putans Thamar dona tranſmiſit, & ſequeſter munerum interrogat:* ubi eſt cadeſa? *hoc eſt, ſcortum cujus habitus à ceteris feminis immutatus eſt. In multis quoque locis*

* Hoc eſt, *meritorius puer.*

hoc idem reperimus. Conſtat ſanè קרשה ſignificare *ſcortum*, ut קרש *puerum meritorium*; ſed ut ideò dicti cenſerentur, quòd *mutati*, ſeu *tranſlati* eſſent ad ſingulare veſtium genus, oporteret proferri ex Scriptura locum, in quo verbum קרש *kadaſch*, aut certè quodpiam ejus Derivatorum *mutationem*, ſeu *tranſlationem* ſignificaret. Sic enim rectè procederet Etymologia; quæ neceſſariò corruit, ſi nullum ſit ejuſmodi exemplum, quale reverâ nullum eſſe puto. Contrarium tamen cenſet * *Martianæus*, cujus hæc ſunt verba: *Verbum illud interpretatur multis in locis Bibliorum, ab uſu communi ad divinum ſeparatus. Quidquid autem ab uſu communi ad uſum tranſit ſacrum, verè* mutatum & tranſlatum *dicitur.* Verùm quia in conſecratione fit mutatio uſûs, aut tranſlatio rei in alium uſum, an propterea ſequitur eo verbo, aut ejus derivato, *mutationem* ſimpliciter & quidem in deteriorem uſum ſignificari? Ut hoc accredam homini, qui Linguam Hebraïcam nonniſi ſtudio novit, oportet ut exemplum indubitatum proferat, quale nullum exſtat. Multò veriſimilius eſt קרש & קרשה *ſcorta*

* *Com. in Lib. de Nom. p.* 326.

ſcorta dici, quòd in Palæſtina ejuſmodi homines eſſent conſecrati Veneri, qua de re vide notata à nobis ad Geneſ. XXXVIII, 21. Neque hæc commenta noſtra eſſe putet Editor *Hieronymi*. Ita ille ſenſit, à quo diſſentire nefas ducit, ut intelliget ex ſubjecto loco; ex quo eadem operâ diſcet ſe malè ei patrocinatum, in hoc negotio. Sic ergo habet ad Hoſeæ Cap. IV, 14. *Cum effœminatis ſacrificabant* &c. *Verbum* Kadeſoth, *quod Aquila* ἐνηλλαγμένων, *Symmachus* ἑταιρίδων, LXX. τετελεσμένων, *Theodotion* κεχωρισμένων *interpretati ſunt, nos effœminatos vertimus, ut ſenſum verbi noſtrorum auribus panderemus* &c. Si eſſet קדשים *kdeſchim* in maſculino, recta eſſet *Hieronymi* verſio, ſed קדשות in fœminino conſtanter ſunt meretrices. Verùm hoc nunc quidem non agitur, & poſtea *Hieronymus* videtur, ſi recta hæc eſt lectio, quodam modo revocare quod dixit. Itaque hiſce omiſſis, ad ejus verba redeo, quæ paullò pòſt hæc ſunt: *Sciendum autem quod in præſenti* Kadeſoth, *meretrices* ἱερεῖς, *id eſt, Sacerdotes Priapo mancipatas vocet. In aliis autem locis viros exſectos libidine* Kadeſim *legimus, Iſaiâ dicente:* καὶ

ἐμπαῖκται κατακυριεύσουσιν αὐτῶν, *id eſt, & illuſores dominabuntur eorum, pro quo in Hebræo ſcriptum eſt*, & Kadeſim dominabuntur eorum, *quod nos* effœminatos *vertimus. Aquila autem* ἐνηλλαγμένους *interpretans; id eſt, mutatos, hoc oſtendere voluit quod ſuam naturam mutaverint, & de viris facti ſint fœminæ. Symmachus* ἑταίρας *propriè meretrices appellavit; Septuaginta* τετελεσμένους, *id eſt, conſecratos & initiatos, ut cultores idolorum oſtenderent; Theodotion* κεχωρισμένους; *id eſt, à populo ſeparatos, qui ſibi videbantur à vulgo aliquid plus habere.* Hinc cognoſcimus קדש *Kades*, ab *Aquila* verſum ἐνηλλαγμένον, non quod crederet verbum קדש ſignificare ἐναλλάττειν, *mutare*, ſed quia qui ita vocabantur erant reverâ *mutati*. Eum, ut paſſim ſolet, Latinè imitatus eſt *Hieronymus*; ſed meminiſſe ſaltem debuiſſet, inde non ſequi verbum קדש eſſe mutare, neque nomen Græcum pertinere ad mulieres. Præterea quis Latinè intelligat *mutatum*, pro *effœminato*?

Alia non addam, quæ nec difficilia eſſent inventu, & alibi, occaſione datâ, à me proferentur, aut ab eruditis jam prolata ſunt.

XII. QUÆCUMQUE eruditio *Hieronymi* ſtatuatur, fatendum tamen eſt defuiſſe

fuiſſe ei methodum illam longè commodiſſimam ac tutiſſimam, quâ Derivata à Primitivis diſtinguuntur; quia ejus rei nulla in ejus Operibus occurrit mentio, quam, frequentiſſimis occaſionibus datis, ſine dubio commemoraſſet, ſi nota ejus tempore fuiſſet. Non dicam autem hîc, quantus ſit ejus methodi uſus, in expediendis derivatorum ſignificationibus; quia res nemini ignota eſt, niſi iis qui numquam Lexicis Hebraïcis uſi ſunt. Sed locum proferam, ex quo intelligere licebit, rem non modò *Hieronymo* ignotam fuiſſe, verùm contrarium etiam ejus perabſurdè perſuaſum. Exſtat ille locus in Quæſtionibus Hebraïcis in Geneſin, ad Cap. xxxii, 28. ubi ita loquitur de Etymologia nominis *Iſraël*: Non vocabitur, *inquit*, nomen tuum Jacob, ſed Iſraël erit nomen tuum. *Quare? Interpretatur Aquila*: ὅτι ἦρξας μετὰ Θεοῦ, *Symmachus*: ὅτι ἦρξω πρὸς Θεόν, *Septuaginta & Theodotion*: ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ Θεοῦ. SARITH *enim quod ab Iſraël vocabulo derivatur* principem *ſonat.* Non obſervabo hîc *Hieronymum*, ne adjutum quidem tot verſionibus, vidiſſe vocem שרית eſſe ſecundam perſonam verbi שרה *ſcharah*, ſed abſurdè credi-

diſſe eſſe nomen ſubſtantivum, cujus nullum eſt uſquam exemplum; verùm eum numquam dicturum fuiſſe שרית *ab Iſraël vocabulo derivari*, ſi vel aliquatenus noviſſet diſtinctionem Radicum à Derivatis, horúmque analogicam deductionem; deinde perincommodè eſſe loquutum, cùm dixit vocem compoſitam eſſe derivatam à ſimplici. Vix tirunculi nunc ita loquantur. Sanè hîc & alibi rem exprimit *Hieronymus*, quemadmodum eam exprimeret qui imperitus planè Linguæ Hebraïcæ ab alio audita, nec ſatis intellecta, perperam narraret. Qui autem ita loqui poterat multùm aberat à peritia eorum, qui viderunt ex Arabica Lingua deducendam eſſe rationem hujus nominis; qua de re, ad Geneſeos locum dudum egimus.

XIII. Ex eadem Analogiæ ignorantia, natæ ſunt innumeræ illæ contortæ, violentæ atque abſurdæ Etymologiæ, quibus ſcatent non modò Liber de Nominibus Hebraïcis, ſed etiam ipſa *Hieronymi* Scripta; unde mihi colligere poſſe videor minimè propinquum fuiſſe peritiæ eorum, qui Lexica Hebraïca, vel primi confecerunt, vel auctiora, emendatioráque ediderunt; quales inter Judæos *Da-*

vid Kimchius, & *Elias Levita*, inter Chriſtianos verò, *Sanctes Pagninus*, *Valent. Schindlerus*, *Johannes Buxtorfius*, pater ac cognominis filius, *Joannes Cocceius*, *Edmundus Caſtellus*, aliique multi.

Scio mihi hîc objici poſſe veteres Romanos, & quidem eorum doctiſſimos, quales fuere *M. Terentius Varro*, & præſtantiſſimi quique Juriſconſulti, quorum reſponſa in *Digeſtis* leguntur; & qui abſurdas vocum Latinarum Etymologias paſſim proferunt, peccántque pueriliter in Latinæ Linguæ certiſſimam & notiſſimam Analogiam. Quemadmodum hos nemo propterea inſimularit ignorati ſermonis ſui vernaculi, aut ſuſtinuerit iis æquare in ejus peritia *Ger. Joannem Voſſium*, qui tamen multis paraſangis eos in arte Etymologica antecedit: ita *Hieronymum* contendat fortè aliquis non magis poſſe incuſari non ſatis intellectæ Linguæ Hebraïcæ, quia in ejus Analogiam ſubinde delinquit. At quiſquis ita ratiocinabitur duo miſcebit diverſiſſima; Linguam, nimirum, vigentem notámque quotidiano uſu atque exercitatione ſcribendi, & ab innumeris Scriptoribus vetuſtioribus ac recentioribus illuſtratam, qua-

conſtructioni. Quare ergo *Hieronymus* ita exprimit hanc derivationem, in Traditionibus Hebraïcis: *Dicebatur enim primùm* Abram, *quod interpretatur* pater excelſus, *& poſtea vocatus eſt* Abraham *quod transfertur* pater multarum, *nam quod ſequitur* gentium, *non habetur in nomine*, *ſed ſubauditur.* Cur non dixit in lingua Hebraïca ſignificari eâ voce *patrem multitudinis*? Nempe, ſi credimus * *Martianæo*, *intentus fuit Hebræorum Scripturæ atque Græcorum:* ἀλλ' ἔςαι τὸ ὄνομά σου Ἀβραὰμ, ὅτι πατέρα πολλῶν ἐθνῶν τέθεικά σε, *ſed erit nomen tuum Abraam*, *quod patrem multarum gentium poſui te.* Debuit Benedictinus noſter memorare tantùm Græcam Scripturam, nam in Hebraïca res aliter exprimitur, iſque locus ad verbum fuit vertendus πλήθους ἐθνῶν. Alioquin imperiti Linguæ Hebraïcæ planè ſibi poſſent perſuadere reverâ vocem *Abraam*, conſtare voce *ab* quæ *patrem* ſonat; & *raam*, quod ſignificet *multarum.* Quænam enim ratio proferatur, cur *Hieronymus* imperfecta loquutione utatur, non plena, ſi plena ſit in Lingua Hebræa? Vir ſanè Hebraïcè doctus ita loqui non potuit, niſi

* Tom. II. p. 353.

niſi conculcatâ omni Analogiâ, ídque nullâ urgente neceſſitate; quod quomodo probari poſſit non intelligo.

Ad hanc quæſtionem, de Etymologiis, referri poteſt quod conjecit *Hieronymus* vocem *Aulon*, *non Græcum, ut quidam putant, ſed Hebræum vocabulum eſſe*; agitur enim de Etymologia vocis hujuſce, Græcáne ſit an Hebraïca. Anteâ * jam diximus unde hæc nata ſit hallucinatio *Hieronymi*, & obiter confutavimus patronum ejus *Martianæum*. Sed quoniam ei viſum eſt, hac de re bis agere, & in notis ad Librum de Locis Hebraïcis, & in Commentario ad Librum de Nominibus; non poterit ægrè ferre non ſemel de ea à nobis agi. Vult ergo, in Notis, hoc eſſe *nomen proprium* regionis Judææ; addere debuit, apud Græcè loquentes, nam nullum locum profert ubi is tractus אולן *aulon* vocetur, neque ex Hebraïca Scriptura; neque ex LXX. Intt. neque ex *Joſepho*, qui ſæpe ejus tractûs meminit & ſemper vocat μέγα πεδίον, *magnum campum*; neque ex Scriptoribus Thalmudicis. Sed videamus quid in Commentario habeat. Me primum *novæ imperitiæ*, dein *incogitantiæ* inſimulat, quòd *obſerva-*

* *Quæſt.* 1, 6.

ſervationem diligentia & eruditione Hieronymi digniſſimam caſtigarim. Jam ad Quæſtionem I. §. 6. oſtendi eam eſſe oſcitantiæ Hieronymianæ conſentaneam. Quid verò contra habet patronus? *Conſultiſſimè monere* Hieronymum, *in Locis Hebraicis, nomen* AΫLON *non eſſe hic loci vocabulum Græcum, ut quidam putabant; propter vocem Græcam* αὐλὼν *Lectori magis notam, quàm eſſet* אולן *aulon, ſive* אילן *ailon, vel ajalon Hebræorum.* Sed ubi, bone vir, legiſti אולן *aulon* in Codicibus Hebraïcis? Dices fortè quieſcentes litteras, & præſertim *Vau* & *Jod* non raro miſceri. Fateor; at non eſt tamen nobis ea miſtura fingenda, pro arbitrio, in nominibus præſertim propriis, ſed ex ipſo uſu Scriptorum Hebræorum petenda. Quæ enim ſæpe fiunt, non fiunt tamen ſemper. Vox אילון *elon* ſæpe legitur in Codicibus Hebraïcis. Proferatur vel unus Interpres, qui legerit alicubi *Aulon*, præter *Hieronymum*; qui ne in verſione quidem ſua ea voce uti auſus eſt, ſed ubique appellativè vertit *convallem*, aut *quercum*. Pergit Monachus Benedictinus, &, *aliam*, inquit, *obſervationem Hieronymianam è libro Hebraicorum Nominum accerſo; nam col.*
25.

25. *de aulone hæc ſcripta leguntur.* Ailon, quem ſupra aulonem diximus; quod ſi Aeglon legere voluerimus, interpretatur vacca eorum. *Supra autem columnâ* 23. *ſic aiebat:* Elath therebinthus, vel aulones. *Sed ſignificantiùs adhuc ipſiſſimum nomen* Aulon *expreſſit columnâ* 19. *ſub littera* E, *dicens:* Elon quercus, ſive Aulon, de quo in libro locorum pleniùs diximus. *Ecquid reponet, ad has obſervationes Hieronymi, eruditio ac diligentia Clericorum?* Quoniam ita tibi videtur, *Martianæe*, reſpondendum eſt, nec diu nobis quærendum quid ſimus reſponſuri. Nimirum, hîc ſunt meræ repetitiones ejuſdem erroris *Hieronymi*, qui error ſi millies in ejus libris extaret, non minùs eſſet error; nec repetitione quidquam aliud conſequitur *Martianæus*, niſi quòd dubitari ampliùs non poſſit, quin *Hieronymus* aut vitioſo codice, aut infirmâ memoriâ ſit uſus. Præterea quâ analogiâ *Elath* poteſt verti *aulones*? ſaltem legendum eſſet אילות *eloth*. Denique quæ firmæ proferuntur rationes, ex quibus intelligere liceat alicubi אילון ſignificare *vallem*, aut eo nomine Hebraïce uſpiam inſigniri *Magnum Campum*? Quis oſtendit *Elon More* idem eſſe? Su-

Suſpicati ſunt nonnulli, *Hieronymum* ſequuti; ſed probavit nemo. Vide quæ habet *Andr. Maſius* ad Joſ. VIII, 30. Poſſem addere, ſi hoc pertineret ad *Hieronymum*, col. 25. nuperæ Editionis Pariſinæ, ad marginem locorum ſumtorum ex libro Jeſu, è regione vocis *Aeglon*, Hebraïcè ſcriptum vitioſè אגלון, quomodo locus nullus vocatur, pro עגלון *heglon*, quod exſtat Joſ. X, 3. *Martianæus*, qui tam inclementer invehitur in *Amerbachios*, propter malè addita Hebraïca verbis *Hieronymi*, quid ſe hîc commeritum eſſe dicet? Subjicit tamen, quaſi re bene geſtâ: *De voce* Aulon *pleniùs ſcripſerat ſanctus Doctor, in Libro Locorum.* Aulon *autem illud idem eſt quod* Elon *interpretatum* quercus, *vel idem quod* Elath, *id eſt*, therebinthus. An ergo *quercus* & *therebinthus* ſunt idem? Fortaſſe in ſylva, in qua creſcit * *herba myrrha*; ex qua, apud Veteres, unguentum fiebat. Sed hoc fortè voluit, eſſe Derivata ejuſdem Radicis, quod non nego; at hoc non agitur hîc, ubi debuiſſet oſtendere iis nominibus ſignificari *Magnum Campum*, aut certè aliquam *vallem*, ſeu *αὐλῶνα*. Tandem, ut eximiæ cujuſdam Dia-

* *Vide Quæſt. I, 8.*

Dialecticæ ſpecimen edat *Martianæus:* *ſi ita ſe res habet*, inquit, *ut verè habet*, *quomodo* אילון Ailon, Elon & Eloth *inter Græca vocabula recenſet Clericana ſagacitas?* Ego verò hæc vocabula pro Græcis numquam habui; dixi tantùm *Hieronymum* perperam vocem αὐλὼν Hebraïcam eſſe credidiſſe, nec umquam putavi cum his vocibus Hebraïcis, quæ leguntur in Scriptura, æquiparandam eſſe commenticiam vocem *Aulon*; quæ nuſquam quaſi Hebraïca habetur; niſi apud unum *Hieronymum*. Quæ cùm ita ſint, fixum, ratúmque manebit, αὐλὼν eſſe vocem Græcam dumtaxat, deductam ἀπὸ τῆς αὐλῆς, ut πυλὼν ἀπὸ τῆς πυλῆς, eóque homine Græco meritò ab *Euſebio* *Magnum Campum* vocatum, quòd ſit πεδιὰς μεγάλη ἐπιμήκης, *magna & longa planities*, quæ περιέχεται ὄρεσιν ἑκατέρωθεν, *utrimque montibus cingitur*, ut ipſe docet.

Ut pergamus ordine alphabethico alia afferre exempla, ſi *Hieronymus* in Etymologia nominis בני יעקן *bne jahakan*, quod interpretatur *filios neceſſitatis ſeu ſtridoris*, reſpexit ad verbum עקד *hakad*, ut cenſet * *Martianæus*, intolerabilis eſt originatio. Quis

K enim

* *Tom. II. p. 321.*

enim ferat elidi ר & quidem in fine vocis? Quis neſcit hanc litteram numquam, in Linguis Orientalibus, eſſe ſervilem, eo in loco? Poſtquàm monuit יעקן *jahakan*, poſſe deduci à עיק quod ſignificat *angi*, & *vexari**, unde עקה *haka*, anguſtia, moleſtia; quæ tamen nihil faciunt ad *ſtridorem*, aut *neceſſitatem*; fatetur in Epiſtola ad Fabiolam, manſione XXVIII. in allegorica *Bene jaakan* interpretatione, *ſenſum Hieronymi procliviorem eſſe ad radicem* עקר. Quod eſt perinde ac ſi fateretur, propter inanem allegoriam, ab *Hieronymo* omnes Grammaticas leges perfringi. Quâ defenſione, aut exiguam fuiſſe *Hieronymo* Grammaticæ Analogiæ peritiam, aut judicium parum firmum concedit ejus patronus.

Hieronymus interpretatur vocem דויד * *David*, non modò *dilectum*, ſed Græcos ſequutus *fortem manu*. Quod duplici ratione defendit *Martianæus*; *dici potuit*, inquit, *à verbo* ידה *jadah è quo nomen* Juda *ſumtum fuiſſe indoctis etiam patet*. Sed an *Juda* ſignificat *fortem manu*, aut éſtne ei Radici ullus ejuſmodi ſignificatus? Vel tirones norunt ſimile nihil poſſe, cum aliqua

* *Ibid. p.* 318.

aliqua veriſimilitudine, fingi. Deinde hos ſignificatus eſſe verbo ידה ut concedamus, an hinc poteſt deduci *David*? Quis non videt utrumque Daleth eſſe radicale? Quis neſcit דויד neceſſariò derivari à דוד *doud*; ut אויל evil, *ſtultitia*, ab אול *oul*; גויל gavil, *lapis non cæſus*, *involucrum*, apud Rabbinos, à גול *goul*; עויל havil, *parvulus*, à עול *houl*, & ſimilia? Itaque hanc Etymologiam deſerit *Martianæus*, vúltque à Græcis, quos *Hieronymus* aliquando hac in re ſequitur, דויד *David* eſſe converſum ἱκανὸν χειρί, *ſufficientem manu*, quòd compoſitam cenſuerint vocem ex די dai, *ſatis*, & יד jad, *manus*. Quæ eſt ineptiſſima Etymologia, ut omnes, qui elementa Linguæ Hebraïcæ norunt, illico intelligent. Nam primò די dai, *ſatis*, numquam conjungitur cum voce יד jad, *manus*, ad ſignificandum manu ſtrenuum. Deinde abſurdum eſt confugere ad ejuſmodi Etymologiam, cùm analogica alia eſt ad manum, quam antea protulimus, & quam nihil nos vetat ſequi. Si enim prior illa Etymologia recta & vera eſt, ut ſanè eſt, oportet poſteriorem eſſe falſam; quam ſi falſam eſſe norat Bethelehemiticus Aſceta, cur ea uſus eſt? An putavit

 jus,

diſſe eſſe nomen ſubſtantivum, cujus nullum eſt uſquam exemplum; verùm eum numquam dicturum fuiſſe שרית *ab Iſraël vocabulo derivari*, ſi vel aliquatenus noviſſet diſtinctionem Radicum à Derivatis, horúmque analogicam deductionem; deinde perincommodè eſſe loquutum, cùm dixit vocem compoſitam eſſe derivatam à ſimplici. Vix tirunculi nunc ita loquantur. Sanè hîc & alibi rem exprimit *Hieronymus*, quemadmodum eam exprimeret qui imperitus planè Linguæ Hebraïcæ ab alio audita, nec ſatis intellecta, perperam narraret. Qui autem ita loqui poterat multùm aberat à peritia eorum, qui viderunt ex Arabica Lingua deducendam eſſe rationem hujus nominis; qua de re, ad Geneſeos locum dudum egimus.

XIII. Ex eadem Analogiæ ignorantia, natæ ſunt innumeræ illæ contortæ, violentæ atque abſurdæ Etymologiæ, quibus ſcatent non modò Liber de Nominibus Hebraïcis, ſed etiam ipſa *Hieronymi* Scripta; unde mihi colligere poſſe videor minimè propinquum fuiſſe peritiæ eorum, qui Lexica Hebraïca, vel primi confecerunt, vel auctiora, emendatioráque ediderunt; quales inter Judæos *David*

vid Kimchius, & *Elias Levita*, inter Chriſtianos verò, *Sanctes Pagninus*, *Valent. Schindlerus*, *Johannes Buxtorfius*, pater ac cognominis filius, *Joannes Cocceius*, *Edmundus Caſtellus*, aliique multi.

Scio mihi hîc objici poſſe veteres Romanos, & quidem eorum doctiſſimos, quales fuere *M. Terentius Varro*, & præſtantiſſimi quique Juriſconſulti, quorum reſponſa in *Digeſtis* leguntur; & qui abſurdas vocum Latinarum Etymologias paſſim proferunt, peccántque pueriliter in Latinæ Linguæ certiſſimam & notiſſimam Analogiam. Quemadmodum hos nemo propterea inſimularit ignorati ſermonis ſui vernaculi, aut ſuſtinuerit iis æquare in ejus peritia *Ger. Joannem Voſſium*, qui tamen multis paraſangis eos in arte Etymologica antecedit: ita *Hieronymum* contendat fortè aliquis non magis poſſe incuſari non ſatis intellectæ Linguæ Hebraïcæ, quia in ejus Analogiam ſubinde delinquit. At quiſquis ita ratiocinabitur duo miſcebit diverſiſſima; Linguam, nimirum, vigentem notámque quotidiano uſu atque exercitatione ſcribendi, & ab innumeris Scriptoribus vetuſtioribus ac recentioribus illuſtratam, qua-

lis erat Lingua Latina, temporibus *Varronis* & Juriſconſultorum, cum Lingua ab aliquot ſæculis demortua; quæ aliter diſci non poterat, quàm unius lectione voluminis, non ita craſſi, nec ullâ ratione in ſcriptionibus ab *Hieronymo* adhibebatur, qui vix paucos verſus, ſine vitio ſcribere Hebraïcè potuiſſet. Prior potuit perpetuo uſu optimè diſci, quamvis ignorarentur Regulæ Grammaticæ, & Analogicæ: poſterior, ſine hiſce, vel mediocriter diſci non poteſt, nec probè intelligi. *Varro* & Juriſconſulti veteres accuratiſſimè intellexerunt, lectione atque uſu quotidiano, vim ac poteſtatem ſingulorum vocabulorum, quamvis iis aliquando abſurdas origines affingerent; at *Hieronymus* ideò in Etymologicas leges peccabat, quia ignorabat vocum poteſtatem ac formationem. Igitur ingens eſt inter eos diſcrimen, nec de utriſque idem judicium ferri poteſt.

XIV. Est nonnulla, primâ fronte, difficultas in inveniendis Etymologiis, quarum abſurditas *Hieronymo* tribui poſſit, quamvis iis ſcateat Liber de Nominibus Hebraïcis. Cùm enim eum librum verterit, nec ubique emendarit, ſæpe ex alienis ſententiis, potiùs

tiùs quàm ex ſuâ, loqui cenſeri poteſt. Ac ſanè interdum nonnullas ejuſmodi Etymologias, in aliis Operibus, damnat; ut rectè obſervavit *Martianæus*, in Commentario ad librum de Nominibus Hebraïcis. Itaque ſi velimus ſcire quæ ſit *Hieronymi* ſententia, quærenda potiùs eſt in interpretatione Nominum, quæ contraria eſt iis quas in eo Libello legimus, aut certè alibi exſtat. Sed nos eo labore partim levavit Monachus Benedictinus, qui Capite II. Commentarii ſui varias Etymologias aggreſſus eſt defendere, quaſi verè Hieronymianas, quas oſtendemus abſurdiſſimas eſſe; ſi monuerimus priùs nos non tam hîc agere de falſitate interpretationis vocum, cujus ſat multa antea exempla attulimus, quàm de Etymologiæ Analogia violata. Geneſeos XVII, 5. ita Judaïcæ Gentis conditorem alloquitur Deus: *neque Abramus appellaberis ampliùs, ſed nomen tibi Abrahamo erit, nam patrem te multitudinis gentium faciam,* כי לאב המון גוים נתתיך. Liquet hinc *Abrahamum* dici plenâ loquutione *patrem multitudinis*, ita ut vox *gentium*, tantùm explicationis majoris causâ, addatur, non quòd quidquam deſit con-

conſtructioni. Quare ergo *Hieronymus* ita exprimit hanc derivationem, in Traditionibus Hebraïcis: *Dicebatur enim primùm* Abram, *quod interpretatur* pater excelſus, & *poſtea vocatus eſt* Abraham *quod transfertur* pater multarum, *nam quod ſequitur* gentium, *non habetur in nomine*, *ſed ſubauditur*. Cur non dixit in lingua Hebraïca ſignificari eâ voce *patrem multitudinis*? Nempe, ſi credimus * *Martianæo*, *intentus fuit Hebræorum Scripturæ atque Græcorum*: ἀλλ᾽ ἔςαι τὸ ὄνομά σου Ἀβραὰμ, ὅτι πατέρα πολλῶν ἐθνῶν τέθεικά σε, *ſed erit nomen tuum Abraam*, *quod patrem multarum gentium poſui te.* Debuit Benedictinus noſter memorare tantùm Græcam Scripturam, nam in Hebraïca res aliter exprimitur, iſque locus ad verbum fuit vertendus πλήθους ἐθνῶν. Alioquin imperiti Linguæ Hebraïcæ planè ſibi poſſent perſuadere reverâ vocem *Abraam*, conſtare voce *ab* quæ *patrem* ſonat; & *raam*, quod ſignificet *multarum*. Quænam enim ratio proferatur, cur *Hieronymus* imperfectâ loquutione utatur, non plena, ſi plena ſit in Lingua Hebræa? Vir ſanè Hebraïcè doctus ita loqui non potuit,

niſi

* Tom. II. p. 353.

niſi conculcatâ omni Analogiâ, idque nullâ urgente neceſſitate; quod quomodo probari poſſit non intelligo.

Ad hanc quæſtionem, de Etymologiis, referri poteſt quod conjecit *Hieronymus* vocem *Aulon*, *non Græcum, ut quidam putant, ſed Hebræum vocabulum eſſe*; agitur enim de Etymologia vocis hujuſce, Græcáne ſit an Hebraïca. Anteâ * jam diximus unde hæc nata ſit hallucinatio *Hieronymi*, & obiter confutavimus patronum ejus *Martianæum*. Sed quoniam ei viſum eſt, hac de re bis agere, & in notis ad Librum de Locis Hebraïcis, & in Commentario ad Librum de Nominibus; non poterit ægrè ferre non ſemel de ea à nobis agi. Vult ergo, in Notis, hoc eſſe *nomen proprium* regionis Judææ; addere debuit, apud Græcè loquentes, nam nullum locum profert ubi is tractus אולן *aulon* vocetur, neque ex Hebraïca Scriptura; neque ex LXX. Intt. neque ex *Joſepho*, qui ſæpe ejus tractûs meminit & ſemper vocat *μέγα πεδίον*, *magnum campum*; neque ex Scriptoribus Thalmudicis. Sed videamus quid in Commentario habeat. Me primum *novæ imperitiæ*, dein *incogitantiæ* inſimulat, quòd *obſerva-*

* *Quæſt.* 1, 6.

ſervationem diligentia & eruditione Hieronymi digniſſimam caſtigarim. Jam ad Quæſtionem I. §. 6. oſtendi eam eſſe oſcitantiæ Hieronymianæ conſentaneam. Quid verò contra habet patronus? *Conſultiſſimè monere* Hieronymum, *in Locis Hebraicis, nomen* AULON *non eſſe hîc loci vocabulum Græcum, ut quidam putabant; propter vocem Græcam* αὐλῶν *Lectori magis notam, quàm eſſet* אולן *aulon, ſive* אילן *ailon, vel ajulon Hebræorum.* Sed ubi, bone vir, legiſti אולון *aulon* in Codicibus Hebraïcis? Dices fortè quieſcentes litteras, & præſertim *Vau* & *Jod* non rarò miſceri. Fateor; at non eſt tamen nobis ea miſtura fingenda, pro arbitrio, in nominibus præſertim propriis, ſed ex ipſo uſu Scriptorum Hebræorum petenda. Quæ enim ſæpe fiunt, non fiunt tamen ſemper. Vox אילון *elon* ſæpe legitur in Codicibus Hebraïcis. Proferatur vel unus Interpres, qui legerit alicubi *Aulon*, præter *Hieronymum*; qui ne in verſione quidem ſua ea voce uti auſus eſt, ſed ubique appellativè vertit *convallem*, aut *quercum*. Pergit Monachus Benedictinus, &, *aliam*, inquit, *obſervationem Hieronymianam è libro Hebraicorum Nominum accerſo; nam col.*

25.

25. *de aulone hæc ſcripta leguntur.* Ailon, quem ſupra aulonem diximus; quod ſi Aeglon legere voluerimus, Interpretatur vacca eorum. *Supra autem columnâ* 23. *ſic aiebat:* Elath therebinthus, vel aulones. *Sed ſignificantiùs adhuc ipſiſſimum nomen* Aulon *expreſſit columnâ* 19. *ſub littera* E, *dicens:* Elon quercus, ſive Aulon, de quo in libro locorum pleniùs diximus. *Ecquid reponet, ad has obſervationes Hieronymi, eruditio ac diligentia Clericorum?* Quoniam ita tibi videtur, *Martianæe*, reſpondendum eſt, nec diu nobis quærendum quid ſimus reſponſuri. Nimirum, hîc ſunt meræ repetitiones ejuſdem erroris *Hieronymi*, qui error ſi millies in ejus libris extaret, non minùs eſſet error; nec repetitione quidquam aliud conſequitur *Martianæus*, niſi quòd dubitari ampliùs non poſſit, quin *Hieronymus* aut vitioſo codice, aut infirmâ memoriâ ſit uſus. Præterea quâ analogiâ *Elath* poteſt verti *aulones*? ſaltem legendum eſſet אילות *eloth.* Denique quæ firmæ proferuntur rationes, ex quibus intelligere liceat alicubi אילון ſignificare *vallem*, aut eo nomine Hebraïce uſpiam inſigniri *Magnum Campum*? Quis oſtendit *Elon More* idem eſſe?

Su-

Suſpicati ſunt nonnulli, *Hieronymum* ſequuti; ſed probavit nemo. Vide quæ habet *Andr. Maſius* ad Joſ. VIII, 30. Poſſem addere, ſi hoc pertineret ad *Hieronymum*, col. 25. nuperæ Editionis Pariſinæ, ad marginem locorum ſumtorum ex libro Jeſu, è regione vocis *Aeglon*, Hebraïcè ſcriptum vitioſè אגלון, quomodo locus nullus vocatur, pro עגלון *heglon*, quod exſtat Joſ. X, 3. *Martianæus*, qui tam inclementer invehitur in *Amerbachios*, propter malè addita Hebraïca verbis *Hieronymi*, quid ſe hîc commeritum eſſe dicet? Subjicit tamen, quaſi re bene geſtâ: *De voce* Aulon *pleniùs ſcripſerat ſanctus Doctor, in Libro Locorum.* Aulon *autem illud idem eſt quod* Elon *interpretatum* quercus, *vel idem quod* Elath, *id eſt*, therebinthus. An ergo *quercus* & *therebinthus* ſunt idem? Fortaſſe in ſylva; in qua creſcit * *herba myrrha*; ex qua, apud Veteres, unguentum fiebat. Sed hoc fortè voluit, eſſe Derivata ejuſdem Radicis, quod non nego; at hoc non agitur hîc, ubi debuiſſet oſtendere iis nominibus ſignificari *Magnum Campum*, aut certè aliquam *vallem*, ſeu αὐλῶνα. Tandem, ut eximiæ cujuſdam Dia-

* *Vide Quæſt. I, 8.*

Dialecticæ ſpecimen edat *Martianæus*: *Si ita ſe res habet*, inquit, *ut verè habet*, *quomodo* אילון Ailon, Elon & Eloth *inter Græca vocabula recenſet Clericana ſagacitas?* Ego verò hæc vocabula pro Græcis numquam habui; dixi tantùm *Hieronymum* perperam vocem αὐλὼν Hebraïcam eſſe credidiſſe, nec umquam putavi cum his vocibus Hebraïcis, quæ leguntur in Scriptura, æquiparandam eſſe commenticiam vocem *Aulon*; quæ nuſquam quaſi Hebraïca habetur, niſi apud unum *Hieronymum*. Quæ cùm ita ſint, fixum, ratúmque manebit, αὐλὼν eſſe vocem Græcam dumtaxat, deductam ἀπὸ τῆς αὐλῆς, ut πυλὼν ἀπὸ τῆς πυλῆς, eóque nomine Græco meritò ab *Euſebio Magnum Campum* vocatum, quòd ſit πεδιὰς μεγάλη ἐπιμήκης, *magna & longa planities*, quæ περιέχεται ὄρεσιν ἑκατέρωθεν, *utrimque montibus cingitur*, ut ipſe docet.

Ut pergamus ordine alphabethico alia afferre exempla, ſi *Hieronymus* in Etymologia nominis בני יעקן *bne jahakan*, quod interpretatur *filios neceſſitatis ſeu ſtridoris*, reſpexit ad verbum עקר *hakad*, ut cenſet * *Martianæus*, intolerabilis eſt originatio. Quis

K enim

* *Tom. II. p.* 321.

enim ferat elidi ר & quidem in fine vocis? Quis neſcit hanc litteram numquam, in Linguis Orientalibus, eſſe ſervilem, eo in loco? Poſtquàm monuit יעקן *jabakan*, poſſe deduci à עיק quod ſignificat *angi*, & *vexari**, unde עקה *baka*, anguſtia, moleſtia; quæ tamen nihil faciunt ad *ſtridorem*, aut *neceſſitatem*; fatetur in Epiſtola ad Fabiolam, manſione XXVIII. in allegorica *Bene jaakan* interpretatione, *ſenſum Hieronymi procliviorem eſſe ad radicem* עקר. Quod eſt perinde ac ſi fateretur, propter inanem allegoriam, ab *Hieronymo* omnes Grammaticas leges perfringi. Quâ defenſione, aut exiguam fuiſſe *Hieronymo* Grammaticæ Analogiæ peritiam, aut judicium parum firmum concedit ejus patronus.

Hieronymus interpretatur vocem דויד * *David*, non modò *dilectum*, ſed Græcos ſequutus *fortem manu*. Quod duplici ratione defendit *Martianæus*; *dici potuit*, inquit, *à verbo* ידה *jadah è quo nomen* Juda *ſumtum fuiſſe indoctis etiam patet*. Sed an *Juda* ſignificat *fortem manu*, aut éſtne ei Radici ullus ejuſmodi ſignificatus? Vel tirones norunt ſimile nihil poſſe, cum aliqua

* *Ibid. p.* 318.

aliqua veriſimilitudine, fingi. Deinde hos ſignificatus eſſe verbo ירה ut concedamus, an hinc poteſt deduci *David*? Quis non videt utrumque Daleth eſſe radicale? Quis neſcit דויד neceſſariò derivari à דוד *doud*; ut אויל evil, *ſtultitia*, ab אול *oul*; גויל gavil, *lapis non cæſus*, *involucrum*, apud Rabbinos, à גול *goul*; עויל havil, *parvulus*, à עול *houl*, & ſimilia? Itaque hanc Etymologiam deſerit *Martianæus*, vúltque à Græcis, quos *Hieronymus* aliquando hac in re ſequitur, דויד *David* eſſe converſum ἱκανὸν χειρὶ, *ſufficientem manu*, quòd compoſitam cenſuerint vocem ex די dai, *ſatis*, & יד jad, *manus*. Quæ eſt ineptiſſima Etymologia, ut omnes, qui elementa Linguæ Hebraïcæ norunt, illico intelligent. Nam primò די dai, *ſatis*, numquam conjungitur cum voce יד jad, *manus*, ad ſignificandum manu ſtrenuum. Deinde abſurdum eſt confugere ad ejuſmodi Etymologiam, cùm analogica alia eſt ad manum, quam antea protulimus, & quam nihil nos vetat ſequi. Si enim prior illa Etymologia recta & vera eſt, ut ſanè eſt, oportet poſteriorem eſſe falſam; quam ſi falſam eſſe norat Bethlehemiticus Aſceta, cur ea uſus eſt? An putavit

 jus,

lus, fáſque eſſe fido Interpreti Scripturæ falſis Etymologiis uti, ut declamitandi commodiorem occaſionem habeat? Hominis hoc eſſet parum pudentis, & rabulæ; non Theologi, aut religioſi Scripturæ interpretis. At ſi falſam eſſe neſcivit, aut æquè veriſimilem ac analogicam illam alteram; non eſt cur ejus Linguæ Hebraïcæ peritiam magni faciamus. Semel hoc dicendum fuit, de hac Etymologia; quod permultis Hieronymianis originationibus convenit; poſtea nequaquam repetendum.

Sequutus eſt etiam *Hieronymus* Græcos, in interpretatione nominis XXXVIII. Manſionis, ריבון גד *Dibon gad*, quod vult eſſe perinde ac *fortiter intellecta tentatio*. Non objiciam גד *gad*, nuſquam in Libris Sacris, eo ſenſu, legi, neque in vicinis Linguis quidquam eſſe præſidii huic interpretationi; non repetam רי *dai*, non ſignificare *fortem*, aut *fortiter*; non dicam loquutionis hujus nullum eſſe ſenſum, nec ab *Hieronymo*, magno ceteroqui torquendæ orationis in longè petitas argutias artifice, potuiſſe commodum ullum inveniri, in Epiſtola ad Fabiolam; ſed id contendam quod nemo, niſi tiro, negabit, *di-*

bon דיבון eſſe vocem ſimplicem, derivatam à Radice דיב *doub*, apud Chaldæos & Arabas uſitata, quæ idem ſonat ac זוב zoub, hoc eſt, *fluere*; ון *on*, verò meram eſſe terminationem nominis, longè frequentiſſimam in Hebraïca Lingua, adeóque duas illas litteras eſſe ſerviles. Sic in his ipſis Manſionum nominibus, occurrunt voces *Rimmon*, *Hebron*, *Hetsjon*, *Phinon*, *Jeſchimon*, & *Halmon*. Cum hac ergo Etymologia, aliiſque ſimilibus, de quibus poſtea dicemus, meritò conferatur originatio vocis *teſtamentum*, quæ ſic exprimitur à *Triboniano* Inſt. Lib. II. T. X. de Teſtamentis ordinandis: *Teſtamentum ex eo appellatur, quòd teſtatio mentis ſit.* Obſervarunt viri ingenioſi æquè dici poſſe *fragmentum* eſſe *fractionem mentis*, *lomentum lotionem mentis*, & *calceamentum calceationem mentis*. Qua de re adiri poterit elegantis vir eruditionis, *Ægid. Menagius*, Amœnitatum Juris Civilis Cap. XXXIX.

Simile eſt peccatum in voce דישון; *Diſchon*, de qua ſic *Hieronymus* in Nominibus: *Deſon, fortis papilla, ſive calcabit eam; ſed hoc Syro ſermone dicitur. Ceterùm Hebraicè pinguedo interpretatur, aut cinis, id eſt, favilla*

holocauſtorum. Ad quæ verba ita habet, in notis, *Martianæus: Significat papillam, ſive pupillam* (ubi verò invenit Criticus Benedictinus Latinè *pupillam* & *papillam* eſſe idem?) *cùm figuratum eſt ex* די, *quod Hieronymus ex Aquila robuſtam, aut fortem interpretatur, & ex* אישון *iſon, quæ vox Latinè vertitur pupilla oculi.* Verum eſt eò reſpexiſſe Interpretem hujus vocis, ſed inepta eſt Etymologia; cùm manifeſtò derivanda ſit vox aut à Radice דוש douſch, *calcare*, aut à דשן deſchen, *cinis*, ut rectè monet *Hieronymus*, qui debuit apertiùs ſuperiorem originationem repudiare. Quod verò addit ex Syriaca Lingua inane eſt, & à fallente præceptore, aut minùs tenace memoria ſuggeſtum; nam *ea* non dicitur Syriacè הון *hon.* Quod hîc molitur *Martianæus* idem probat, vult enim vocem venire ex דוש vel ריש & affixo ſingulari tertiæ perſonæ fœmininæ הו *oh*, quaſi legeretur *diſoh.* Sed *diſoh* & *diſon* non poſſunt idem haberi in Syriaca Lingua, niſi ab imperitis. Deniquè mirum eſt *Hieronymum* non dicere hac voce ſignificare *pygargum*, quo vocabulo uſus eſt ad eam interpretandam, poſt LXX. Interpretes, Deut. xiv, 5. Verùm

rùm magis mirum hunc locum * à *Martianæo* proferri, quaſi egregium ſpecimen eruditionis Hieronymianæ; qui, ut oſtendimus, eſt maximum imperitiæ indicium. Prolatis enim *Hieronymi* verbis, quæ à nobis recitata ſunt; *jam ſi revolvo*, inquit, *Hebræa Lexica*, *nihil aliud renunciant*, *in radice* Daſſen, *præter duo ſignificata ab Hieronymo probè intellecta*, *atque explicata.* Si plures non ſint ſignificationes Radicis, an voluit plures proferri? Aut eſtne tantæ eruditionis ſcire duos notiſſimos ſignificatus vocis minimè rarò occurrentis? Attamen quamvis hæ ſint duæ ejus poteſtates, de verbis ad utramque pertinentibus, dicenda habuere nonnulla Lexicographi, cùm neceſſaria ad intelligenda multa Scripturæ loca, tum etiam partim *Hieronymo* ignorata. Exempli causâ, notant, verbum *Diſſchen* דשן eſſe *in cinerem redigere*, Pſ. xx, 4. *Holocauſtum tuum* ידשנה jedaſſchenneh, *redigat in cinerem*; pro quibus verbis habent LXX. Intt. *πιανάτω*, *pinguefiat*, ut Vulgatus; ſine ſenſu, & præterea contra Grammaticam, ut obſervavit Lexicographorum Hebræorum, ſi quid judico, accura-

 tiſſimus,

* *Pag.* 334. *Comment. in Lib. de Nom.*

tiſſimus, & *μεθοδικώτατος Valent. Schindlerus. Repugnat*, inquit, *genus*, *quia* עולה *fœmininum eſt*, ירשן *maſculinum, quod ad Deum refertur*, *ſicut præcedens* יזכר. Scio quidem eſſe Interpretes, qui *pinguefiat* idem eſſe aiant, ac *pro pingui habeat*, nimirum, Deus. Sed ſi hoc voluiſſent LXX. Intt. & Vulgatus, activo potiùs verbo uſi fuiſſent, nam paſſivum non eſt clarius aut elegantius, & ſuſpectam fecit eorum peritiam. Si hæc noviſſet noſter Benedictinus, abſtinuiſſet ſine dubio ab hoc exemplo, neque hæc ſubjeciſſet: *Quidquid ergo de ſignificatione vocis Hebraicæ Deſen, vel Deſon, multis ſermonibus, Lectorem docent Hebræa Dictionaria, duobus id verbis explicat S. Hieronymus.* Debuiſſet enim paullò pluribus uti, & meliora docere, nec alibi in hujus Radicis interpretatione offendere. Debuiſſet dicere ſi *Diſon* legamus, cum Daleth, Jod, Vau, Nun, referendam videri vocem ad Radicem *Douſch* דוש, quod ſi fiat, *Nun* ad formationem nominis pertinet; ſi verò legamus *Deſon*, aut *Deſen*, ſine interpoſitione ꝧ *Jod*, Radicem eſſe Daſchen דשן, & Nun radicale. At ejuſmodi vocabula, inquies, nondum erant, eo tempore,

in

in eum uſum adhibita. Rem certè dicere debebat, aliis vocabulis. Quam ſi tacuit ſciens, peſſimè fecit, cùm hoc non parum faceret ad intellectionem vocis; ſi verò, ut quidem puto, ignoravit, fatendum eſt exiguam fuiſſe ejus peritiam in Lingua Hebraïca. Tandem ita deſinit *Martianæus: ſi tacuiſſet priorem Etymologiam, calcabit eum, è Syro ſermone derivatam, vitiq ipſimet data fuiſſet, tamquam omnino violenta & indocta.* Imò verò quia rem attigit, ei vitio vertitur, qui neſcivit quid diceret, nam *diſchoh* רישוה, & *diſchon* רישון, in Syriaca Lingua, non ſunt idem, ut jam indicavi. Præterea doceat nos *Martianæus*, in quo futuro Syri habeant ריש *diſch.* Me ſanè pudet, pigétque tamdiu hiſce immorari; ſed me cogunt Monachi intolerantia atque arrogantia, omnia, præ *Hieronymo*, conculcantis, etiam cùm in apertiſſimis delictis deprehenſus tenetur.

Meritò ille quidem, in Quæſtionibus Hebraïcis, rejicit eorum Etymologiam, qui ישראל *iſrael*, interpretabantur *virum videntem Deum*; ſed ipſe quaſi in eamdem duas miſcet originationes, cùm dicit: *Iſraël per has litteras ſcribitur, Jod, Sin, Res,*

 Aleph,

Aleph, *Lamed*, *quod interpretatur* princeps Dei, *ſive* directus Dei, *hoc eſt*, εὐθύτατος Θεοῦ. Si hæc ultima Etymologia vera eſſet, nomen hoc deducendum foret à ישר jaſchar, *directus fuit*, non à שרה, quod vulgò interpretantur *principem agere*, & quod eſt hîc potiùs *contendere*, *certare*, ut oſtendimus ad Geneſ. xxxii, 28. quæ tamen eſt, ut docet Sacer Hiſtoricus, vera Etymologia, quam nefas eſt in dubium revocari. An credidit *Hieronymus* utramque Etymologiam ſimul ſtare poſſe? Atqui eodem jure, poſſim alias aliquot originationes fingere, quaſi cum Moſaïca conſentientes. Dicam enim *Iſraël* dici, quaſi ישיר אל jaſchir El, *canet Deus*; quaſi ישרה אל jiſchra El, *dominabitur Deus*; quaſi יושר אל joſcher El, *dirigens Deum*, aut *dirigens quercum*; quaſi יש ראה אל jeſch roeh El, *eſt videns Deum* &c. atque ex ſingulis hiſce Etymologiis infinitas deducam Allegorias. Quid enim facilius homini non prorſus hebeti, aut elingui? Verùm hoc demum eſſet cum ratione inſanire.

Vocem *Javan*, quæ nomen eſt conditoris Ionum, & Græcorum omnium, cùm poſſet commodiſſimè in-

interpretari *lutum*, quod ſcribitur iiſdem litteris, יון, quamvis pronuncietur *Javen*, maluit duplici παρερμηνείᾳ à ſcopo aberrare. Primùm interpretatur *eſt & non eſt*, quaſi duæ priores litteræ eſſent initiales duarum vocum, tertia verò ultima ſecundæ יש ואין, *eſt & non*. Si hæ ſacræ Etymologiæ ſint res ſeria, non ita in iis ludendum fuit, aut illudendum potiùs imperitis; ſi ſint ludus, ſeveriſſimus Aſceta, idémque vir doctiſſimus, nimis crebrò & nimis pueriliter ludit. Quid enim non inveniam in voce יון *jon*, aut *javan*, ſi ita nugari libet? Contrarium planè ſenſum hunc, ſi videatur, reperiam, *eſt & propagabitur* יש וינון *jeſch vejinnon*. Sed quis me ferret ita ineptientem? Jus eſt Veterum ſolorum talia feriò Lectori propinare, & plauſum referre ex iis, quæ in nobis Recentioribus acerbiſſimè caſtigarentur. Quis etiam mihi ignoſceret, ſi eamdem vocem יון *javan* non modò interpretarer *columbam*, (quod poſſet ferri quia columba dicitur Hebraïcè יונה *jonah*) ſed adderem, ut fecit *Hieronymus*, *ſed Syrum eſt*? Clamaret *Martianæus* יון *jon*, non propius eſſe nomini Syriaco *Jauno* quàm Hebraïco *Jonah*, nec im-

immeritò. Sed hæc ridenda in *Clerico*, ſi ea protuliſſet, * *commendant Hieronymi peritiam & ſtudium interpretationis diligentiſſimum.* Hac in re, *diligentiæ pariter & intelligentiæ ſingularis argumentum præbet* —— *quia Hebraicè columba dicitur*, יונה jona, & *Syro ſermone*, יונא jauno, *vel* יונן jaunon, *Soph.* III, I. *quod propiùs accedit ad* Javan. Ita cenſet *Martianæus*, at nec oculis meis, nec auribus propius eſt.

Hieronymus interpretatur æquè feliciter כרובים *ſcientiæ multitudo*, quod *Martianæus*, quærit in vocibus הכרה רבה *haccharah rabbah.* Sed hodie qui primùm addiſcunt quærere Radices, illico vident hîc tres radicales, *Chaph*, *Reſch*, & *Beth*, ac ſub illis in omnibus Lexicis inveniunt. Propriè hac voce *fortem*, deinde *juvencum*, tertiò *animal πολύμορφον*, quartò *Angelum*, ſignificari oſtendimus ad Exod. XXV, 18. ideóque pluribus, hac de re, non agemus.

In Commentario noſtro ad Geneſ. XLI, 45. nomen Joſepho à Rege Ægypti impoſitum צפנת פענח *tſophnath phahaneahh*, ex analogia Linguarum Orientalium, quas novimus, & quibus

* *Pag.* 358. *in Comment. in T. II.*

bus credibile eſt affinem fuiſſe Veterem Linguam Ægyptiam, quod ex indiciis minimè obſcuris conſtat, interpretati ſumus *rei occultæ revelatorem*; non modò poſt multos Recentiores, ſed & poſt *Interpretem Samariticum*, *Onkelon*, *Syrum Interpretem*, *Philonem*, *Joſephum*, *Chryſoſtomum*, & *Theodoretum*; quos omnes laudavimus; imò verò ipſum *Hieronymum*. Tandem protulimus ejus locum, ex Traditionibus Hebraïcis, in quo dicit ſe intellexiſſe à peritis Linguæ Ægyptiæ his vocibus ſignificari *Salvatorem mundi*; ſubjecimúſque noſtram interpretationem non minùs videri niti Ægyptiaca origine, quàm Hieronymianam. Nihil aliud præterea adjecimus. Attamen *Joan. Martianæus* non potuit pati me, cum tot aliis, diſſentire ab *Hieronymo*, & poſt nonnulla inhumanè in me dicta, quæ illi ignoſco, nec confutare aggrediar, quia omnes qui legerunt nonnulla ex Opuſculis noſtris ſciunt falſiſſima eſſe; negat *Linguâ Ægyptiâ poſſe Joſephum appellari Tſophnath - phahaneachum* (quemadmodum ſcripſi in Verſione & Paraphraſi, ut conſtructio Latina conſtaret, útque barbaras voces nonnihil emollirem) *quia nomen illud non*

Æ-

Ægyptiacum, *ſed Latinum habet ſonum ac finem*; perinde quaſi Latinè nunc loquenti non liceat, quod veteribus omnibus Scriptoribus Græcis & Latinis licuit, nominibus barbaris terminationem Latinam addere, & additâ illâ terminatione deſinant eſſe barbara. Barbarum hoc demum eſt faſtidium aurium *Martianæi*, quibus ego non ſcripſi, nec ſcribo. Præterea quod objicit me non attendiſſe veterem Linguam Ægyptiam, id eſt falſum, ut liquet ex eo quod dixi. Quæ enim derivantur ex Radicibus Linguarum Orientalium populorum, qui Ægyptiis vicini erant, propterea non debent cenſeri aliena à veteri Ægyptiorum Lingua. Nolo hoc mihi à *Martianæo* credi, ſed viro ſupra omnem invidiam poſito, *Hieronymo* Stridonenſi, præ quo fungi ſunt omnes hodierni Critici, & qui nomina Ægyptiaca *Abrech*, *Rameſſes*, *Soccoth*, *Etham*, *Phiahiroth*, *Baal-ſephon*, *Magdol*, *Taphnes*, aliáque ex Hebraïcis Radicibus deduxit. Quod illi licuit, imò verò, apud ipſum *Martianæum*, ei laudi fuit, cur mihi aliiſque vitio vertatur non intelligo. Magis etiam credo, nequid diſſimulem, origini à me prolatæ, quàm narratiunculæ *Hieronymi*

ronymi. Quis enim nos docebit eos Ægyptios, quos alloquutus eſt, non erraſſe in priſca Ægyptiorum Lingua, aût in Etymologiæ deductione; aut homini os non obleviſſe, ut poſtea Joſephum typum Chriſti hinc eſſe probaret, ridentibus peritioribus; aut etiam ut ſuam eruditionem ei venditarent? Unde nobis etiam conſtabit *Hieronymum* rectè rem percepiſſe, qui tam ſæpe in originationibus Hebraïcis, hallucinatur; aut non oſtentare ſuam diligentiam, ut interdum fecit in Syriacis, quæ non intelligebat, & perperam interpretabatur, quemadmodum vidimus? Hæ omnes ſuſpiciones, tametſi meræ ſuſpiciones ſunt, ſatis tamen graves videntur ad impediendum ne adſenſum prorſus præbeamus ſimpliciter & ſine argumentis affirmantibus, id quod alios omnes antea præteriit. Hæc dici ægrè feret *Martianæus*, ſed qui tantopere extollit nugas, quia ſunt antiquæ, & egregia Recentiorum reperta ſpernit, quia ſunt nova, aliud à nobis exſpectare non debuit. Poſtea vitilitigatur quòd dixerimus à LXX. Interpretibus integram vocem Ægyptiacam ſervatam, niſi quòd ſcribunt ψονθομφανὴχ, quod mendoſum ſuſpicamur pro Τσοφναθφανὴχ,

νῆχ, quod aures Græcæ non adſequebantur; quaſi *integra* dici non poſſet vox ſic mutata, quamvis addam mendosè ſcriptum videri! *Integram* vocavi vocem, quam nulla ex parte verterunt, & emendatè ab iis ſcriptam exiſtimavi. Res eſt clara, nec potuit acerbè exagitari, niſi ab homine qui Lectores putat eſſe ſtipites, credituros ſolis laudibus Monachi Benedictini nugis ingens pretium conciliari, aut cenſoriis notis in æternum inuri eos, quos ſine ratione vitupèrat. Non ita exſtinctus eſt in Gallia, ne de aliis Europæ oris loquar, ſenſus communis, uti putat; nec tanta eſt ignorantia litterarum Hebræarum, ut multis poſſit fucum facere.

Duo prætereà addam exempla violentarum Etymologiarum, ex quibus magis ac magis liquebit quanta ſit hominis iniquitas, qui in *Hieronymo* laudat, quod maximè eſt caſtigatione dignum atque extollit in ejus Scriptis, quod vituperat in noſtris, ac tandem huic Diſſertationi finem imponam. Sic ergo loquitur *Hieronymus*, in Epiſtola ad Fabiolam, de Raphidim nomine Manſionis XI. *Undecima manſio eſt, quam violenter interpretatam in Libro Hebraicorum nominum*

minum reperi, vidit os ſufficiens eis; *aut certè* viſio oris fortium, *meliúſque transfertur* diſſolutio fortium, *vel* ſanitas fortium, *ſive juxta proprietatem Linguæ Syræ*; remiſſio manuum. Atqui vel tirones norunt רפידים *rphidim*, eſſe pluralis numeri; nec terminationem in IM quidquam facere ad ſignificationem vocis, ſed tres radicales eſſe רפד *raphad*; quæ Radix eſt Hebraïca, ſignificátque *ſtravit*, nimirum, lectum. Hæc adeò certa eſt Linguæ Hebraïcæ analogia, ut quicumque ejus elementa novit rem exploratam habeat. Quare ergo *Hieronymus*, quaſi רפד *raphad* nihil ſignificaret, aliunde vocis originem arceſſit? Quia, nimirum, analogiæ derivationum planè imperitus erat, nec ſignificationes omnium Radicum in numerato habebat; ſed eas ex Veteribus Interpretibus, prout occurrebant, interpretabatur. At hoc unum non eſt reprehendendum, in originatione Hieronymiana: Si *Raphidim* ſignificaret *remiſſionem manuum*, in duas voces eſſet ſic reſolvendum רפה ידים *rapha jadajim*, hoc eſt, *remiſit manus*, quæ voces æquè ſunt Hebraïcæ, ac Syriacæ, ut omnes norunt. Quamobrem ergo nos amandat *Hieronymus*, ubi minimè

opus eſt, ad Linguam Syriacam? An neſciebat Hebraïcè rem dici? An potiùs volebat oſtentare eruditionem imperitis? Abſurdiores ſunt duæ aliæ Etymologiæ; nam *ſanitas fortium* ut allatâ voce ſignificetur, oportet ut componatur vox ex רפא *rapha*, curavit, & די *dai*, quam *fortem*, abſurdè interpretatur *Hieronymus*; ut verò ſignificetur *diſſolutio fortium*, neceſſe eſt conſtare eam poſtremâ hac voce, & Radice רפה *remiſſus fuit*. Ut talia concoquantur, opus eſt ſtomacho *Martianæi*; útque laudentur, ingenio atque ore, quibus nihil eſt Veritate poſterius. Attamen, in his ipſis abſurdis Etymologiis, in hac imperita Syriacæ Linguæ oſtentatione, *Hieronymus doctiſſimum atque verſatiſſimum ſe ſe prodit in utroque Syrorum, atque Hebræorum idiomate*. Verba ſunt Monachi Benedictini.

Tandem ultima Etymologia nobis expendenda ſupereſt vocum תחפנים *thahhphenes*, quod nomen fuit Reginæ Ægypti, 1 Reg. XI, 19. & תחפנחס *thahhphanhhes*, quod fuit nomen oppidi Ægyptii, de quo Jeremias II, 16. XLIII, 7. & ſæpiùs in ſequentibus ac Ezech. XXX, 18. Spretis omnibus Etymologiis, analogicis licèt, Recentiorum

tiorum præ Hieronymianis Analogiæ planè contrariis, ita haſce oſtentat: *Libro tertio Regum ſupra Col. 46. Taphnes interpretatum legimus hoc modo:* Taphnes, coopertè ſignum, quod ſignificantiùs Græcè σύσσημον dicitur. *Deinde in Jeremia Col.* 58. Taphnas inſanum os Serpentis, ſive opertum ſignum. *In Ezechiele ſimiliter Col.* 61. Taphnas, ſtupens os ſerpentis; ab ore intelligendum, non ab oſſe. *At in Commentariis Hieronymi in Ezechielem, diverſæ adhùc ac multiplices ejuſdem Taphnis Etymologiæ.* Phetures, *inquit, Lib. IX. Comment. in Cap. XXX.* interpretatur panis conculcatio. Taphnis, mandatum humile. *Et poſt pauca:* Taphnæ interpretantur, cedentes ori, ſubauditur Diaboli, cui qui ceſſerint, amittent lumen veritatis & diem in noctem mutabunt. *Ex his omnibus locis, liquidò apparet nomen Taphnis diverſimodè ſcriptum in Hebræis, optimè fuiſſe expreſſum, juxtà hanc diverſitatem, in libro Hebraicorum Nominum, ac eruditè interpretatum, juxta proprietatem ſermonis Hebræi.* Ut ab ultimis verbis hæc expendere incipiam, quî hîc non venit in mentem *Hieronymo*, viro tam acuto, de voce Ægyptia conſulendos potiùs

 Æ-

Ægyptios, à quibus antea omnibus ignota didicerat, quàm Hebræos? Deinde malè quaſi unum nomen habentur duo nomina; alterum mulieris, alterum oppidi, & quidem non uno modo ſcripta; quia Græcis ac Latinis characteribus expreſſa nôn admodum differunt. Sed hæc omittamus, quæ tanti non ſunt. Falſum eſt interpretationes eas eruditas eſſe & ſecundùm proprietatem ſermonis Hebræi, in quibus nulla Analogia obſervata eſt. Prima derivatio eſt à חפה *hhaphah*, aut חפף *hhaphaph*, *texit*, & נס *nes*; in qua non video cur omittatur ׳ interpoſitum, quod numquam occurrit in נס *nes*, quando *vexillum*, aut *ſignum* ſonat. Secunda & tertia violentiores ſunt, cùm, judice *Martianæo*, compoſita vox תחפנחס, ſtatuatur ex תפל thaphel, *inſanus*, חפז hhaphaz, *obſtupuit*, פה phe, *os*, & נחש nahhaſch, *ſerpens*. Quarta nequaquam melior eſt, quippe quæ miſcet, ut fatetur *Martianæus*, voces צען tſohan, *Tanis*, & תחפנחס *thahhphanhhes*, quæ prorſus diverſæ ſunt. Quintæ vix ulla ratio, quamvis violenta, reddi poteſt; niſi dicatur *Taphnis*, venire ex פה phe, *os*, & נוס nous, *fugere*, quod Judæus aut imperitus aut

aut illudens Chriſtiano fortaſſe reſponderat, quærenti quid ea vox ſibi vellet Hebraïcè. Quæ cùm ſint manifeſta, nec particulatim hæc neget *Martianæus*, quî poteſt ſummatim laudare tam putidas Etymologias? An acervatim laudari poſſunt quæ ſingillatim vituperantur? Quî dicere ſuſtinet quod à Recentioribus dicitur, hac de re, *Hieronymianæ Etymologiarum ſupellectili comparatum leve penitus & anguſtum* eſſe; cùm nihil ſit vilius ac inficetius hac ſupellectili, cúmque Recentiorum inventa minimè ſint abſurda. Deinde ipſa illa multiplicitas Etymologiarum, quamvis eſſent omnes analogicæ, oſtendit veram *Hieronymo* planè ignotam fuiſſe, cùm vera Etymologia ſit tantùm una; quâ prolatâ, ceteræ omnes ſunt ineptæ. Quòd ſi datâ operâ falſas æquavit veræ, quam exploratam haberet, quid erit de ejus judicio, aut fide ſentiendum?

XV. UNUM præterea eſt, quod ad Etymologias omnes haſce pertinet; nimirum, inutile eſſe quærere Etymologias Nominum Hebraïcorum, ad quas nullo indicio conſtat reſpexiſſe Scripturam; aut quarum veritatem nullâ ratione exploratam habere poſ-

 ſumus

ſumus, quales ſunt Etymologiæ plerorumque omnium Nominum locorum & hominum; de quibus nihil habet Scriptura, præter nudam mentionem, nec quidquam profana prodidit Vetuſtas, quod ad nos quidem pervenerit. Exempli causâ, uxor illa Regis Ægypti, quæ vocabatur *Thahhphenes*, ſemel tantùm obiter memoratur, in Scriptura, abſque ulla ad ejus nomen alluſione, nec Ethnici Scriptores qui ſuperſunt quidquam de ea habent; ac proinde frúſtra ſimus in inquirenda ejus nominis origine, quamvis accuratiſſimâ analogiâ nitamur. Multò minùs tolerandum eſt perverſum eorum ingenium, qui ex contortis Etymologiis acumen captant. At contrà non abſurdè cum Recentioribus exiſtimemus nomen oppidi Ægyptii תחפנחס *thahhphanhhes*, ſignificare *operimentum fiduciæ*; aut *receptûs*, à חפף *texit*, & חסה *confidit*, *recepit ſe.* Cur verò? Quia, nempe, conſtat ex Jeremia urbem fuiſſe in finibus Ægypti non procul à Judæa, docétque nos *Herodotus*, qui eam levi mutatione vocat *Daphnas*, in ea fuiſſe Ægyptium præſidium oppoſitum Syrorum atque Arabum incurſionibus; unde intelligere licet non im-

immeritò potuiſſe vocari id præſidium *operimentum fiduciæ*, aut *receptûs*, quod Ægyptiis præſidiariis ad fines regni excubantibus receptum præberet, fiduciámque præſtaret vicinis Ægypti tractibus, alioqui Syris & Arabibus expoſitis. Verba hæc ſunt *Herodoti* Lib. II. c. 30. ubi de ſeditioſis militibus: Ἐπὶ Ψαμμητίχου βασιλέως φυλακαὶ ἔν τε Ἐλεφαντίνῃ πόλει πρὸς Αἰθιόπων, καὶ ἐν Δάφνῃσι τῇσι Πηλουσίῃσι· ἄλλη δὲ πρὸς Ἀραβίων τε καὶ Ἀσσυρίων, καὶ ἐν Μαρέῃ πρὸς Λιβύης ἄλλη. ἔτι δὲ ἐπ' ἐμεῦ καὶ Περσέων κατὰ ταυτὰ αἱ φυλακαὶ ἔχουσι, ὡς καὶ ἐπὶ Ψαμμητίχου ἦσαν. καὶ γὰρ ἐν Ἐλεφαντίνῃ Πέρσαι φρουρέουσι, καὶ ἐν Δάφνῃσι: *Sub Pſammeticho Rege, fuerunt præſidia in urbe Elephantina contra Æthiopas, & Daphnis Peluſiis; hoc quidem adverſùs Arabes & Syros, alterum verò Mareæ, contra Libyam. Quin etiam meâ ætate, conſtituta ſunt præſidia Perſarum, iiſdem in locis, quemadmodum erant ſub Pſammeticho; etenim Perſæ excubias agunt Elephantinæ & Daphnis.* Hæc oſtendunt analogicæ Etymologiæ Recentiorum non ineptam rationem reddi poſſe; cùm Hieronymianæ & violentæ ſint, & ſine ratione; niſi allegorica, cui eſt idem pondus ac fumo. Non puto autem

quemquam fore, qui nobis obtrudere velit rationem nominis, quam profert *Stephanus*, in voce Δάφνη: Ἔστι καὶ ἄλλη, inquit, πλησίον Πηλουσίου, ὅτι διὰ τῶν ἐκεῖ πολλῶν φυομένων δαφνῶν: *Eſt & alia Daphne*, *prope Peluſium*, *quæ à creſcentibus iis in locis lauris nomen nacta eſt.* Attamen hæc Etymologia non eſt abſurdior multis, quæ exſtant in Origeniano Lexico, ubi pro Hebraïcis habentur nomina Græca & Romana non pauca.

XVI. OBJICIAT tamen fortè quiſpiam nos, in Commentariis noſtris in Pentateuchum, interdum obſervaſſe in Etymologiis nominum propriorum, quæ in Scriptura ipſa traduntur, non uſque adeò ſervari Analogiam; exempli gratiâ, in Noachi nomine. Verùm alia planè eſt ratio Hiſtoricorum Sacrorum narrantium ex vero quod contigit; alia eorum, qui multis pòſt ſæculis aliquid conjiciunt. Si quid, præter morem Linguæ, in imponendis nominibus contigit, quod ſanè potuit aliquando contingere, id Scriptoribus Sacris certò innotuit; ideóque, ne divinam eorum auctoritatem memorem, dignum eſt creditu. At propterea non licet cuivis fingere Etymologias quaſvis, nul-

lâ Analogiæ ratione habitâ. Alioquin hîc idem contingeret quod in Homœomeriis Anaxagoræ; quodlibet enim nomen ex qualibet origine deduci poſſet. Quod abſurdius cenſebitur, ſi, quod tamen ſolet *Hieronymus*, ex violentis & commenticiis illis originationibus, conſectaria deducere, & in Allegorias exſpatiari velimus. Quid enim à Ratione alienius eſſe poteſt, quàm id ſtatuere quod ne veriſimile quidem eſt, ut occaſionem habeamus dicendi quidquid in buccam veniet? Talia ſi hodierni Critici facere primi cœpiſſent, numquam *Martianæi* ludibrium effugerent; qui tamen mirari nos vult eos, qui in ejuſmodi nugis pueriliter ingenium oſtentant.

XVII. HÆC, niſi fallor, ſatis ſupérque oſtendunt, quod demonſtrare aggreſſi fueramus, initio hujuſce diſputationis; nimirum, *Hieronymum*, cùm Scripturam vertere atque illuſtrare aggreſſus eſt, parum fuiſſe inſtructum iis ſubſidiis, quibus nunc abundamus, poſtquàm Lexica Hebraïca arte & methodo confecta ſunt, hoc & ſuperiore ſæculo. Unde ſequitur ut multa peccata admiſerit, quæ nunc facilè vitamus, útque mul-

tò minùs Hebraïcam Linguam calluerit, quàm hodie viri eruditi; quod etiam, collatis utrorumque ſcriptis, ex re ipſa manifeſtum eſt.

QUÆSTIO VI.

An HIERONYMUS *aliquando ſibi paſſus ſit fucum fieri à Judæis.*

I. CUM conſtet *Hieronymum* Judæorum operâ, ad diſcendam Linguam Hebraïcam, eſſe uſum; quod profitetur, variis in locis, à *Deſ. Eraſmo* & *Marian. Victorio*, in ejus vita allatis; cúmque ſine dubio, multis in rebus, fallatur; quarum nonnullas ab iis accepiſſe eum perſpicuum eſt; viri eruditi, qui ejus exiſtimationi conſultum voluerunt, admiſſa, quæ non rara in ejus ſcriptis occurrunt, Judæis, potiùs quàm ipſi, accepta referri voluerunt. *Joannes* verò *Martianæus*, qui omnia Hieronymiana dicta non tantùm laudabilia, ſed etiam manifeſtò falſa defendenda, more imperitorum patronorum, ſibi putavit, graviter in eos invectus eſt, in III. *Prolegomeno*, ut id

id vocat, Tomo ſecundo præmiſſo; cùm iis contrà gratias, ſi ſapuiſſet, habere deberet, quòd molliter Hieronymiana errata caſtigaſſent. Inter eos autem, quos ſibi invadendos propterea putavit, eſt patruus meus *David Clericus*, olim Orientalium Litterarum in Academia Genevenſi Profeſſor. Cujus quidem optimi ac doctiſſimi viri Manibus hoc debeo, ut eum tuear contra quoſvis maledicos, cùm propter conjunctionem ſanguinis, tum etiam quia *Quæſtiones* ejus *Sacras*, quæ vellicantur à *Martianæo*, in lucem publicam emiſi. At Deum teſtor, niſi exiſtimarem ab eo meritò caſtigatum *Hieronymum*, me ſilentio rem prætermiſſurum fuiſſe: cùm & humanum ſit errare, & æquum eos erroris argui, qui hallucinati ſunt; præſertim mortuos, quibus nocere non poteſt caſtigatio; quæ ſimul vivis prodeſt, quippe quæ impedit ne errantes incauti ſequantur. Nunc verò, cùm ſtudium Veritatis conjunctum ſit cum reverentia Patrui, officióque quod ejus memoriæ debeo; non committam, ut optimam ejus cauſam videar deſeruiſſe. Verùm ut ea defenſio cum majore Studioſorum Sacrarum Litterarum utilitate ſit con-

junćta,

juncta, priùs generalem quæſtionem, an aliquando deceptus ſit à Judæis *Hieronymus*, excutiam; quàm deveniam ad ſingularem illam hallucinationem, à Patruo meo reprehenſam.

II. DUPLICI ratione potuit *Hieronymus* à Judæis decipi, in Interpretatione Veteris Teſtamenti. Potuere enim Judæi, ſeu quòd ipſi ita ſentirent, ſeu quòd eum fallere vellent, hominem docere eam eſſe ſignificationem ſingulis verbis Hebraïcis, aut ſententiam integris loquutionibus & periodis, quæ reverà non eſt. Cùm Grammaticæ ac Dictionarii auxilio deſtitueretur, quæ ab iis accipiebat de vocibus & locis obſcuris, poterat dumtaxat conferre cum Tranſlationibus Græcis Hexaplorum; quæ cùm accuratæ non eſſent, non poterant ſemper dubitantem expedire. Fuit etiam fortaſſe nimis credulus Magiſtris illis Judæis, eorúmque reſponſa, ſine examine, nimis facilè quaſi vera ſæpiùs æquo admiſit. Nos verò qui & Grammaticis & Lexicis ac Concordantiis inſtructi ſumus, ante omnia videmus an ſignificatio conveniat omnibus locis, in quibus vox aut loquutio legitur, nec circumſtantiæ ſuadent alio, atque alio ſenſu accipi eas

opor-

oportere, comparamúſque Derivata cum Radicibus, aliiſque Derivatis, & Linguas Orientales, inter ſe, magno ſtudio & labore contendimus. Tum ſi quæ conſtructio expendenda ſit, ad Grammaticas Regulas confugimus, quæ nobis ſunt inſtar Cynoſuræ.

III. EXEMPLIS hæc ut illuſtremus, vox צמה *tſammah*, occurrit Cantico Canticorum Cap. IV, 1, 3. VI, 7. & Iſaï. XLVII, 4. ubi utrobique ſermo eſt de muliere. Sic enim ſponſus alloquitur Cant. IV, 1. ſponſam: *Ecce tu pulcra es, amica mea, ecce tu pulcra es; oculi tui columbæ* מבעד צמתך mibbahad tſammathech, *inter comam tuam*; & verſ. 3. *ſicut fragmentum mali punici tempus tuum, inter comam tuam.* Eadem prorſus verba iterum occurrunt Cap. VI. Ita verò Iſaïas Babylonicas puellas alloquitur Cap. XLVII, 4. *Cape molas & mole farinam; revela comam tuam*, (צמתך) *denuda crines; retege crus, tranſi flumina.* Ita vertunt vocem צמה Recentiores plerique, exceptis nonnullis qui poſt LXX. Intt. in Iſaïæ loco, *velum* ſeu *integumentum* capitis ſignificari volunt, quorum ego quidem ſententiam prætulerim; quia radix צמם, quæ in Scriptura non exſtat, apud Chaldæos, ſignificat

ſicat *texit*, eáque ſignificatio æquè commodè locis omnibus convenit, ac *comæ* poteſtas. Attamen *Hieronymus*, in Cantico Canticorum, aliter planè vertit, habet enim: *abſque eo quod intrinſecus latet*; quibus verbis quid intelligat docet Eſai. XLVII, 4. ubi hæc leguntur: *denuda turpitudinem tuam*; quæ verba ſic in Commentario interpretatur: *In eo ubi nos interpretati ſumus:* denuda turpitudinem tuam; *pro quo LXX. tranſtulerunt* ἀποκάλυπτε τὸ κάλυμμα, *id eſt*, revela operimentum, *Theodotio ipſum verbum Hebraïcum poſuit* ſamlathech, *Aquila* ſamatech, *Symmachus* τὴν σιώπησίν σου, *quod nos exprimere poſſumus*, taciturnitatem tuam, *quòd taceri debeat præ verecundia. Quod quidem & in Cantico Canticorum legimus, ubi ſponſæ pulcritudo deſcribitur, ad extremum infert*: abſque taciturnitate tua; *nolentibus qui interpretati ſunt transferre nomen, quod in Sancta Scriptura ſonaret turpitudinem. Rectéque contra Babylonem inverecundis utitur nominibus, licèt nulla ſit turpitudo humani corporis membrum vocare nomine ſuo.* Hæc cùm legiſſet *Jacobus Cappellus*, olim Sedani S. Theologiæ Profeſſor, non dubitavit affirmare in Ob-

ſer-

ſervationibus ad Canticum, *Hieronymum deceptum fuiſſe à Judæo, quo tum utebatur.* Ac ſanè nec loca, in quibus vox occurrit, ei favent, nec origo vocis, nec veteres Interpretes. Si enim ambiguus eſſe cenſeatur locus Iſaiæ, at certè ambigua non ſunt Cantici loca, in quibus manifeſtò ſignificatur aliquid *temporibus* & *oculis* vicinum. Præterea quis credat à Salomone apertè laudari, in Sacro Cantico, id quod ne ganeones quidem nominare ſuſtinent? Nam ratio *Hieronymi*, nullam *eſſe turpitudinem humani corporis membrum vocare nomine ſuo*, in Porticu ferri poſſet, ubi ea opinio obtinuit, non in ſchola Apoſtolorum. Sic deceptus à Magiſtro, cùm Veteres Interpretes non haberet præeuntes, aberràvit Bethlehemiticus Aſceta.

IV. LUDOVICUS verò * *Cappellus*, Jacobi frater, cui multùm debent Sacræ Litteræ, exiſtimavit idem contigiſſe *Hieronymo*, in interpretatione vocis רשף *reſcheph*, quam *Diabolum* vertit Habakkuki III, 4. & hiſce verbis copioſiùs in Commentario interpretatur: *Ubi diximus:* egredietur Diabolus ante pedes ejus, & *Septuaginta*

* *In Not. Criticis ad Habak.* III. 5.

ginta aliter tranſtulerunt, *juxta quos poſtea diſputabimus*, *Aquila pro* Diabolo *tranſtulit* volatile. *Symmachus autem & Theodotio*, *& V. Editio* volucrem, *quod Hebraicè dicitur* RESEPH. *Tradunt autem Hebræi*, *quo modo in Evangelio Princeps Dæmonum dicitur eſſe* Beelzebub : *ita* Reſeph *Dæmonis eſſe nomen*, *qui principatum teneat inter alios*, *& propter nimiam velocitatem*, *atque in diverſa diſcurſum*, avis & volatile *nuncupetur*; *ipſúmque eſſe qui in Paradiſo ſub figura ſerpentis mulieri ſit loquutus*, *& ex maledictione*, *quâ à Deo condemnatus eſt*, *accepiſſe nomen*; *ſi quidem* Reſeph *reptans ventre interpretatur.* Fateor tamen *Lud. Cappellum*, hallucinatum in eo quòd exiſtimavit רשף *reptile* numquam ſignificare, cùm certum ſit hanc eſſe Radicis Syriacæ רשף *rſchaph* ſignificationem, ut rectè obſervavit *Martianæus.* Sed primùm, in hoc loco, *Hieronymus* miſcet duas Etymologias, quæ ſimul ſtare non poſſunt. Nam ſi Cacodæmon dicatur רשף quòd ſerpens, inſtrumentum quo uſus eſt, *repat*, non poteſt eodem nomine vocari, quòd ſit *volucris*, & vicè versâ. Quamobrem, in hac ſaltem Etymologia, deluſus eſt à Judæis *Hieronymus.*

Præ-

Præterea deceptus eſt, in ipſa ſignificatione vocis, quæ propriè *prunas* ſonat, deinde tralaticiè *carbunculos* peſtilentes; unde fit ut, in loco Habakkuki, conjungatur cum peſtilentia: *ante faciem ejus ibit peſtis, ante pedes carbunculus.* Nullus eſt locus, in quo ab illis ſignificationibus reccedere neceſſe habeamus, ut Lexica ipſa docebunt; qualia ſi habuiſſet *Hieronymus*, numquam Judæis tam facilè credidiſſet.

IV. Quis poſſit dubitare an os ei ſublitum etiam fuerit à Judæis, in explicatione vocis מקדם *mikkedem*, Gen. 11,8? Eam enim poſtquàm malè *ab exordio* interpretatus eſt, ſic in Traditionibus Hebraïcis ratiocinatur: *Ex quo manifeſtiſſimè comprobatur, quòd priuſquam cœlum & terram Deus faceret, Paradiſum ante condiderat ſicut & legitur in Hebræo:* plantaverat autem Dominus Deus paradiſum in Eden è principio. Scio *Martianæum* & alios dicere, *Hieronymum* loqui ex Judæorum ſententia, non ex ſua. Verùm quis umquam tantâ adſeveratione alienas opiniones protulit? Si quis ita aliquando loquutus eſt, cedo exemplum. Unde licebit dignoſcere quod ex ſua perſona affirmat

mat *Hieronymus*, ab eo quod ex aliena proponit? At rejecit quartum Librum Eſdræ, in quo hæc Judæorum opinio habetur. Quaſi verò conſtet eum Librum ab *Hieronymo* rejectum, propter hunc errorem! Poſtremò mira eſt defendendi *Hieronymi* ratio, quâ quidquid rectum eſt, aut certè propugnari poteſt ejus eſſe concedetur; errores verò omnes ex aliena perſona dici cenſebuntur. Quis Scriptor, aut quis error excuſari non poſſet, ſi hæc defendendi ratio valeret?

V. In locis obſcuris, fidi eſt Interpretis ad verbum omnia vertere, ut Lector videat an ſenſum aliquem ex iis locis excudere poſſit; non verò eum inferre, qui ex verbis exſculpi non poteſt. Hoc tamen factitavit *Hieronymus*, ut oſtendimus in Commentario noſtro ad Pentateuchum. Verùm exemplum, hanc in rem, unum proferemus, quòd videatur omnino etiam in eo loco à Judæis deceptus. Num. XXI, 14. ſic ad verbum habent Hebraïca, *Propterea dicetur in narratione* (vel *in* libro) *bellorum Jehovæ*, *Vaheb in Supha & torrentes Arnon.* At *Hieronymus* habet: *unde dicitur in libro bellorum Domini: ſicut fecit in mari Rubro, ſic faciet in torrentibus.*

Arnon:

Arnon. Unde verò hunc ſenſum habuit Hieronymus? A Judæis, nam ſimilis ſententia exſtat apud Onkeloſum: *Quæ fecit Dominus in mari rubro, & potentiæ ſpecimina edita ad torrentes Arnon.* Alibi non rarò magis conſentit, præſertim in locis obſcuris, cum Chaldaïcis Paraphraſibus, quàm cum Græcis interpretibus; in quibus locis, ſi fallitur, à Judæis in errorem conjectus meritò cenſeri poteſt.

VI. CUM *Joannes Martianæus*, qui, ut dixi, *Hieronymum* per omnia defendendum ſibi eſſe putavit, non poſſet pati eum inſimulari errorum * à Judæis acceptorum; ut infirmaret argumenta, quæ ex allatis ſimilibúſque aliis locis deſumuntur, collegit multa loca *Hieronymi*, in quibus acriter Judæos & Judaïſmum oppugnat, oſtendítque ſe minimè ei genti amicum fuiſſe. Verùm *Martianæus*, farragine illâ locorum probavit quidem *Hieronymum* non fuiſſe Judæum, quod à nemine affirmatur; at non probavit minimè habuiſſe præceptores Judæos; minimè Hebraïcam Linguam ab iis didiciſſe, nec multa accepiſſe, quæ paſſim libris ſuis inſerit; nequaquam diſſimulatis iis à quibus ea habebat.

* *In Proleg. III. Tom. II.*

Vel ſola inſcriptio libri *Traditionum Hebraicarum* rem in meridiana luce collocat. Dum autem eos præceptores audit dictitantes πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρὰ, ut verbis Homericis utar, *multa bona ac mala miſta* effutientes, quid mirum ſi interdum ab iis ſe decipi paſſus eſt, cùm in vocibus, tum in rebus? Sed quid opus eſt probatu, hoc potuiſſe fieri, cùm factum eſſe conſtet?

VII. HISCE præmiſſis, deveniendum ad ſingulare illud exemplum, quo Patruus meus Quæſtionum Sacrarum XXVI. oſtendit *Hieronymum*, paſſum ſibi os oblini à Judæo quopiam. In Commentario in Ep. ad Galatas, ita ſcribit *Hieronymus: In Hebræo ſæculum, id eſt,* OLAM, *ubi* VAU *litteram poſitam habuerit æternitatem ſignificat; ubi verò ſine* VAU *ſcribitur, quinquageſimum annum, quem illi Jobilæum vocant. Ob hanc cauſam, & ille Hebræus qui propter uxorem & liberos amans Dominum ſuum, aure pertunsâ ſervitio ſubjugatur, ſervire jubetur* in ſæculum, *hoc eſt, uſque ad annum quinquageſimum; Et Moabitæ & Ammonitæ non ingredientur in Eccleſiam Domini, uſque ad quintam & decimam generationem*

&

& uſque in ſæculum, *quia omnis dura conditio Jobilæi ſolvebatur adventu.* Obſervavit Patruus meus, in priore loco, qui exſtat Exod. XXI, 6. revera abeſſe Vau, at in poſteriore qui eſt Deut. XXXIII, 3. legi; unde collegit *Hieronymum*, à Rabbino Magiſtro deceptum, hallucinatum eſſe. Ac ſanè nihil vetat credere non ex inſpectione Codicum Hebræorum (quos tamen neque ego, neque Patruus negavimus ab eo lectos) ſed ex traditione Magiſtri hoc habuiſſe. Primùm enim hæc obſervatio redolet inane Rabbinorum ingenium, qui in *plenis*, ut loquuntur, dictionibus, à *non plenis* diſtinguendis futilia aucupantur myſteria. Deinde eſt planè falſa, ut ex aliis locis à Patruo, & Lexicographis allatis, aut in Concordantia Hebraïca quærendis manifeſtum fit. Nec quiſquam, ut puto, ſibi perſuadebit *Hieronymum* in ſententiam memoratam non deſcendiſſe, niſi poſt inſpecta omnia loca, quæ non ſunt exiguo numero, in quibus vox עלם aut עולם occurrit. Itaque ſi *Hieronymus* non erravit in duobus locis, quæ in ejus Codice ſcripta fuerint, ut dicit, quemadmodum vult *Martianæus*; at in re ipſa, prorſus

hallucinatus eſt. Quod ſanè ei non contigiſſet, ſi plura loca Codicum Hebraïcorum inſpexiſſet, in quibus occurrit vox illa עולם *holam*; quam plenè vidiſſet ſcribi, ubi de æternitate propriè dicta ſermo non eſt. Neque enim exiſtimo *Martianæum* dicturum omnia illa loca malè eſſe ſcripta, atque emendanda ex animadverſione *Hieronymi*. Certè, ſine ludibrio Eruditorum omnium, non diceret.

VIII. Jam ad ſuperiorem Quæſtionem obſervavimus, *Hieronymum* non videri ſemper præ oculis Hebraïcum Codicem habuiſſe. Attamen hìc, quoniam ita viſum eſt *Martianæo*, duo alia inſignia exempla ejus rei ſubjiciemus. Prius eſt deſumtum ex ejus Commentario in hæc verba Danielis Cap. IV, 5. *Donec alius* (אחרן ahhoren) *veniret coram me*, *Daniel*, *cujus nomen Belthſchatſar* &c. ad quæ ſic habet *Hieronymus*: *Exceptis LXX. Tranſlatoribus*, *qui hæc omnia*, *neſcio quâ ratione prætererunt*, *tres reliqui collegam interpretati ſunt.* Vellem attuliſſet vocem Græcam, quâ *Aquila*, *Symmachus* & *Theodotion* uſi erant; nam ſanè Chaldaïca *collegam* non ſignificat, ſed *alium*. Quo factum ut conjiceret & quidem εὐςόχως, *Joannes*

nes Druſius, eos uſos voce ἕτερος, *alter*, aut *alius*; quam *Hieronymus* miſcuit cum voce ἑταῖρος *ſocius*, vitioſo codice, aut malâ pronunciatione deceptus. Profectò Chaldaïca ſi hîc inſpexiſſet, facilè intellexiſſet quid voluiſſent Græci Interpretes.

Alterum exemplum exſtat in Commentario in Hoſeæ Cap. IV, 15. *Ne adſcenderitis in Beth-aven*, בית און, ubi LXX. habent οἶκον Ὤν, nam pro *Aven* legerunt ON, quo modo, ſi abſint puncta, poteſt æquè commodè vox legi, & reverâ ſic legitur, quamvis alio ſignificatu. *Hieronymus* autem ita hunc locum interpretari aggreditur: *Pro domo* Ὤν, *in quibuſdam exemplaribus, & maximè in Theodotione legimus*, οἶκον τῆς ἀδικίας, *id eſt, domum iniquitatis, quod Aquila & Symmachus interpretati ſunt* οἶκον ἀνωφελῆ, *id eſt, domum inutilem quæ nihil proſit, & alio verbo Idolum nuncupetur. Eſt autem Bethel, & quæ priùs vocabatur domus Dei, poſtquàm vituli in ea poſiti ſunt, appellata eſt Bethaven, id eſt, domus inutilis & domus Idoli, quod nos ut in Hebræo legitur expreſſimus.* Tum aliis interjectis, de Idololatria Jeroboami. *Miror*, inquit, *cur Septuaginta domum* Ὤν *interpretati ſunt,*

niſi fortè, *errore conſueto*, *pro Jod littera media*, *quæ Aleph & Nun litteris ex utraque parte vallatur*, *Vau quæ ſolâ differt magnitudine putaverunt.* Si legiſſet *Hieronymus* בית אין *beth en*, poſſent hæc ferri, ſed qui legit *Bethaven*, ut edidit etiam *Martianæus*, in Verſione, quæ eſt in I. Volumine, quî mirari potuit LXX. Intt. legiſſe און *on*? Difficilius etiam erit intellectu, quomodo ita loqui potuerit *Hieronymus*, ſi hoc nomen ſcriberet aliquando BETHAUN, ut, in Editione *Martianæi*, ſcribitur ad vocem *Bethel*, in Libro de ſitu & Nominibus Locorum Hebraïcorum. Crediderim, præter incogitantiam, quæ ignoſci quidem poteſt, at defendi non poteſt, ejus animo obverſaſſe legi in Hebræo Codice בית אין, propter verſionem *Aquilæ* & *Symmachi*, qui ſic legiſſe videbantur. Quidquid id eſt, nemo negarit verba hæc *Hieronymo* excidiſſe, quòd eo tempore Hebraica non inſpiceret.

IX. HAEC cùm ita ſint, non poteſt tamen, niſi ſtultè, nobis objici *Hieronymum* à nobis inſimulari numquam lecti Hebraïci Codicis. Itaque non eſt *error Clericorum*, ut loquitur *Martianæus*, *quòd adſerant Hieronymum*

num deceptum à Rabbino Magiſtro, in lectione voluminum Hebraicorum; quaſi lingua tantùm & auribus ſtuduiſſet, interrogans, & ab eodem audiens quid legeretur in Hebræorum exemplaribus. Exiſtimarunt Clerici interdum deceptum *Hieronymum*, ſeu eum piguerit Hebræa inſpicere, ſeu nimis feſtinarit, aut aliis occupationibus diſtineretur; quod illi ſanè contigit in voce עולם, quam in antiquis Exemplaribus integrè ſcriptam fuiſſe, dumtaxat ubi ſermo eſſet de æternitate Dei, omiſſum verò Vau, in omnibus aliis locis credat, ſi velit, *Martianæus.* Ego quidem *cras credo*, ut ille ait, *hodie nihil.* Hoc tamen niſi ſtatuatur, deceptus fuerit *Hieronymus*, quòd temerè Magiſtro crediderit; nam loca duo, quæ profert, ſunt tantùm exempli inſtar.

X. NISI *Martianæus* occæcatus fuiſſet cupiditate defendendi *Hieronymi*, contra quaſvis caſtigationes, non attigiſſet hanc reprehenſionem, non modò quia manifeſtò falſum eſt diſcrimen ſignificationis, quod quæritur in hac voce integrè aut minùs integrè ſcripta; ſed etiam quia alterum exemplorum, ab *Hieronymo* allatorum, oſtendit eum dormitaſſe, cùm hæc

ſcriberet. Locus enim Deut. XXIII, 3. de Hammonitis & Moabitis nonniſi abſurdè profertur ad probandum, voce עלם *holam*, quinquaginta annos ſignificari, cùm Moſes loquatur de *decem ætatibus*, (nec ſcio cur apud *Hieronymum* quindecim memorentur) quæ minimùm trecentos annos conficiunt, dicátque ex verſione *Hieronymi: Hammonites & Moabites, etiam poſt decimam generationem, non intrabunt Eccleſiam Domini, in æternum.* Quin & *decem generationes* illic ſumuntur pro quàm longiſſimo tempore, ut vel hæc verba oſtendunt. Attamen dubitare nos non ſinunt ſequentia *Hieronymi* verba, quin hîc לעלם *leolam*, intellexerit de quinquaginta annis, quamvis ea verba ſint quoque dormitantis: *quia omnis dura conditio*, inquit, *Jobilæi ſolvebatur adventu.* Quis enim neſcit Jobilæum pertinuiſſe tantùm ad poſſeſſiones Judæorum, vel ſervos Judæos, aut qui Judæi habebantur; quales numquam poterant eſſe Moabitæ ac Hammonitæ? Itaque ad hoſce nihil faciebat Jobilæus, qui erant peregrini; &, ne decimâ quidem ætate, hoc eſt, numquam poterant fieri cives Hebræi.

Cùm

Cùm hanc tam abſurdam citationem loci Moſaïci expendo, ſubit animum meum ſuſpicio de lapſu memoriæ; quo locum poſteriorem ex Deut. XXIII. acceptum à Magiſtro ad probandum עולם cum *Vau* ſignificare æternitatem, perperam protulerit *Hieronymus*, ad probandum eo ſignificari quinquaginta annos.

XI. QUISQUIS hæc, & quæ ad Quæſtionem V. §. 2. & ſeqq. diximus expenderit, nequaquam mirabitur inconſtantiæ inſimulari *Hieronymum*, hac in re. Sed hoc magis liquet ex loco Comment. in Ezechielem Prophetam, ubi OLAM interpretatur ſeptuaginta annorum ſpatium. Cùm enim dixiſſet Propheta Tyrum deletam *inventum non iri* לעולם *leholam*, ſic habet Hieronymus: *Et ultra, inquit, non invenieris in ſempiternum; ſive, ut in Textu Hebraica OLAM & in Græco αἰὼν, ſcribitur, unum ſæculum ſignificat, juxta illud Eſaiæ, qui poſt LXX. annos dicit Tyrum reſtituendam in integrum ſtatum. Aiunt autem unum ſæculum, id eſt, humanæ tempus ætatis LXX. annorum numero ſupputari, Pſalmiſtâ dicente: dies annorum noſtrorum in ipſis LXX. anni.* In hac re ſita eſt inconſtantia *Hieronymo* objecta à Patruo

truo meo, non eo quòd hîc OLAM, plenè ſcriptum de LXX. annis intelligat, quod minimè animadvertit Monachus Benedictinus, conclamatarum cauſarum patronus.

XII. NON eſt itaque quod nobis objiciat in MSS. Codicibus *Hieronymi*, legi Latinis Characteribus OLAM, quod non negamus; cùm univerſa Stridonenſis Presbyteri obſervatio falſa ſit, nec quiſquam credat ab *Hieronymo* ſcriptam, inſpectis omnibus locis in quibus vox עולם occurrit in Textu Hebræo. Hinc etiam licebit intelligere à Patruo meo molliter ſanè dictum fuiſſe *Hieronymum* à *Rabbino deceptum*, cùm potuiſſet eum duplicis peccati reum facere, quorum gravius prætermiſit; quo ne ſatis quidem rectè quod à Magiſtro acceperat ſcriptis conſignavit. Quibus demonſtratis, non addam quod dici poſſet contra *Martianæum*, de feſtinatione *Hieronymi* in dictandis Commentariis. Erit ei rei poſthac ſuus locus, in hiſce Quæſtionibus. Hoc unum adjiciam, ex Rhetorica Hieronymiana, hanc hyperbolen deſumtam eſſe à Martianæo, Aſcetam Bethlehemiticum *plus potuiſſe curſim, unâ die, ſcribendo vel dictando, quàm*

Cle-

Clericos duodecim menſium ſpatio, & *totâ mente intentos in Compoſitionem librorum.* Tanti erat *Hieronymum* à *Martianæo* edi, ut ita ῥητορεύειν diſceret. *Clerici* minimè jactabunt ſuos labores, quos ignorat fortè Monachus Benedictinus; ſed, ne quid fallatur, minimè invident *Hieronymo*, dicendi facultatem, cum tot erroribus conjunctam; quos in lucem protrahere nos coëgerunt ejus Operum Editoris nimiæ laudes, in olim mortuum, congeſtæ: & acerba maledicta in eos qui etiamnum, Dei beneficio, vita fruuntur, aut non ita pridem utilem, dum viverent, Reipublicæ Litterariæ operam navarunt.

QUÆSTIO VII.

Quanti ſint facienda rationes, quibus Martianæus adductus eſt ut ſummam peritiam Linguæ Hebraicæ HIERONYMO *tribueret.*

I. JAM diximus nullam nobis controverſiam futuram fuiſſe cum *Martianæo*, ſi modicas laudes in *Hieronymum* contuliſſet, nec

nec ſine fructu ſcripta ejus evolvi contendiſſet, quem poſtea minimè eſſe ſpernendum ad Quæſtionem VIII. oſtendemus. Verùm cùm ita eum paſſim Monachus Benedictinus laudet, ut omnes Recentiores præ eo contemnat, & inviriſſimus patiatur nos ab ejus ſententia abire; nec famam præſtantiſſimorum virorum, nec Veritatem ipſam prodere ſuſtinuimus. Si à nobis poſtulaſſet, ut erratis ejus ignoſceremus, propter utilitatem quam ceteroquin ex ejus Scriptis capimus, rem facilè à nobis impetraſſet; ſi modò eadem æquitate, erga Recentiores Scriptores, uti nos etiam ſineret. At quia manifeſta hominis peccata acerrimè tuetur, quaſi delicta non eſſent habenda, quæ verè delicta ſunt, propter alias Scriptoris dotes, & quia conculcat omnem Recentiorum famam, propter admiſſa quæ in eorum Scriptis animadvertiſſe ſe putat; neceſſe habuimus *Hieronymi* eruditionem ad ſeverius examen revocare & æquè liberè de eo loqui, ac fecit Monachus Benedictinus de viris, quos *Hieronymo*, nullâ re inferiores, & multò etiam Linguæ Hebraïcæ cognitione ſuperiores eſſe exiſtimabamus. Si res nobis eſſet cum ho-

hominibus, qui præjudicatâ nullâ opinione laborarent, quæ antea à nobis dicta ſunt ſatis eſſe poſſent ad demonſtrandum id quod volumus; ſed quia contra vulgare & vetus præjudicium eſt nobis pugnandum; neceſſe habemus paucis expendere quæ *Martianæus*, profert ad oſtendendum multò majorem fuiſſe eruditionem *Hieronymi*, quàm nos putamus.

II. IN tertio Prolegomeno Tomi II. multis egit de Eruditione *Hieronymi*, in humanioribus litteris ac gravioribus diſciplinis; quam tantam non fuiſſe ſatis liquet, ex iis quæ diximus de ejus peritia Græcæ Linguæ. Verùm de hac Eruditionis ejus parte nequaquam agemus, ſed tantum de peritia Hebraïcæ Linguæ, quæ longè maxima ei tribuitur à *Martianæo*, Cap.II. Commentarii in Librum de Nominibus Hebraïcis. Eodem in Capite, reſpondere conatur argumentis ex eo potiſſimum deductis, contra eruditionem *Hieronymi*; ſed quorum graviſſimis nequaquam ſatisfacit, nec ſanè quiſquam ſatisfacere poſſit, ut antea multis probavi. Attamen Monachus noſter, quaſi rem in aperta luce collocaſſet, ita adverſariis illudit: *Criticorum*, inquit, *quiſquis aureum illum Hieronymi*

mi relegere Commentarium (in Ep. ad Titum) *voluerit*, & *adnotationes ejus è Libro Nominum antea recitatas*, *illico fatebitur*, *ſi fidei plenus eſt*, NIHIL IN SERMONE HEBRÆO HIERONYMUM LATUISSE, *tantámque hujus Idiomatis peritiam fuiſſe in ſancto viro*, UT NULLUS GRAMMATICORUM HODIERNORUM SIT ILLI ÆQUIPARABILIS. Ego verò ita diſſentio à *Martianæo*, ut exiſtimam hominem non prorſus imperitum Linguæ Hebraïcæ, & qui velit dicere quod ſentiet, lectis his *Hieronymi* Operibus, aut etiam iis quæ ad IV, V. & VI. Quæſtiones antea diximus, illico prædicaturum non paucos, XVI. & XVII. ſæculo, vixiſſe & vivere viros eruditos, cum quibus peritiâ ſermonis Hebraïci, aliarúmque Orientalium Linguarum, nullo modo ſit conferendus *Hieronymus*. Certè multùm abfuit à peritia *Sanctis Pagnini*, *Franciſci Vatabli*, *Joannis Merceri*, *Joannis Druſii*, *Joſephi Scaligeri*, *Joannis Buxtorfii*, *filiique ei cognominis*, *Valentini Schindleri*, *Thomæ Erpenii*, *Ludovici Cappelli*, *Gulielmi Schikardi*, *Samuelis Bocharti*; *Ludovici de Dieu*, *Joannis Cocceji*, *Edmundi Caſtelli*, *Eduardi Pocockii*, & aliorum. Quos tametſi incogitan-
tiæ

tiæ atque erroris, quippe homines, immunes fuiſſe minimè puto; attamen tot & tantorum errorum, quot & quantos in *Hieronymi* Operibus animadvertimus, inſimulari poſſe nemo dixerit, aut certè probarit. Habuerunt, fateor, auxilia, quibus caruit *Hieronymus*, Grammaticas, Lexica, Concordantias, aliáque id genus; ſed habuit & ille Hexapla, quibus à multis ſæculis caremus, atque ex quibus multa poſſemus certiùs & tutius diſcere, quàm ille fecit, ſi etiamnum exſtarent. Quanti ergo, inquies, facis argumenta, quibus utitur *Martianæus*, ad probandum *Hieronymo* neminem Recentiorum eſſe æquiparandum? Laconico more uno verbo reſpondebo; nihili.

III. Et verò, inquit ille, *quiſnam hoc ævo ſatis callet ſermonem Hebræorum, ad docendum nos rationem commutationis adſpirationum & vocum in Elementis Aleph & Ain, He & Heth?* Permulti, *Martianæe*, qui non oſcitanter legerunt Grammaticas Linguarum Orientalium, à quibus res multò accuratiùs tractata eſt, quàm ab *Hieronymo* fuit; nemo enim earum nobis eas litteras pro vocalibus obtruſit, ut fecit *Hieronymus*. Veram

quidem pronunciationem antiquiſſimorum Hebræorum nos penitus adſequi gloriari non poſſumus; ſed nec ipſe eam adſequutus eſt *Hieronymus*, cùm jam per multa ſæcula demortua eſſet eorum Lingua. Potuit tantùm audire à Judæis, Syris, Arabibus, aut Chaldæis, quomodo pronunciarent ipſi. Qua in re, error facilè irrepere queat, nam non prorſus conſtat illos populos eadem planè ratione pronunciare eas litteras, ac veteres Hebræos. Sed & nos hodie Arabas poſſumus audire eas litteras pronunciantes eo modo, quem vix ac ne vix quidem Europæorum guttur adſequi poteſt. Attamen ſi quis hodie Hebraïcè ſciens, characteribus Latinis, Catalogum Nominum Hebraïcorum edere aggrediatur, multò accuratiùs ſonum gutturalium exprimat, quàm fecit *Hieronymus*. *Aleph* eſſet ſpiritus lenis, *He* adſpiratio Latina ſimplex, *Hheth* verò duplex, *Ajin*, ſi neceſſe eſſet, poſſet ſingulari ſigno diſtingui; qualia invenit vir Linguarùm Orientalium peritiſſimus *Jobus Ludolfus*, ad exprimendam vim litterarum Æthiopicarum. Vocales, quæ in Hebræo ſermone conjunctæ eſſent cum ea gutturali, poſſent,

exempli

exempli cauſâ, tranſversâ lineolâ ſecari. Verùm propterea novum *ſtylum* chalybeum, & novam *matricem*, ut loquuntur Artifices, oporteret fieri. Multò meliùs novimus rationem mutationis *vocum*, quàm *Hieronymus*; quòd regulis certis nitamur, quales ille nullas habuit; quamvis nolim diffiteri in Maſſorethica punctatione multa poſſe carpi. At quis nos docebit accuratiorem per omnia fuiſſe prolationem ſingularum vocum, apud Judæos, temporibus *Origènis* & *Hieronymi* receptam? Profectò variæ lectiones, quæ ex LXX. Interpretum Verſione erui poſſunt, non ſunt ſemper commodiores hodiernis. Imò verò hás ut plurimum præferendas, accurato examine, intelleximus. Quia etiam *Hieronymus* ſæpe prioribus omiſſis, alias ſequitur noſtris ſimiles. Si autem antiquiorum temporum lectiones non ſunt ſemper meliores, imò verò ſunt aliquando deteriores recentioribus; antiquitas lectionum Hieronymianarum non erit ſat magni ponderis, ut ejus causâ præferantur ſemper recentioribus; nec ſanè res ipſa ſemper prioribus illis favet. Verùm hæc nos ad alia ſenſim abducerent. Pergamus quæſtiunculis *Martianæi* reſpondere.

 IV.

IV. *A quo Lexico, ex qua Grammatica Hebræa diſcere poſſum, quid ſit apud Hieronymum ſtridor quidam in littera* ש Sin, *non noſtri ſermonis interſtrepens*? Ab omnibus, quæ quidem viderim; nam omnes Grammatici ac Lexicographi docent *Schin* ש, ita pronunciari, ut aures Græcæ ac Romanæ nullum ſimilem noſſent ſonum; quem tamen non tantùm Syri & Arabes, ſed & Linguæ aliquot hodiernæ feliciter exprimunr, ut antea vidimus, útque omnes norunt. Attamen *Martianæus* interrogatiunculæ huic ſuæ planè aliter ipſe paullò pòſt reſpondet, &, *confidenter*, inquit, *dicam, nemo virorum eſt, vel apud Judæos hodiernos, vel apud Chriſtianos Scriptores, qui ad tantam peritiam Linguæ Hebraicæ pervenerit, ut præſto ſit ad explicandam pronunciationem litteræ* Sin, *uſurpatam apud veteres Judæos in nomine Iſraël, quod apud illos non ſonabat hoc quod ſcribebatur.* At hoc aliud agentes jam docuimus, ad Quæſt. IV. §. 10. Pronunciabatur, nimirum, *Jiſchrael*, quemadmodum hodie pronunciatur ש, cum apice in cornu dextro.

V. PROVOCAT deinde omnes Grammaticos hodiernos, ut ſe doceant

ceant quid ſit צ *Sade Hebræorum quod nec S, nec Z litteram ſonat, ſed aliud quidpiam quod noſtræ aures penitus reformidant.* Omnes, nec immeritò, ſe ſonum hunc compoſitum ex litteris D aut T & S, exprimere non incommodè putant, nec aliter Arabes pronunciare ſolent ſuum *Dad.* Verùm Latinè aut Græcè loquentes tale nihil norant; quamquam illum ſibilum habuit poſterior Græcia, quæ Τζακωνίαν dixit pro *Laconia*, & multa talia finxit. Videtur Monachus noſter hæc declamitaſſe ſolus in cellula, nemine reſpondente; & quod nemo illic confutabat, id crediditſſe à nemine poſſe alibi confutari. Alioqui res uſque adeò notas non ſperaſſet poſſe ſe, rhetoricâ fiduciâ, ex hominum memoria delere.

VI. QUID *dicam*, inquit, *de accentibus diverſis litterarum, de extenſione & brevitate ſyllabarum, de litteris cum raſura gulæ proferendis?* Nihil, ſi me audis; antequàm ſtudiosè legeris quid Grammatici recentiores hiſce de rebus tradant. Alioqui de eo quod neſcis loqui videreris. De accentibus diximus §. 10. Quæſt. IV. De brevitate & productione ſyllabarum nihil potuerunt olim dictitare Judæi,

 ætate

ætate *Hieronymi*, quod poſtea non jactarint ſe ſcire; cùm non modò breves & longas vocales, ſed etiam breviſſimas oſtentent, & multa tradant de accentibus; quæ ſi volumus audire, exiſtimabimus ab iis ſciri quod reverâ neſciunt, ut oſtendit *Lud. Cappellus*, in Arcano Punctationis. Judæi, tempore *Hieronymi*, certo quodam modo ſyllabas Nominum propriorum producebant, aut corripiebant; quas ſi aliter pronunciari audiebant à Græcis aut Latinis, ridebant; cùm, ſi rem introſpiciamus, multò doctiores fortaſſe in ea re non eſſent Judæi. Sed volebant uſum ſuum eſſe normam rectæ pronunciationis; cui tamen uſui, in Lingua jam dudum mortua, ita credere nemo jure potuit, ut aliter loquentes irrideret. Quis enim neſcit, longinquitate temporis, multa in pronunciatione mutari? In ipſius Linguæ Hebraïcæ prolatione à tempore *Hieronymi*, ad ævum Maſſoretharum, ingentem factam mutationem liquet ex Nominibus propriis; quorum multa aliter efferunt, quàm antea fiebat. Cum *raſura gulæ* proferenda ſunt vocabula, quæ ſcripta ſunt per *Hheth*, nam ejuſmodi adſpiratio aliter pro-

nun-

nunciari nequit. Non erat ergo, cur exclamaret *Martianæus*; *quis Hebraizantium gloriabitur ſe hæc ſcire, hæc ſe poſſe docere*? cùm omnes propemodum, qui aliquam operam dederunt Linguæ Hebraïcæ, hæc optimè norint.

VII. ATTAMEN interrogationum nondum hîc eſt finis: *Ecquodnam*, inquit Martianæus, *in Grammaticis principium putamus capeſſendæ antiquæ pronunciationis litterarum Hebraicarum, cum raſâ fauce, obtortâ linguâ, ſolutis labiis, ſtridente ſaliva*? Hæc omnia fient, ſi loquaris ad normam, quam tradunt hodierni Grammatici, & fieri etiam fateberis ſi audias Judæos paullò celerius legentes; quamvis in nonnullis videantur peccare, & pro gentibus, apud quas educati ſunt, ſit nonnulla varietas. Nullos tamen meliùs pronunciare putem, quàm eos, qui apud Arabas, aut Mauros vivunt; quales ſi audiret legentes *Martianæus*, neque *raſam faucem*, neque *obtortam linguam*, neque *ſoluta labia*, neque *ſtridentem ſalivam* deſideraret. Audivimus ſæpe Judæum, qui ex Mauritania Tingitana in Europam venerat, in quo hæc omnia obſervare licebat. Præterea

hæc tam accurata pronunciatio minimè eſt neceſſaria ad accuratam Linguæ, inter legendum, cognitionem tibi comparandam. Neceſſaria ſanè eſſet, ſi vellemus Hebraïcè loqui, & intelligere homines Hebraïcè antiquo more loquentes. Sed cùm nihil tale moliamur, non eſt cur fauces noſtras adſpirandi ſtúdio incendamus, dum nitimur penitus exprimere duplicem adſpirationem. Nemo neſcit à nulla hodie Gente exprimi antiquam & veram pronunciationem Linguarum Græcæ & Latinæ, qui legerit Libros *Deſ. Eraſmi*, & *Juſti Lipſii*, aliorumque ea de re ſcriptos. Attamen non tantùm intelligimus Græca & Latina quæ legimus, vitio pronunciationis noſtræ intelligentiæ minimè officiente; ſed Latinè etiam ſcribimus, ita ut multorum Recentiorum ſcripta ab optimi ævi Scriptoribus minimè deſpicatui haberentur, ſi reviviſcerent. Utramque certè Linguam ſic intelligimus, ut eruditio Hebraïca *Hieronymi*, nullâ ratione ſit conferenda cum Latina ac Græcanica eruditione doctorum virorum, quos noſtra aut Patrum noſtrorum ætas vidit. Igitur non eſt quòd invideamus *Hieronymo* peritiam, in pronunciatione

He-

Hebraïci ſermonis; quamvis tanta fuiſſet, quantam vult credi *Martianæus.*

VIII. *Unus eſt*, inquit. *Hieronymus, qui hæc omnia didicit & docuit.* An unus ea ſciverit, & quanti ſint facienda ſuperiora ſatis oſtendunt. *Et qui adeò calluit ſermonem Hebræorum, ut quæcumque corrupta erant in Hexaplis Origenis ipſe ex libris authenticis emendaverit, ubique reſtituens adſpirationes elementorum nativas, quas LXX. Intt. mutaverant cum χ, & cum γ, in litteris Hheth* ח *& ע Ain.* Ante omnia, ut poſſemus accuratè judicare de labore hoc *Hieronymi*, oporteret nos eum vidiſſe, ut quàm bene emendaſſet ſuum Codicem intelligeremus. Quod cùm fieri nequeat, ut vituperare nolim, ſic nec etiam laudare ſuſtineam; prius iniquum eſſet, alterum ſtultum. Interea tantæ diligentiæ, in verſione Hieronymiana, aut in ejus Commentariis, nullum videmus veſtigium. In Nominibus enim propriis, adſpirationes aliquando exprimuntur, aliquando negliguntur, neque inter ſe diſtinguuntur, ut conjectis oculis in Editionem *Martianæi* liquet. Inſpiciamus, animi causâ, vocabula ac nomina Hebraï-

ca in Quæſtionibus in Geneſin, in quibus vocabulis ac nominibus ſunt adſpirationes. Col. 508. pro מרחפת *mrahhepheth*, legimus *merepheth*, extrito ת. Col. 509. ערן *heden*, ſcribitur *eden*, תרדמה *thardemah*, legitur *thardema*, neglectâ adſpiratione ultimâ, & ſic ſemper. Col. 510. ערום *harom*, exprimitur his litteris, *arom*; רוחהיום *rouahh hajjom*, hiſce, *rue ajom*; עפר *haphar* eſt *aphar*, חוה *hhavva* eſt *Eva*. Plura non exſcribam, nam ita ferè ſemper ſcribit & hæc ſatis oſtendunt *Hieronymum*, aut parum curaſſe exprimere adſpirationes, aut deſperaſſe eas Latinis litteris poſſe deſcribi. Si quid in ſuo exemplari Hexaplorum emendavit hujuſcemodi, id ſanè neque in Verſionem, neque in Commentarios tranſtulit. Labor is videtur ſitus fuiſſe, partim in collatione Hebraïci textûs Origeniani, cum Judaïcis exemplaribus, quæ *Authentica* vocat; partim in emendatione columellæ, in qua Græcis litteris Hebræa expreſſa erant. Labor is fuit tædioſus, & moleſtus; ſed non major, neque altioris eruditionis, quàm Correctoris hodierni, qui editioni Bibliorum Hebraïcorum præeſt. Si itaque ſtatuamus rem accuratiſſimè

factam ab *Hieronymo*, quod tamen neſcimus; non eſt cur propterea eum omnibus hodiernis eruditis viris præferamus. Quis enim vel mediocriter doctus, ſi modò diligens ſit atque accuratus & otio abundet, quod *Hieronymo* non defuit, vitioſum exemplar Bibliorum conferre cum meliore, atque emendare non poſſit, & ſingula verba characteribus Latinis, ſi ita videatur, exprimere?

IX. PERGIT *Martianæus* proferre eruditionis Hieronymianæ ſpecimina, petita ex Libro de Nominibus Hebraïcis, ubi monet *Hieronymus* nomen *Cham*, ſcribi Hebraïcè per *Heth*, quæ littera duplici adſpiratione profertur; *Chetthæum* non incipere à conſonante littera, verùm ab *Heth*, & *Gomorræ* primam litteram eſſe *Ain*. Quis verò talia ignoret, qui Hebraïcè legere ſciat? An mirari nos oportet *Hieronymum*, quòd ſciverit id quod tirones, ſine rubore, ignorare non poſſent? Sed eſt aliquid amplius, reconditioriſque eruditionis; nimirum, quòd ח *Hheth*, neget eſſe conſonantem, & ע *Hajin*, dicat eſſe *vocalem*. Hoc verò ſummis laudibus effertur à *Martianæo*, qui contraria omnia laudaſſet, ſi contigiſſet ab *Hieronymo*

ronymo contraria dici. Hoc enim hominum genus eadem reverentiâ, ſi reverentia dici queat, proſequitur Patres; quâ adſentatores fœdiſſimorum Tyrannorum dicta omnia. Juſtáne proferant Tyranni, an injuſta; veráne, an falſa; Rationíne conſentanea, an contraria; nihil intereſt, omnia cum plauſu ab adulatoribus excipiuntur. Sic & quidquid dixerint Patres, id eximium atque eruditionis ſingularis eſt hujuſmodi hominibus; quibus nemo meliùs paret præcepto adulatorum illorum, qui apud Orientales celebrantur; *Si Rex in meridiana luce noctem eſſe dicat, jurate ſtellas videre.* Qua ratione & ſe & Patres infamant, apud eos, quibus omnibus rebus antiquior eſt Veritas. Turpiſſimi enim & abjectiſſimi adulatores ipſi quidem habentur; Patres verò, quibus blandiuntur, multò minoris fiunt; quippe quorum fama defendi non poſſe exiſtimatur, niſi negatis iis, quæ ſenſus ipſe communis homines omnes docet, aut certiſſimis diſciplinarum fundamentis dirutis, intromiſſóque novo in eorum gratiam Scepticiſmo.

Sic ſe gerit, hoc in loco, *Martianæus*, cujus hæc ſunt verba: *Si Hebræorum*

bræorum nupera opera Grammatica contendas cum iſtis obſervationibus Hieronymianis, multa in illis contraria vel diverſa reperies. Docet Hieronymus Heth litteram non eſſe conſonantem, docet pariter Ain eſſe vocalem. Utrumque negat Alphabethum Hebræorum, ubi omnia elementa ſunt litteræ conſonantes, meth *&* *Ain ut ceteræ viginti.* Sanè meritò, ut antea oſtendimus ad Quæſtionem IV. §. 6. *Vocales ſunt, quæ per ſe proferuntur, & per ſe ſyllabam faciunt*, inquit, *Marius Victorinus*; quod numquam duabus memoratis Litteris contingit, quæ nullum per ſe ſonum habent, uti nec H Latinorum, ut oſtendimus. Exemplum Arabicæ Linguæ, quæ hodie habet omnes illas litteras, nec eas umquam pro vocalibus uſurpat, hominem ab errore revocare potuit. *At inter ſe*, inquit Martianæus, *non minùs diſſident Grammatici hodierni in lectione & pronunciatione horum elementorum, quàm contrarii ſunt Hieronymianis præceptis.* Verùm omnes conſentiunt, contra *Hieronymum*, nec quiſquam eorum patitur vocales eas litteras haberi. Præterea nullus diſſenſus eſt, de graviſſima adſpiratione ד *Hheth*; nonnulla dumtaxat eſt difficultas de genuina

nuina pronunciatione ע *Hajin*, ſed omnes fatentur genus eſſe adſpirationis gutture efferendæ; quamvis multi diſtinctionis causâ pronuncient, quaſi GN Gallorum & Italorum, quamquam probè ſciunt hanc non eſſe veram pronunciationem. Igitur falſiſſimum eſt quod hinc colligit *Martianæus*, hoc *diſſidio ſatis liquere genuinam eos ignorare Hebræorum elementorum pronunciationem ac idioma Hebraicum*, *cujus fuit callentiſſimus ſanctus Doctor.* Contrarium planè liquidum eſt, vel ex eo quod *Hieronymus* habet de hiſce litteris; quod niſi benignè intelligatur, longè eſt abſurdiſſimum.

Attamen ne hîc quidem deſinit *Martianæus*, &, *Quòd ſi dixerint*, inquit, *exploratum ſemper fuiſſe litteras quas vocamus gutturales*, *pro vocalibus acceptas eſſe veteribus Hebræis* (nemo dicet, qui non deſipiat) *oſtendant itidem ſi poſſint*, *quodnam ſit diſcrimen in pronuncianda* E, *prima littera nominum poſitorum col.* 7. *ſuper quâ obſervavit Hieronymus eodem loco*: Huc uſque per brevem litteram E, nunc per productam nominum ſunt legenda principia. *Nomen ergo* Eden *cum conſequentibus uſque ad* Esbel, *legebant*

An-

Antiqui cum E brevi; ſed cum producta eadem littera nomen Eliſſa, *& cetera tredecim ſequentia uſque ad litteram F.* Facilè ſatisfiet *Martianæo*, ſi velit in animum revocare hîc non agi de Hebraïcis litteris Nominum, ſed de eorum Græca ſcriptura, in qua nonnulla nomina inchoabantur ab E brevi, hoc eſt ἐψιλῶ, alia ab E longo, hoc eſt, ab ἦτα; quam differentiam cùm *Hieronymus*, exprimere non poſſet Latinè duabus litteris diſtinctis, omnia quidem nomina inchoata ab E, & ab H, retulit ad eamdem litteram, ſed memoratum monitum addidit. Nec dubitare poſſumus, quin ita res habeat, ſi conſideremus ſimile monitum legi ad litteram O: *Huc uſque, cùm per O brevem litteram* (ὀμικρὸν) *legerimus, exin per extenſum pronunciamus elementum*; hoc eſt, per ὠμέγα. Si ad Hebraïcas vocales reſpexiſſet *Hieronymus*, A, I, U, diſtinguendæ etiam fuiſſent in breves & longas. Hoc unum objici queat, quòd in exemplaribus noſtris omnia Nomina quæ per ἐψιλὸν aut ἦτα inchoanda, ex admonitione *Hieronymi*, eſſe ſtatuimus, non ita ſcribantur. Sed nihil obſtat quominùs in Codice Auctoris Libri Nominum, ita ſcripta eſſent,

eſſent, omnes enim norunt ingentem eſſe varietatem ſcripturæ in Nominibus propriis; propter imperitiam Librariorum Græcorum, quos mirum non eſt litteras ſimilis ſoni miſcuiſſe.

Inſtat tamen quæſtiunculis *Martianæus*, &, *quis Criticorum, ſive Grammaticorum*, inquit, *ſeriò me docebit, quare prima littera nominis* אלמודד Elmodad, *nempe* א Aleph, *brevis fuerit apud Veteres Hebræos, eadem autem littera produceretur in* אליעזר Eliezer, *inque aliis non paucis quæ ſubſequuntur Hieronymianam Adnotatiunculam*? Nemo ſanè docebit quare res ita ſe haberet, apud Hebræos, quia Hebræi numquam de ea ſomniarunt; ſed cur Adnotatiunculam hancce addiderit *Hieronymus* jam indicavimus. At quamobrem, inquies, LXX. Interpretes nonnulla horum nominum ſcripſerunt per ἐψιλὸν, alia verò per ἦτα? *Omnium*, inquiebat Julianus Juriſconſultus, *quæ à Majoribus conſtituta ſunt, ratio reddi non poteſt*; quod verum eſt, præſertim ubi nullam certam legem ſequuti ſunt, ut fecerunt LXX. Interpretes, aut certè Librarii, in Nominibus propriis Hebraïcis Græcè exprimendis.

X.

X. Alia eruditionis Hieronymianæ indicia non profert *Martianæus*, niſi quæ jam antea à nobis confutata ſunt, ubi de Etymologiis ſermo eſſet. Igitur plura hac de re non addemus, nec quidquam eſſet quod de eruditione Hebraïca *Hieronymi* præterea diceremus, niſi nos *Martianæus* veluti laciniâ retraheret, queſturus nos nihil reſpondiſſe ad loca ipſa *Hieronymi*, allata in I. Tomi I. Proleg. §. 3. ex quibus liquet magnum eum laborem exantlaſſe, in diſcenda Lingua Hebraïca. Atqui ejus laborem minime in dubium revoco, ſed ex re ipſa colligo profectum parem non fuiſſe labori; non quidem quòd *Hieronymo*, aut ingenium aut memoria defuerit; ſed quòd pravam methodum ingreſſus eſſet. Cùm enim deberet ante omnia ſibi Lexicon conficere, cùm ope Magiſtri, tum etiam veterum Tranſlationum, deinde Grammaticam adornare; eam Linguam voluit à Magiſtri ore ac Lectione diſcere, ſine ullis regulis, quemadmodum pueri Linguas vernaculas ac peregrinas diſcunt uſu, & colloquio aliorum. Hinc nobis memorat *anhelantia ſtridentiáque verba*, quæ *multo ſudore & multóque tempore vix* re-

reſonabat; ſiç enim ipſe loquitur in Præfatione ad Danielem; quaſi eam Linguam didiciſſet, ut Hebraïcè cum aliis colloqueretur! Nihil opus erat (ſi tam difficile hoc fuit *Hieronymo*) ut diſceret accuratam pronunciationem vocum ore exprimere, ſi modò earum orthographiam probè calleret; cùm Linguam mortuam diſcere aggrederetur, ut volumen dumtaxat unicum, nec id magnæ molis, intelligeret, & labore quidem antiquiorum Interpretum adjutus. Igitur nemo poſſit colligere peritiſſimum fuiſſe *Hieronymum* Linguæ Hebraïcæ, quia multum laborem in eam impenderat; ſed contrà ex iis quæ antea diximus, rectam viam non fuiſſe ingreſſum, quandoquidem ex re ipſa liquet, eum Grammaticæ imperitum fuiſſe, totámque pependiſſe ex aliis Interpretibus, aut ex ore Judæorum, qui fucum illi ſæpe faciebant.

XI. Frustra etiam memoratur quod ipſe narrat, de Judæis quos conſuluit, & quos *non parvis*, ut ait, *redemit nummis*; atque in caſſum extolluntur labores quos tulit in exſcribendis Hexaplis, conferendíſque Codicibus. Res ipſa clamat nonniſi modicam cognitionem Linguæ Hebraïcæ ſibi

ſibi comparaſſe *Hieronymum*, éſtque adeò manifeſta, ut non difficulter credamus labores illos oratione nonnihil adauctos eſſe ab homine, qui nequaquam occultabat, aut minuebat quod ipſi laudi eſſe poterat. Nota eſt vox ejus, in Apologia contra Ruffinum: *Ego Philoſophus, Rhetor, Grammaticus, Dialecticus, Hebræus, Græcus, Latinus, Trilinguis.* At *Martianæus* contendit Linguæ Hebraïcæ notitiam conſequutum eum eſſe non mediocrem, eo quòd *par eſſet*, ut ait, *Latino ſermone extemplo exponere quæcumque Judæi Hebraicè ipſi dictarent. Cujus rei teſtem habemus Præfationem in Tobiam, ubi docuit nos modum, quo ſuam verſionem Latinam edidit:* Et quia, *ait*, vicina eſt Chaldæorum Lingua ſermoni Hebraïco, utriuſque Linguæ peritiſſimum loquacem reperiens, unius diei laborem arripui, & quidquid ille mihi Hebraïcis verbis expreſſit, hoc ego, accito notario, ſermonibus Latinis expoſui. *Quod utique per ſe ipſum numquam præſtitiſſet, niſi probè & pulcrè calluiſſet Linguam Hebraïcam; nam quiſnam ſemidoctus aut rudis, in Lingua Hebraica, loquentis Hebræi verba dicta-*

ta, *ſimili facilitate in Latinum ſermonem converteret*? Ut hac de re judicium ferre poſſemus, oportuiſſet nos adfuiſſe; aut certè rem nobis accuratiſſimè narratam, ut ſciremus quî ſit facta. Nam ex brevi narratiuncula, in qua omnes fermè circumſtantiæ omittuntur, quàm facilè intellexerit Hieronymus Doctorem Judæum, non adſequimur. Præterea non ſatis eſt ſcire quàm brevi tempore *Hieronymus* dictaverit Tobiam, ſed quàm bene mentem Judæi expreſſerit, quod ſcire non poſſumus; cùm ignoremus quî ille Tobiam Hebraïcè interpretatus ſit, & Chaldaïcum ipſum exemplar perierit. Nec res eſt tantæ difficultatis, quantæ eam putat *Martianæus*, nonnihil exercitato Latinè reddere ſermonem Hebraïcum hominis ad verbum vertentis, exempli causâ, *Onkeloſum*, quem præ manibus haberet; quæ res non parùm juvaret ad intelligenda Hebraïca verba. Multi etiamnùm hodie vivunt alibi, quàm apud Pariſienſes Benedictinos, qui non ægrè id facere poſſent. Poſtremò quidquid ex *Hieronymo* ipſo, de ſe loquente, proferatur, id minimè delet clara & indubitata indicia non magnæ

pe-

peritiæ in Lingua Hebraïca, quæ ad duas ſuperiores Quæſtiones ex *Hieronymo* collegimus; & qualia multò plura proferri potuiſſent, ac porrò à nobis proferentur, ubi neceſſe erit, ad ſequentes Quæſtiones. Cùm debeat eſſe, ut rectè *Democritus*, *ſermo umbra operis*, λόγ☉ ἔργȣ σκιὴ, non poteſt umbra ipſi corpori præferri; quicumque ſermones habeantur, tanti ſunt faciendi, quanti eos eſſe res ipſa oſtendit.

XII. IGITUR, omnibus diligenter expenſis, niſi invidiâ occæcemur, fatendum eſt vixiſſe Patrum noſtrorum memoriâ, & vivere etiamnum hodie homines, quorum Hebraïca eruditio cum Hieronymiana collata ſummopere eluceret, nedum ut eâ obſcuraretur. Scio odioſas eſſe omnes ejuſmodi comparationes, nec temerè inſtituendas; ſed non cœpi prior *Hieronymum* cum aliis conferre, repoſui tantùm iis quæ de Recentioribus contumelioſa ſcripſit *Martianæus*, quaſi nullo modo ad illum comparandis. Facilè patior Veteribus ſuum pretium tribui; Scriptáque eorum lectitari; ſi modò hæc ſine meliorum contemtu fiant, nec Recentioribus, dum-

taxat quia non ita pridem vixerunt, aut etiamnum vivunt, malignè detrahatur.

QUÆSTIO VIII.

Quiſnam ſit verus uſus Operum HIERONYMI, *& quænam adhibenda cautio in iis legendis.*

I. UT manifeſtius fiat *Hieronymi* Opera à me infra meritum nequaquam deprimi, propoſitæ Quæſtioni, de eorum utilitate; ita reſpondebo, ut liqueat digna eſſe, meo judicio, quæ diligenter evolvantur; ſi modò cautionem adhibeamus, quàm æquiſſimam eſſe rebus ipſis, & auctoritate virorum doctiſſimorum demonſtrabo. Sic ab immodicis ac fallacibus laudibus abhorreo; ut meritas ac veras libentiſſimè tribuam. Unam, ſcilicet, quæro Veritatem; fugio ſolum Errorem; homines ipſos minimè oppugno, ut que non invitus ignoſco naturæ humanæ nævis: ſic nec gravatim ejus dotes laudo. Non extol-

lo homines, ut eos poſtea minùs invidiosè, ſed multò vehementiùs admordeam, ſicut multi ſolent; at non patior iis tribui quod minimè debetur, ut majore fide ac religione teſtimonium de iis perhibeam.

II. Uſus habent *Hieronymi* Scripta & communes cum ceteris antiquis Eccleſiaſticorum Scriptorum monumentis, & prorſus peculiares. De utriſque agemus, & præſertim quidem de poſterioribus. Communes omnibus priſcis Eccleſiaſticis Libris uſus, hi ſunt; licet, nimirùm, ex iis ſolis cognoſcere hiſtoriam dogmatum & factorum; ac rationem quâ ſolebat Scriptura Sacra explicari, iis ſæculis quibus conſcripti ſunt. Peculiares verò uſus Operum *Hieronymi*, ad tria hæc potiſſimùm capita poſſunt referri. I. Ex iis colligimus fragmenta multò plura, quàm ex ullo alio, Veterum Interpretum Græcorum Veteris Teſtamenti; quorum Tranſlationes injuriâ temporum, ſocordiâque hominum perierunt. II. Multas ex iis intelligere licet traditiones Judaïcas, vel opiniones Judæorum illius ævi de ſignificatione vocum Hebraïcarum, ſententiâque plurimorum lo-

corum Scripturæ. III. Cognoſcimus denique quodnam fuerit ſingulare ipſius *Hieronymi* judicium, de variis vocabulis Hebraïcis, ac Scripturæ locis; tum etiam de Scriptoribus aliis, de quibus fert ſententiam. Verùm in hiſce omnibus eruendis, cavendum nobis eſt ab inſigni inconſtantia, quæ in *Hieronymo* paſſim deprehenditur, ab ejus ſtylo declamatorio & hyperbolis referto; ab affectibus, quibus non parum indulgebat; à fictionibus, quibus uti non verebatur, ubi conſiliis ſuis utiles judicabat; denique ab alienis opinionibus, quas ita ſuis admiſcet ut ſæpe vix poſſint ſecerni.

III. Historiam factorum & dogmatum non poſſe certiùs aliter colligi, quàm ex Scriptoribus, qui vixere iis ſæculis, quibus facta contigerunt, aut dogmata viguerunt, in confeſſo eſt apud omnes. Si enim eam colligere aggrediamur ex Scriptoribus recentioribus, in duplex erroris periculum incauti delabimur; quorum unum eſt ne nos imprudentes fallant, dum nobis narrant quod putant quidem eſſe verum, ſed in cujus veritatem non ſatis diligenter inquiſiverunt; alterum verò ne etiam affectu quodam

ex-

excæcati, aut occulto fallendi ſtudio, nos decipiant. Utrumque ab omnium partium hominibus eruditis deprehenſum eſt, in ingenti Opere Annalium Eccleſiaſticorum *Cæſaris Baronii*. Non negarim quidem æquales Scriptores interdum iiſdem vitiis laborare, præſertim ubi agunt de controverſiis magno animorum æſtu agitatis, aut de rebus quibuſdam abſtruſioribus ac intellectu difficilioribus; ſed tamen meliùs videntur ut plurimum noviſſe quæ ſuis temporibus contigerunt aut credita ſunt, nec ea uſque adeo diſſimulaſſe, ac poſteri, qui ſæpe [a] volunt videri Majoribus ſuis ſimiliores, quàm reverâ ſunt. Labente tempore, fuit patentior fraudibus aperta feneſtra, & majus etiam mentiendi pretium. De antiquioribus enim mentiri, apud rudes, impunè homines callidi potuerunt; nec parum ad exiſtimationem, auctoritatémque confirmandas atque augendas conducebat eadem ſentire ac Majores videri. Quæ adeò nota ſunt, ut minimè neceſſe ſit pluribus ea probari.

IV. Si ergo ſcire cupiamus quid contigerit, apud Chriſtianos, quídve

vulgò creditum de Religionis dogmatibus, ſub finem ſæculi à Chriſto Nato quarti, legendi ſunt Scriptores ejus ævi; inter quos, maximè floruit *Hieronymus*. Exempli causâ, ſi noſſe velimus quid ſenſerit *Jovinianus*, quandoquidem ejus nihil ſupereſt, ex quo hominis ſententiam certiùs cognoſcere queamus; adimus Libros *Hieronymi*, adversùs *Jovinianum*; ex quibus, quamvis præter modum iracundis & hyperbolis refertis, ut poſtea dicemus, tamen certiùs intelligere licet quænam *Joviniani* fuerit ſententia; quàm ex poſterioribus Scriptoribus. Qua de re, audiendus eſt *Eraſmus*, cujus Præfationes, & Cenſuras, liberioréſque Notas eò ſtudioſiùs conſervent oportet Bibliothecæ noſtræ, quòd ubi Monachi rerum potiuntur damnentur, deleantur, atque oblivioni, in iteratis Patrum Editionibus, mandentur. Itaque verba ejus ſubjiciam; ex argumento in Libros adversùs *Jovinianum*, quæ ita habent. *Jovinianus*, inquit, *ex Monacho Clericus, homo obſcurus, ſed dives, nec eruditus tamen, nec eloquens, jam olim exſtinctam Baſilidis hæreſin conatus eſt inſtaurare, editis ſuper hac re*

com-

commentariis; quibus ex divinæ Scripturæ teſtimoniis, perperam intellectis, probare nitebatur virgines, viduas, & maritatas ejuſdem eſſe meriti, ſi ceteris vitæ operibus non diſcreparent. Deinde verè baptizatos non poſſe relabi in peccatum. Quem errorem Auguſtinus adſcribit & Pelagio. Ad hæc nihil intereſſe inter veſcentem cibis, & abſtinentem; modò cum gratiarum actione ſumat. Poſtremò par omnibus fore præmium, in regno cœlorum, quicumque ſuum baptiſma ſervaverint. Hæc cùm Romæ doceret, neminem Sacerdotem, aut alicujus nominis Clericum in errorem potuit trahere; tantùm mulierculas quaſdam corrupit, adeò ut hoc audito, quædam virgines ſacræ, provectæ jam ætatis, nupſerint viris. Porrò cum ipſe non duceret uxorem, id negabat ſe facere quòd hinc præmium aliquod ſperaret, ſed ne moleſtiis matrimoniorum irretiretur; hoc eſt, non ut melior eſſet, ſed liberior. Horum inſimulabat *Hieronymus Jovinianum*, quæ an ſint hæreſes nunc non quæram, quod minimè exiſtimo, quidquid Aſceta Bethlehemiticus declamet. Si exſtarent Commentarii *Joviniani*, fortè ex iis intel-

ligere liceret, perperam illi tributos errores de firmitate inconcuſſa baptizatorum, déque paritate præmiorum. Sed rem in medio relinquo. At certè nihil videtur exprobrari potuiſſe homini, præter id quod ei objecit *Hieronymus*, acerrimus adverſarius, nec modum ullum in accuſando ſervare ſolitus; cùm præſertim ejus ſententia, unà cum bono viro (nam bonum vocamus, quem malum fuiſſe non conſtat) interierit, nec defenſorem ullum eo tempore nacta ſit.

Verùm hiſce opinionibus contigit, quod multis aliis, ut dum à pluribus narrantur, augmenti aliquid, in ore ſingulorum eas invidiosè exponentium, caperent: inſtar molium illarum nivearum, quæ de montibus collapſæ perpetuò augentur, dum per devexa nive tecta devolvuntur. *Auguſtinus*, in Libro de Hæreſibus, hæc de illis habet, ex quodam, *cujus nomen in ejus opuſculo non invenerat*, ut ipſe monet: *Jovinianiſtas quoque*, inquit, *apud iſtum reperi, quos jam noveram. A Joviniano quodam Monacho iſta hæreſis orta eſt, ætate noſtrâ, cùm adhuc juvenes eſſemus. Hic omnia pec-*

cata,

cata, ſicut Stoici Philoſophi, paria eſſe dicebat, nec poſſe peccare hominem lavacro regenerationis accepto —— *Virginitatem Mariæ deſtruebat, dicens eam pariendo fuiſſe corruptam* &c. Qua de re, ſic judicat *Eraſmus: D. Auguſtinus errores quoſdam confert in Jovinianum, quos tamen illi non impingit Hieronymus, utique non diſſimulaturus, ſi quid tale docuiſſet* —— *Verùm apparet D. Auguſtinum nec Joviniani, nec hunc Hieronymi libros legiſſe, tantùm rumore populari didiciſſe quod noverat de Joviniano.*

V. ITA hunc confutavit *Hieronymus*, ut dum invehitur in adverſarium, nuptias ipſas non obſcurè damnet, ſi ejus argumentis ulla vis inſit. Quamobrem coactus eſt propterea Apologiam ſcribere, in qua ſe meliùs de matrimonio ſentire teſtatur. Attamen ex ea ipſa Apologia, damnationéque Joviniani, quæ anteceſſerat, liquet vulgò receptam fuiſſe hanc opinionem, cœlibem vitam ſanctiorem eſſe, ac Deo gratiorem vitâ conjugatorum; quamvis utrique, & cœlibes & conjugati, ſtatuantur alioqui præceptorum Evangelicorum æquè obſervantes; item abſtinentes à potu

&

& cibis, ſæpiúſque jejunantes à Deo præferri iis, qui ſobriè & cibo & potu utuntur, nec in ceteris alioqui Chriſtianæ vitæ officiis abſtinentibus inferiores ſunt. Quàm hæc ſint vera, & quàm benè ab *Hieronymo* probata, nunc non quæro; ſed colligi poſſe ex hiſce ejus Scriptis, ne alia ſimilia, contra *Helvidium* & *Vigilantium*, memorem, hæc vulgò dogmata obtinuiſſe contendo. Præterea hoc obſervavit *Eraſmus*, cùm plurima ſint quæ poſſint offendere, eos, nimirum, qui quærunt in Patrum Scriptis non quod in iis eſt, ſed quod dictum ab illis optant, in duobus libris contra *Jovinianum*; tum illud eſſe quòd nuſquam matrimonium dicatur eſſe ſacramentum; *de quo*, inquit, *mirum eſt nec Jovinianum meminiſſe, cùm illud laudibus veheret; nec Hieronymum, cùm illius libros refellit.* Scilicet, eo ævo nondum conſtitutum hoc fuerat de matrimonio; quod poſtea ſacramentum habitum videtur, ut ab iis demum poſſet conferri, qui ſacramentorum adminiſtrandorum ſoli jus habent. Itaque hic uſus eſt communis, cum aliis Eccleſiaſticis monumentis, Hieronymianorum Scriptorum, qui

qui multis aliis exemplis poſſet illuſtrari.

VI. HIC nobis dicendum eſſet, de ratione explicandæ Scripturæ, quæ ætate *Hieronymi* obtinebat; niſi de ea acturi eſſemus, in ſingulari Quæſtione. Itaque eâ re omiſsâ, hîc agemus de uſibus, qui peculiares ſunt Operibus *Hieronymi*. Primus eſt in eo ſitus, ut diximus, quòd nobis ſuppeditet multò plura loca, quàm quiſquam alius Veterum, priſcarum illarum Tranſlationum Græcarum, quæ interciderunt, & quas diligenter collegerat, atque in ſingulas Hexaplorum columnas contulerat *Origenes*. Utinam Græcis Monachis, viſum fuiſſet eas tranſlationes ad poſteros, deſcriptis multis exemplaribus, tranſmittere; potiùs quàm tot frigidas Homilias, quas millies exſcripſerunt! Sed quoniam querelis jacturam noſtram reparare non licet, quid ſupereſt, niſi ut colligamus diligentiſſimè, quaſi tabulas è naufragio, vel minima earum Tranſlationum fragmenta, quemadmodum facere cœpit olim *Joannes Druſius*? Quin & *Joan. Martianæus* collegit ex 2. Volumine *Hieronymi* fragmenta *Aquilæ*, *Symmachi* & *Theodotionis*; quæ unà cum LXX.

Intr.

Intt. Hebraïcóque textu, cùm Hebraïcè, tum Græcè deſcripto, ſpeciem quamdam Hexaplorum oculis præbent. Sed ea collectio utilior multò eſſet, ſi 1. non ex paucis Scriptis *Hieronymi*, ſed ex omnibus planè rem tentaſſet: 2. ſi *Hieronymianis* citationibus omnes alias adjeciſſet, quæ ſparſim apud Veteres exſtant: 3. ſi quæ Latinè tantùm inveniebat, Latinè repoſuiſſet, non ipſe Græcè vertiſſet: 4. ſi nihil in *Theodotionis* columna ex LXX. Intt. ſuppleviſſet: 5. ſi in infimo margine loca, in quibus fragmenta hæc exſtant, diligenter indicaſſet, ut Lector fontes adire poſſet, ſi videretur. Si hæc præſtitiſſet eâ fide, eâque diligentiâ, quas adhiberi neceſſe eſt in ejuſmodi collectionibus; facilè ei remiſiſſemus laborem apponendi verba Hebraïca, præſertim Græcè & Latinè ſcripta, more, ut ait, *Origenis & Hieronymi*; hoc eſt, ut Librariis viſum eſt, aut ut conjectura adſequi potuit; quibus in rebus maximi errores poſſunt irrepere, & reverâ irrepſerunt, ut liquet ex inconſtantia pronunciationis. Gratiam etiam ei libenter feciſſemus Latinæ verſionis, quam Græcis ſubjecit. Sic enim major fuiſſet multò operis

uti-

utilitas, & minor moles; quam nimis ſtudiosè in hoc volumine, ſuis centonibus, auxit *Martianæus*.

VII. NON ignoro eſſe viros non indoctos, qui tanti faciunt Rabbinos recentioréſque Interpretes à Rabbinis pendentes, ut cetera omnia ſpernant, eáque fragmenta, & verſionem ipſam LXX. Interpretum flocci faciant. Verùm hoc demum eſt; dum extremum fugitur, in contraria vitia currere. Cùm enim hic omnibus Sacræ Linguæ Studioſis propoſitus ſit finis, ut Linguam quàm optimè intelligant quæ dudum intercidit, nec ſupereſt, niſi in exiguo illo volumine, quod *Vetus Teſtamentum* vocamus; quî eum finem conſequi poſſent, niſi conſultis omnibus qui olim id volumen verterunt, atque inter ſe diligenter collatis, & cum recentioribus etiam Interpretibus comparatis? Ante duo annorum millia, deſiit quidem eſſe vernacula Judæis, qualis certè exſtat in Bibliis; at apud Judæos tamen in Synagogis Biblia legebantur, atque explicabantur. Hinc leges Reipublicæ ſuæ, hinc normam Religionis & morum petebant, adeóque ſenſum eorum inveſtigabant, ac proinde non indigni ſunt, qui à nobis, tot ſæculis poſtea

 natis,

natis, audiantur ; cùm præſertim viverent ii Interpretes verſarentúrque quotidie cum Syris & Arabibus, quorum Linguæ Hebraïcæ vicinæ multùm conferre poterant ad eruendas Radicum ejus ſignificationes, quod etiamnum hodie experimur. Fateor ſanè eorum Interpretum ἀμεθοδίαν,& ignorantiâ veræ rationis interpretandi, factum eſſe ut ſæpe aberrarint, nec ſubſidiis, quibus inſtructi erant, ſatis dextrè, ſatiſque feliciter uti ſciverint. Attamen ex eorum, qualeſcumque ſint, conſenſu, collationéque cum recentioribus Judæis, conſtat fermè quidquid de Lingua Hebraïca certò novimus. Præterea abſurdum eſſet nos audire tantùm Interpretes Judæos poſteriorum ſæculorum, nec antiquioribus, ullâ ratione, aurem præbere, dumtaxat quia poſteriores Lexicis atque Grammaticis Regulis uſi ſunt. Quamvis enim hæc auxilia numquam ſint negligenda, nihil vetat nos cum iis id quod, de ſignificatione ſingularum vocum, haurire poſſumus ex antiquioribus, propter rationes antea allatas,conjungere. Profectò experientiâ nobis conſtat eorum ope multas voces certiùs ac rectiùs explicari, quàm ſi ſola Rabbinica Lexica

xica poſterioris ævi conſulamus. Quod non rarò oſtendimus in Commentariis noſtris ad Pentateuchum, atque in ſequentibus in reliquos Veteris Teſtamenti Libros, magis ac magis probatum dabimus.

Cùm hanc viam iniviſſem, ad eruendas occultiores vocum Hebraïcarum ſignificationes, vir eruditus, in hac urbe, non ita pridem vita functus, mihi in ſermone familiari objecit ſic fore ut Linguæ Hebraïcæ, Sacrorúmque adeò Librorum ſenſus penderet ex judicio, conjecturíſque meis; quandoquidem ex collatione tot interpretationum, quarum eam demum præferrem quæ mihi optima videretur, colligerem poteſtatem vocum, & ſententiam loquutionum. Reſpondi primùm, ad ſummam rei quod attinet, eam fore ſemper eamdem; quia de ea Interpretes omnes conſentirent, quæcumque ceteroquin eſſent eorum in ſingularibus locis diſſentiones. Deinde ita ſe geſſiſſe, ante me, omnes Interpretes, qui poſt alios plures ſcripſerunt; ex quorum interpretationibus collatis, eam elegerant quæ maximè arriſerat; nec ullum, in rerum ſumma, hinc incommodum eſſe ſequutum. Denique

P 2 de-

demortuam Linguam aliter certò intelligi non poſſe, quàm ex collatione Veterum præſertim Interpretum; & multò deterius futurum, ſi, ne ulla diffidia naſcerentur, nihil ampliùs quæreretur, ſed omnium ingenia veluti in ſervitutem darentur uni cuidam Interpreti, cujus ſententiam ἀβασανίστως ſequerentur; quamvis ſcirent erroris minimè immunem, neque pluribus ſubſidiis inſtructum fuiſſe.

VIII. NUNC, ut ad *Hieronymum* revertamur, cùm veterum Judæorum, præſertim eorum qui Hebraïcè ſciebant, pauca ſuperſint Scripta, quibus uti queamus ad inveſtigandum Scripturæ Sacræ ſenſum; in tanta monumentorum penuria, antiquæ famæ rumuſculos omnes avidè captamus; ſi quid fortè ab iis accepturi ſimus, quod ex libris Auctorum, qui ſuperſunt, haurire non licet. Ideò *Hieronymum*, qui ſæpe Magiſtros ſuos Judæos citat ad teſtimonium, ſtudioſè lectitamus; ſi quid inventuri ſimus, quod antea animadverſum non fuerit in illa priſca traditione Judaïca. Fateor ſæpe pro theſauro, ut fert dictum vetus, carbones inveniri; ſed tamen, niſi ipſâ noſtrâ experientiâ res liquida fiat, non poſſumus aliis credere, cùm

cùm nobis conſtet innumera quotidie effodi nova ex libris, qui omnium manibus à multis ſæculis teruntur. Præterea nonnulla minimè ſpernenda in iis inveniuntur, aut ex eorum interpretationibus colliguntur. Exempli causâ, hinc collegere *Lud. Cappellus* & *Joannes Morinus*, nulla temporibus *Hieronymi* fuiſſe Puncta, quæ nunc vocalium locum obtinent; reclamante licet *Joanne Buxtorfio*, viro Linguarum Hebraïcæ & Rabbinicæ ſine controverſia peritiſſimo; ſed hac in re præjudicia potiùs quædam Theologica, quàm id quod conſtabat ſequuto. Indidem varias quaſdam lectiones, dignas quæ expendantur, haurimus. Hæc autem quanti ſint momenti, in interpretatione Scripturæ, nemo, qui accuratiores Interpretes legerit, ignorat. Ex *Hieronymo* ſolo quod habet Ezechiel Propheta, Cap. XXVI. de exſcidio Tyri, feliciſſimè interpretatus eſt *Joan. Marshamus*, vir doctiſſimus ad ſæculum XVIII. rerum Ægyptiacarum.

IX. DENIQUE quamvis *Hieronymus* minimè adſequutus ſit eam peritiam Linguæ Hebraïcæ, quam ei tribuit *Martianæus*; attamen non indignus eſt qui etiam ipſe audiatur, ubi

quæritur ſignificatio dictionum, aut ſententia locorum Scripturæ. Si enim recentiores quidem Interpretes adeamus, quibus ſcimus alia non fuiſſe ſubſidia, quàm nobis, ad eruendos Scripturæ ſenſus; quòd omnes omnia non videamus, & minùs eruditus ſæpe peritiorem doceat quod ignorabat, aut certè moneat, ut in memoriam revocet id quod alioquin ex ea elapſum erat, aut brevi oblivioni mandandum; potiori jure, *Hieronymum* oportet conſulamus, qui ex collatione Verſionum, quas ampliùs non habemus, éque præceptis Magiſtrorum Judæorum, & monumentis Chriſtianorum, ac Ethnicorum quæ interciderunt, ea hauſit, quæ nos planè fugerent, niſi moneremur; & præterea ſuopte ingenio ea invenire potuit, de quibus fortaſſe non cogitaremus. Non poſſumus hîc diſſimulare ſummam laudem ei deberi, vel ob id ſolum quòd primus Occidentalium, & propemodum unus (nam perpauci eum imitati ſunt) viderit neceſſitatem Linguæ Hebraïcæ ad intelligendum accuratiùs Vetus Teſtamentum; & quòd ſolus aggreſſus ſit id denuo ex Authenticis libris convertere. Quomodocumque res ei ceſ-

ſerit

ſerit, de qua antea egimus; attamen, hoc in negotio, & acuti ingenii & induſtriæ ſingularis, & conſtantiæ eximiæ virum eum ſe præſtitiſſe nemo negaverit. Multum erat primum & ſolum, cæcutientibus omnibus, quidpiam videre; rarum eo ævo, ſuſcipere opus tantum, quantum ſuſcepit, nec omnino malè abſolvit; fermè inauditum invidiam Theologorum planè ſpernere, iiſque invitis benefacere. Quæ omnia non falsò, de *Hieronymo* ejúſque Operibus, prædicari poſſe omnes ſciunt.

Eſſent ſanè multò utiliores ejus labores, ſi, in addiſcenda Lingua Hebraïca, eamdem methodum aut ei ſimilem eſſet ſequutus, quâ nos hodie utimur; hoc eſt, ſi grammaticis Regulis & conſtanti quodam Lexico uſus eſſet; deinde etiam ſi omiſſis futilibus ac frigidis allegoriis, in quibus nihil eſt certi, grammaticum ſenſum ſolum ſemper indagaſſet, atque ex eo uno conſectaria Theologica, vel Ethica deduxiſſet, quæ neceſſariò colligi ex eo poſſunt. Verùm hæc vitia erant ſæculorum illorum, quæ emendare, ut dixi, querelis non poſſumus; ideóque iis prætermiſſis, quæ corrigi nequeunt, diſpiciamus opor-

tet quid utilitatis ex iis, quæ nobis ſuperſunt, capere poſſimus.

X. VERUM ut hoſce ſimiléſque, ſi qui ſunt, fructus colligamus ex *Hieronymi* lectione, ſine miſtura rei ullius, quæ nos in errorem conjicere, aut alioqui nobis nocere poſſit, cavendum eſt à vitiis ejus nonnullis; quæ non retegerem, niſi jam fuiſſent à viris eruditis notata, & niſi viderem eſſe homines paratos, non ad veniam iis petendam, quæ non ægrè concederetur, ſed ad ea nobis proponenda, quaſi virtutes quas imitemur; quò ut nos adducant, ipſi ea in re nobis præeunt, exprimúntque, in ſuis Scriptis, ea quorum causâ veniam à Lectoribus Aſcetæ Bethlehemitico precari debuiſſent. Præterea iidem homines virtutes contrarias, quæ conſpicuæ fuerunt in multis doctiſſimis viris, qui hoc XVII. & ſuperiore ſæculo ſtrenuam ac felicem operam Reipublicæ Litterariæ navarunt, quàm maximè poſſunt obſcurant calumniis & conviciis; quaſi eodem jure non eſſent, nec iiſdem Legibus tenerentur Recentiores, ac Veteres; ſed in Nuperis vitia eſſent, quæ in Veteribus virtutes fuere: & vice verſâ vitia Veterum, quia anti-

qua,

qua, in virtutes converterentur. Officii eſt optimorum quorumque virorum, & veræ virtutis, eruditioniſque ſeriò amantium, brachia dirigere contra eum torrentem; ita ut pro ſe quiſque æquitatem ac juſtitiam, etiam illo in rerum genere, tueatur. Quod ego hîc, ut alibi, pro more meo, facere tentabo; nec ſi conatus meos deſtituat eventus, mihi deerit pulcherrima illa merces, quæ efflorеſcit ex rectè factorum conſcientia.

XI. PRIMÙM igitur, cavere ſibi debent qui *Hieronymum* legere aggrediuntur à declamatorio ejus ſtylo; quo quæ vult laudare ſine modo extollit; quæ verò vituperare inſtituit ita infamat, quaſi intoleranda planè eſſent. Ii quibus favit nullas mediocres virtutes, quibus adverſatus eſt nulla modica vitia habuerunt. Opiniones quas probavit non tantùm vera, ſed & maximi momenti dogmata fuere; quas verò rejecit, non quaſi hallucinationes dumtaxat humano ingenio ignoſcendas, ſed ut graviſſimas hæreſes damnavit. Videre hoc licet in iis, quæ ſcripſit in laudem *Nepotiani*, *Aſellæ*, *Marcellæ*, *Bleſillæ*, *Paullæ*, *Euſtochii*, *Lucini*, *Fabiolæ*, *Bonoſi*, & aliorum, in primo

Tomo Editionum *Eraſmi* & *Victorii.* Omnes & viros & fœminas ita laudat, ut, quamvis eorum virtutem in dubium minimè revocare velimus, attamen præter modum laudatos facilè ſentiamus. Contrà, mihi lege quæ ſcripſit in *Helvidium*, *Jovinianum*, *Vigilantium*, *Pelagium*, *Ruffinum*; atque alios; & facilè intelliges non majorem modum in conviciis, quàm in laudibus, ab eo eſſe ſervatum. In tres præſertim priores qui cœlibatum, aut abſtinentiam ab uſu matrimonii non magni faciebant, ita invehitur, quaſi deterrimâ hæreſi fuiſſent inquinati; itáque urget neceſſitatem eorum quæ apud illos in pretio non fuiſſe dixi; ut, ſi argumenta ejus valeant, ſoli cœlibes, aut in matrimonio inſtar cœlibum viventes Deo grati eſſe poſſint. Hinc factum ut *Eraſmus* ea opuſcula, ſine admonitionibus, quas vocat *Antidota*, emittenda eſſe non putaverit. Ex quibus ea quam ſubjecit libro adversùs *Helvidium*, ſic habet, digna enim eſt quæ & hîc legatur: *Parum tribuit matrimonio, nec videtur probare conjugium, niſi in quo ſtudium caſtimoniæ ſit & imitatio virginitatis; innuens in Sara tamdiu mulierem obnoxiam eſſe ma-*

maledictioni, & ſubjectam viri dominio, quamdiu coitum appetit. Non negamus, *inquit*, viduas, non negamus maritatas ſanctas mulieres inveniri; ſed quæ uxores eſſe deſierint, quæ in ipſa neceſſitate conjugii virginum imitentur caſtitatem. *Quaſi bonæ non ſint, quæ libenter ſunt uxores, quæque voluptatem eam amplectuntur. Et paullò pòſt cum ait:* Ideò ſylva ſuccreſcit, ut poſtea recidatur. Ideò ager ſeritur, ut metatur, jam plenus eſt orbis, terra nos non capit; *ſignificat ne prolis quidem causâ, matrimonium probari, cùm nunc metendi ſit tempus, non ſerendi; cædendi non conſerendi. Quid autem dicemus? Num, immodico quodam amore caſtitatis, verè hoc ſenſiſſe Hieronymum quod toties inculcat? An in his rhetoricatum eſſe, ſicut ipſe mox teſtatur:* Rhetoricati ſumus & in morem Declamatorum paululum luſimus? *An in hanc partem propenſior fuit, quod Helvidius nuptias æquaret virginitati, &, juxta proverbium, iniquum petit, ut æquum ferat? An ſatis eſt quod, initio hujus diſputationis, teſtatur, ſe non detrahere nuptiis, quòd laudet virginitatem, ut hæc ſemper ad illam regulam ſint accipienda quæ duriùs dicta videbantur,*

tur. At hoc eſt perpetuum ferè incommodum in ratiocinationibus illis Hieronymianis, quòd nimiùm probent; ac proinde, ex legibus Dialecticorum, prorſus inanes ſint. Itaque argumenta, quæ ſi firma eſſent, oſtenderent illicitas eſſe nuptias, non demonſtrant cœlibem & caſtam vitam eſſe iis præferendam; ſed vitioſa cùm ſint, fruſtra proferuntur, & hoc unum probant, eum qui iis utitur aut imprudentem, aut datâ operâ malè ratiocinari.

Verùm hæc fuit conſuetudo Rhetorum, ut oſtendimus in Hiſtoria Rhetoricæ, quæ claudit Sectionem I. Partis II. *Artis* noſtræ *Criticæ*; ubi etiam inſignem locum *Hieronymi*, hanc in rem, laudavimus. Nec quidquam addemus, hoc in loco, præter judicium *Joan. Morini* de *Hieronymi* memorata conſuetudine. Sic loquitur Exercitationum Biblicarum Lib. I. Exerc. IV. Cap. 3. §. 7. *Meminerit præterea Lector conſuetudinem eſſe S. Hieronymo non infrequentem, de quacumque re loquitur, ſive ſuam, ſive aliorum ſententiam explicet, σημαντικῶς admodum loqui & ἐμφατικῶς, nec aliquando quid ipſe approbet aut reprobet ſatis exprimere; ita ut interdum, propter*

propter verborum vim & ὑπερβολὴν ea ſenti e videatur, quæ tamen conſtanter negat, aut certis tantùm circumſcriptionibus adhibitis fatetur. Si cui ejuſmodi eloquentia, ſcribendique ratio ſint admirationi; quibus ut ignoſcatur, ſumma opus eſt indulgentia; non mirabor apud eum rationes omnes & argumenta levia eſſe.

XII. SECUNDO, accuratè expendendum eſt, num ſine affectu ſcribat, an irâ commotus, tùm enim modum nullum ſervat. Liquet hoc præſertim ex libris contra *Joannem* Hieroſolimitanum Epiſcopum, & contra *Ruffinum*. Cùm *Origenem* * antea ſemper laudaviſſet, præteritis ejus erroribus; vel quòd eos tanti non faceret, vel quòd iis ignoſcendum putaret, propter cetera viri erga Sacras Litteras merita; poſtquàm Ariani cœperunt uti *Origenis* auctoritate, ad ſe ſe defendendum, & *Joannes* præſertim Jeroſolimitanus, qui ei favebat, alia quoque de cauſa *Hieronymo* diſplicere cœpit, tam acerbè invectus eſt in *Origenem*, quàm illum præter meritum antea laudarat. Quia verò *Ruffinus*, cum quo antea arctiſſima amicitia *Hieronymo* interceſſerat, favebat

* *Vide varias laudes ad Quæſt. II. allatas.*

vebat *Origeni*, atque ad eum defendendum laudibus ab *Hieronymo* in eum congeſtis utebatur; graviſſimas pœnas ei dedit, acerbiſſimis libris in eum editis, unde turpiſſima rixa in eos exorta eſt. Rem pluribus docebit vir eruditiſſimus ac Præſul reverendiſſimus *P. Dan. Huetius*, Origenianorum Lib. II. c. IV. Sectione I. quem legiſſe non pœnitebit. Hinc tamen non gravabor decerpere particulam, ex qua liquebit aliter affectu vacuum, aliter iratum loquutum eſſe *Hieronymum*; adeóque ab iis, qui ejus Opera legunt, expendi oportere quo animo ſingula ſcripſerit, antequàm illi fidem habeant.

„ Suſceptam, inquit, interim, „ Pammachii & Oceani rogatu, ſin„ ceriorem librorum de Principiis „ converſionem abſolvit *Hieronymus*, „ & ad eos Romam miſit; cum „ luculenta Epiſtola, quâ *Origenis* „ eruditionem laudaſſe ſe fatetur, „ dogmata tenuiſſe pernegat. *Lauda*„ *vi*, inquit, *interpretem*, *non dog*„ *matiſten*; *ingenium*, *non fidem*; *Phi*„ *loſophum*, *non Apoſtolum*. *Quod ſi* „ *volunt*, *ſuper* Origene, *meum ſcire* „ *judicium*, *legant in Eccleſiaſten* „ *Commentarios*; *replicent in Epiſtolam*

„ *ad*.

„ *ad Epheſios tria volumina, & intel-*
„ *ligent me ſemper ejus dogmatibus*
„ *contraiviſſe.* Et iterum: *ſi mihi*
„ *creditis, Origeniſtes numquam fui;*
„ *ſi non creditis, nunc eſſe ceſſavi.* Et
„ ſequenti capite: *fac me erraſſe in*
„ *adoleſcentia, & Philoſophorum, id*
„ *eſt, Gentilium ſtudiis eruditum in*
„ *principio fidei dogmata ignoraſſe*
„ *Chriſtianæ, & hoc putaſſe in Apoſto-*
„ *lis quod in Pythagora & Platone &*
„ *Empedocle legeram; cur parvuli in*
„ *Chriſto & lactentis errorem ſequimi-*
„ *ni? Cur ab eo impietatem diſcitis,*
„ *qui necdum pietatem noverat? Se-*
„ *cunda, poſt naufragium, tabula eſt*
„ *culpam ſimpliciter fateri. Imitati*
„ *eſtis errantem, imitamini & corre-*
„ *ctum.* Similiter in Ep. LXII. ad
„ Theophilum; *ſicut enim interpre-*
„ *tationem & idiomata Scripturarum*
„ Origeni *ſemper attribui: ita dogma-*
„ *tum conſtantiſſimè abſtuli veritatem.*
„ Et tamen cùm Commentarios ſuos
„ in Eccleſiaſten & Epiſtolam ad
„ Epheſios Adamantii ſcitis referſe-
„ rit, vix iis ſemel contradixit; imò
„ verò ne *Origenem* quidem aucto-
„ rem citavit. Quod ſi ea pro falſis
„ habuit, cur cenſuræ notam non
„ appoſuit? Cur, cùm id ſibi vitio
daretur,

„ daretur, id ſibi gloriæ duxit? *Nam* „ *quod dicunt*, inquit Prologo in Lib. „ II. Comment. in Michæam, *Origenis* „ *me volumina compilare & contami-* „ *nari non decere Veterum Scripta; quod* „ *illi maledictum vehemens eſſe exiſti-* „ *mant, eamdem laudem ego maximam* „ *duco; cùm illum imitari volo, quem* „ *cunctis prudentibus & vobis placere* „ *non dubito*? Cur in præfatione ad „ Librum de Nominibus Hebraïcis „ ait *neminem*, *niſi imperitum*, *negare* „ Origenem, *poſt Apoſtolos Eccleſia-* „ *rum eſſe Magiſtrum*? Addere potuit hîc vir doctiſſimus jam dudum, invidioſum fuiſſe nomen *Origenis*, propter errores qui ei exprobrabantur, ut multis in eodem Opere oſtendit, nec hoc *Hieronymum* prætériviſſe; qui non diſſimulavit, ſe errores illos parvi facere, cùm eruditionem *Origenis*, vel cum illis nævis, conſequi optabat, irriſurus quidquid objiciebatur Presbytero Alexandrino, ſi eam comparaſſet. *Hoc unum dico*, inquit, *quod vellem*, *cum invidia nominis ejus*, *habere etiam ſcientiam Scripturarum*; FLOCCI PENDENS IMAGINES UMBRASQUE LARVARUM, *quarum natura eſſe dicitur terrere parvulos*, & *in angulis garrire*

tene-

tenebroſis. Quibus in verbis, errores *Origeni* objectos, quaſi inania imperitorum terriculamenta, habet. Nec fortaſſe mutavit ſententiam, ſed temporibus ſerviens ea dixit, pro more ſuo, quæ cum plauſu excipi videbat; aliter planè loquuturus, ſi *Origenes* priſtinam famam obtinere potuiſſet. Quemadmodum enim olim Legatus * Cn. Pompeii in Hiſpania, M. Varro, diffidens Pompeianis rebus, amiciſſimè de Cæſare loquebatur; deinde cùm vidit Pompeium validiorem in dies fieri, & magna eſſe in ſpe atque exſpectatione, ſe quoque ad motum fortunæ, ut loquitur *Cæſar*, movere cœpit: ſic & *Hieronymus* magnificè de *Origene* loquutus eſt, dum ejus fama floruit; poſtquàm verò damnari, aut brevi damnanda, ab Epiſcopis ſummæ auctoritatis, dogmata ejus intellexit, ipſe quoque in eum graviter invectus eſt.

Sed præſtat hæc aliáque dicentem audire *Huëtium*, qui ita habet. „Igi„tur, non ſine cauſa, *Ruffinus*, „Origeniſtam aliquando fuiſſe *Hie*„*ronymum* jactabat: *Hæc eſt*, inquit, „Invectiva I. *tua tanti Magiſtri gra*„*vitas, ut eum quem in aliis laudas*

Q „ con-

* *Lib. II. de Bello Civili C.* 17.

„ *condemnes in aliis*, *& quem in Præ-*
„ *fationibus tuis alterum*, poſt Apo-
„ ſtolos, Eccleſiarum Magiſtrum *di-*
„ *xiſti*, *nunc Hæreticum dicas. Quis*
„ *Hæreticus Eccleſiarum Magiſter ali-*
„ *quando dici potuit* ? Futilis ad hæc
„ Hieronymi excuſatio, qui Proœ-
„ mio in XI.Comment. Iſaïæ reſpon-
„ det *Origenem*, *Euſebium*, *Apolli-*
„ *narem*, alióſque à ſe in Commen-
„ tariis ad Libros Danielis, magiſtros
„ Eccleſiæ nominatos, ad diſtinctio-
„ nem quorumdam, qui à Chriſti
„ fide erant alieni. Addendum *Ruf-*
finum non tam reſpexiſſe ad Præfatio-
nem ad Commentarium in Danie-
lem, quàm ad Præfationem Libri de
Nominibus Hebraïcis; cujus verba
antea à nobis allata ſunt, in quibus
diſertè Origenes dicitur, *poſt Apoſto-*
los, *Eccleſiarum Magiſter*; cùm in Epi-
ſtola Commentario in Danielem præ-
fixa, vocet tantùm *Origenem*, *Euſe-*
bium & *Apollinarium Eccleſiaſticos vi-*
ros, *& Doctores Græciæ*.

„ Pergit, inquit *Huëtius*, *Hierony-*
„ *mum* laceſſere *Ruffinus*, eúmque
„ Origenis fidem numquam ſe lau-
„ daſſe jactantem propriis ipſius ver-
„ bis coarguit; quibus ille, velut
„ convictus, ſcribit Lib. III. Apol-
„ cap.

„ cap. III. *Eodem fervore, quo Ori-*
„ *genem antè laudavimus, nunc dam-*
„ *natum toto orbe damnemus*; & mox:
„ *Erravimus juvenes, emendemur ſe-*
„ *nes*; & iterum: *ignoſce mihi, quòd*
„ *Origenis eruditionem & ſtudium*
„ *Scripturarum, antequàm ejus hære-*
„ *ſin pleniùs noſſem, in juvenili ætate*
„ *laudavi.* Sed & hæc parum idonea eſt excuſatio; nam *Hieronymus* ſenectuti propior eum ſummopere laudaverat, in Præfatione jam aliquoties memorata Libri de Nominibus Hebraïcis, conſcripta, ut cenſet *Martianæus*, circa annum Chriſti CCC LXXXVIII. cùm natus eſſet *Hieronymus*, circa annum CCCXXIX. Si quis nunc Litterarum Sacrarum à pueritia ſtudioſus errorem admiſſum, poſt LVII. ætatis ſuæ annum, juventuti condonari peteret, omnibus profectò riſum moveret. At hic eſt

—— *gallinæ filius albæ,*
Nos viles pulli, nati infelicibus ovis;

& quorum quidem rectè facta, aut dicta vix ſine excuſatione proponuntur; delicta verò nullo piaculo reſolvuntur.

Paullò pòſt, candidè de *Hieronymo*

ſic judicat Reverendiſſimus Præſul:
„ Quamvis autem viri pii & ortho-
„ doxi officio functus ſit, cùm agni-
„ tos Origeniſmi errores ejuravit;
„ optabile tamen foret, ut ſanctiſſi-
„ mus ille doctor conſtantior animi
„ fuiſſet, & moderatior, neque tam
„ facilè bili ſuæ fuiſſet morigeratus,
„ ut in contraria, pro rerum ac tem-
„ porum ratione, trahi ſe & jactari
„ ſiviſſet, nonnumquam etiam ma-
„ ximos viros amariſſimis conviciis
„ perfudiſſet; fatendum quippe eſt
„ jure eum ſæpe à *Ruffino* fuiſſe re-
„ prehenſum, ſæpe etiam *Ruffinum*
„ ab eodem ſine cauſa fuiſſe culpa-
„ tum. Vellem, animi causâ, *Ori-genem* à Theophilo Alexandrino, atque ab Anaſtaſio Romano, non erroris tantùm ſed ignorantiæ etiam inſimulatum ac damnatum fuiſſe; *Hieronymus* enim ſententiam ſuam, de Origenis eruditione, revocaſſet, & imperitum eum quem antea admirabatur, atque exſcribebat, pronunciaſſet. Sed ſat docti non fuerunt, ut poſſent ſpernere *Origenem*, eóſque ludos nobis dare.

XIII. Tertiò, in legendo *Hieronymo*, non leviter arripiendum quidquid primùm occurrit, exiſtimandúmque

dúmque eſſe ejus ſententiam, quia adſeveranter de eo loquitur, nam ſi plura legamus, ſæpe contraria non minùs diſertè gravitérque affirmantem videbimus. Cujus varietatis tres cauſas fuiſſe, ſi rem introſpiciamus, inveniemus. Prima fuit in ipſa *Hieronymi* indole ardentiore, quàm ut ſibi conſtaret. Nullo enim ex alio fonte, profluere potuit nonnullorum judiciorum varietas, de rebus non magni momenti.

In Epiſtola ad Damaſum, *Aquilæ* verba prolaturus, AQUILA *námque*, inquit, *qui non contentioſiùs, ut quidam putant, ſed ſtudioſiùs verbum interpretatur ad verbum* &c. Attamen aliter planè in Epiſtola ad Pammachium, de Optimo genere interpretandi, ſub finem, ſic de eo judicat: AQUILA *autem Proſelytus & contentioſus interpres, qui non ſolum verba, ſed & Etymologias verborum transferre conatus eſt, jure projicitur à nobis. Quis enim pro* frumento, & vino, & oleo, *poſſit vel legere, vel intelligere χεῦμα, ὀπωρισμὸν, ϛιλβότητα, quod nos poſſumus dicere*, fuſionem, pomationemque & ſplendentiam. *Atqui non ſolùm Hebræi habent ἄρθρα, ſed ille κακόζηλος, qui ſyllabas interpretatur & litteras,*

ut dicat σὺν τὸν οὐρανὸν καὶ σὺν τὴν γῆν, *quod Latina Lingua omnino non recipit*... Poſterius hoc judicium verius eſſe perſpicuum eſt, cùm ex exemplis, quæ hîc afferuntur, tum ex aliis multis; nec capio quî potuerit unquam negare Hieronymus *contentioſum* eum fuiſſe Interpretem. De eodem Interprete, ſic loquitur in Epiſtola ad Marcellam, Tom. II. p. 312. Ed. Froben. *Jam pridem cum voluminibus Hebræorum editionem Aquilæ confero, ne quid forſitan, propter odium Chriſti, Synagoga mutaverit, & ut amicæ menti fatear, quæ ad noſtram fidem pertineant roborandam plura reperio. Nunc à Prophetis, Salomone, Pſalterio, Regnorúmque libris ex amuſſim recenſitis, Exodum teneo.* Hîc *Aquilam* ab omni falſationis crimine abſolvit. At eumdem diſſimulatæ veritatis, in verſione ſua, inſimulat in Præfatione ad Jobum: *Quod ſi, apud Græcos, poſt LXX. editionem, jam Chriſti Evangelio coruſcante, Judæus Aquila & Symmachus & Theodotion Judaïzantes hæretici ſunt recepti; qui multa myſteria Salvatoris*, SUBDOLA *interpretatione, celarunt, & tamen in Hexaplis habentur, apud Eccleſias, & explanantur ab Eccleſiaſticis viris; quanto*

quanto magis ego Chriſtianus; de Chriſtianis parentibus natus, & vexillum crucis in mea fronte portans; cujus ſtudium fuit omiſſa repetere, depravata corrigere & ſacramenta Eccleſiæ puro & fideli aperire ſermone; vel à faſtidioſis, vel à malignis lectoribus non debeo reprobari.

Mirum etiam eſt *Hieronymum in expoſitione* (verba ſunt Martianæi T. II. p. 298.) *allegorica Prophetarum, ſæpiùs uti violentis nominum Etymologiis, quas alibi abjiciendas ac ſpernendas volebat; veras è contrario propriáſque neglectui habere, cum loco expoſito Scripturæ non conveniunt*; hoc eſt, non tam aptæ erant, ad fingendas ex illis inanes allegorias.

Eraſmus qui, quoad ejus fieri poteſt, & aliquando etiam plus quàm neceſſe eſt, ſolet *Hieronymo* patrocinari, hanc tamen ejus inconſtantiam diſſimulare non potuit. In reſponſione ad notationes *Eduardi Lei* in Matthæum, ad 1. not. *Si nulla fides eſt*, inquit, *interpretationi varianti, nulla fides erit enarratoribus ſacris, non infrequenter inter ſe diſſidentibus; nulla fides Hieronymo, qui nonnumquam ſecum ipſe diſſidet.* Tum etiam ad novas ejuſdem Lei adnotationes, &

 quidem

quidem ad xxv: *Vir ille ſanctiſſimus ſatis eſt ardens ac vehemens, ne dicam violentus, adſeverans interdum compertum, quod non perinde certum eſt, atque ille vult videri; nonnumquam pugnans cum adverſario abutitur lectione, quam aliàs improbat, velut illud:* diviſa eſt mulier & virgo; *alicubi diverſum adſeverans ei quod alibi confirmarat, ſermonem ſuum ad rem præſentem accommodans.* Eſt 1 Cor. VII, 34. quem locum aliter citat *Hieronymus* contra *Helvidium*, aliter Lib. I. contra *Jovinianum.*

Quòd ſi quid aliud liceat conjicere, de origine hujus inconſtantiæ, præter id quod de nativa hominis indole ſuſpicari poſſumus, crediderim lectionem *Ciceronis*, nimiámque ejus admirationem effeciſſe, ut *Hieronymus* minùs ſibi ab ejuſmodi repugnantiis caveret. *Cicero* enim, dum modò dicat quod ad rem præſentem facit, potéſtque audientes commovere, non tantùm non magnopere quærit an verum ſit; ſed ne id quidem curat, an aliter aliàs ſit loquutus. Quod vitium fuit declamatoris, in utrumque dicere parati, & victoriam, non Veritatem, ſpectantis. Ea de re, brevem hîc digreſſionem facturis, eò faciliùs, ut

ut ſperamus, ignoſcet Lector; quòd quæ de *Cicerone* dicentur ea propemodùm etiam de *Hieronymo* dici queant.

XIV. Cum primi fermè Artis Rhetoricæ Magiſtri, ſe in utramque partem dicere paratos, de quavis re profiterentur; ea Ars minimè eò ſpectare cenſebatur, ut Veritas pateſieret, ſed tantùm ut quod Orator defendendum ſuſceperat, eo tempore quo cauſam agebat, verum auditoribus videretur, quod id probari judicibus intererat: ſicut oſtendimus in Hiſtoria Rhetoricæ, ſubjecta Sectioni I. Partis II. *Artis Criticæ.* Quamobrem præſtantiſſimi quique Oratores Veritate tum demum uſi ſunt, cùm cauſæ proderat; ita ut eſſet tantummodò in eorum ore, inſtar clypei, quo clientem tegerent; aut inſtar teli, quod in adverſarium conjicerent. Ceterùm ſi mendacio uti in ſuam rem poſſent; hoc eſt, ſi veriſimile eſſet; nec poſſet manifeſtis indiciis illico argui; id æquè libenter adhibebant, ac quod verum eſſe conſtabat.

Rem non diffitetur *Cicero*, in Oratione pro Cluentio Cap. L. Inſimulatus enim inconſtantiæ, quòd malè antea ſenſiſſet de Cluentio, déque

Q 5 judi-

judicio quo ille Vitricum reum peregerat, quaſi pecuniâ corrupto, eſſet loquutus; perelegantes quidem ſe tuetur, ſed ita ut culpam fateatur, quam tamen, conſuetudine ceterorum Oratorum, elevat. *Recitavit*, inquit, *ex neſcio qua Attius* (Cluentii accuſator) *oratione, quam meam eſſe dicebat, cohortationem quamdam judicum ad honeſtè judicandum, & commemorationem cum illorum judiciorum, quæ probata non eſſent, tum illius ipſius judicii Juniani* (quo Cluentius oppreſſerat Vitricum) *perinde quaſi ego non ab initio hujus defenſionis, dixerim invidioſum illud fuiſſe judicium; aut cùm de infamia judiciorum diſputarem, potuerim illud quod tam populare eſſet, in illo tempore præterire. Ego verò ſiquid ejuſmodi dixi, neque cognitum commemoravi, neque pro teſtimonio dixi, & illa oratio potiùs temporis mei, quàm judicii & auctoritatis fuit. Cum enim accuſarem* (C. Verrem, in I. Actione) *& mihi initio propoſuiſſem ut animos & populi Romani & judicum commoverem; cùmque omnes offenſiones judiciorum, non ex mea opinione, ſed ex hominum rumore proferrèm, iſtam rem, quæ tam populariter eſſet agitata, præterire non potui.* Quis, hiſce lectis,

ctis, non crederet, ſi non antea, at nunc *Ciceronem* ex animo loqui, & falſam invidiam, quemadmodum initio Orationis contendit, Cluentio conflatam fuiſſe? Attamen cùm ſecundùm eum jus dictum eſſet, *ſe tenebras* (verba ſunt *Quintiliani* de Inſtit. Orat. Lib. II. c. 17.) *offudiſſe judicibus, in cauſa Cluentii, gloriatus eſt.*

Pergit verò ipſe apertiùs rem declarare, hiſce verbis: *Sed errat vehementer, ſi quis in Orationibus noſtris, quas in judiciis habuimus, auctoritates noſtras conſignatas ſe habere arbitratur; omnes enim illæ Orationes cauſarum & temporum ſunt, non hominum ipſorum ac patronorum. Nam ſi cauſæ ipſæ pro ſe loqui poſſent, nemo adhiberet oratorem; nunc adhibemur, ut ea dicamus non quæ noſtrâ auctoritate conſtituantur; ſed quæ ex re ipſa causâque ducantur.* Poſtea affert exemplum L. Craſſi, qui cùm ſimile quidpiam ei objiceretur, *in reſpondendo expoſuit utriuſque rationem temporis, ut oratio ex re & cauſa habita videretur.* At ſi hoc liceat Oratori, non ampliùs definiendus, ut docent *Cicero* & *Quintilianus* non uno loco, *vir bonus dicendi peritus*, ſed *vir callidus mentiendi*,

tiendi, pro re nata, & diſſimulandi peritus.

Sanè ita ſe ſemper geſſit *Cicero*, ut immutabilis Veritatis exiguam haberet rationem, non tantùm in Philoſophicis Libris, ubi Academicum agit, ſed etiam in Orationibus, ad Senatum & ad Populum habitis. Exempli causâ, Orationem I. Catilinariam, quam in Senatu habuit, claudit precibus ad Jovem, in quibus hæc ſunt ultima verba: *omnes bonorum inimicos hoſtes patriæ, latrones Italiæ, ſcelerum fœdere inter ſe ac nefariâ ſocietate conjunctos æternis ſuppliciis vivos mortuóſque mactabis.* In IV. verò c. 4. ita loquitur de Inferis: *Ut aliqua in vita formido improbis eſſet poſita, apud inferos ejuſmodi quædam illi antiqui ſupplicia impiis conſtituta eſſe voluerunt; quòd, videlicet, intelligerent, his remotis, non eſſe mortem ipſam pertimeſcendam.* At eumdem audi, in Oratione pro Cluentio Cap. LXI. hæc adunco naſo ſuſpendentem, ubi de Oppianico ſceleratiſſimo homine mortuo: *Quid tandem*, inquit, *illi mali mors attulit? Niſi fortè* INEPTIIS *ac* FABULIS *ducimur, ut exiſtimemus illum apud inferos impiorum ſupplicia perferre*, —— *actum eſſe*

eſſe præcipitem in ſceleratorum ſedem atque regionem. Quæ ſi falſa ſunt, id quod omnes intelligunt, quid ei tandem aliud mors eripuit, præter ſenſum doloris?

In Oratione I. contra Rullum, ad Populum habita, Cap. v. poſtquàm memoravit *duos clariſſimos, ingenioſiſſimos, amantiſſimos Plebis Romanæ viros Tib.* & *C. Gracchos*, illico ſubdit: *Non ſum autem ego is Conſul, qui, ut plerique, nefas eſſe arbitrer Gracchos laudare; quorum conſiliis, ſapientiâ, legibus, multas eſſe video Reipublicæ partes conſtitutas.* At de iiſdem, hæc habet, de Officiis Lib. II. c. 12. ubi Philoſophum non oratorem popularem agit: *Vera gloria radices agit, atque propagatur, ficta omnia celeriter tamquam floſculi decidunt, nec ſimulatum poteſt quidquam eſſe diuturnum. Teſtes ſunt permulti in utramque partem, ſed, brevitatis causâ, familia erimus contenti una. Tib. enim Gracchus P. F. tamdiu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit; at ejus filii nec vivi probabantur bonis, & mortui numerum obtinent jure cæſorum.* Nec alibi meliùs de iis loquitur. Similiter in Oratione pro P. Sulla mores ejus, crebrò laudat, & præ-

præſertim quidem à Cap. XXVI. ex diviſione Gruteriana. *Ecquod hujus factum*, inquit, *aut commiſſum non dicam audacius, ſed quod cuiquam paullò minùs conſideratum videretur? Factum quæro, verbum ecquod umquam ex ore hujus excidit, unde quiſquam poſſet offendi?* Audi nunc eumdem in Officiis Lib. II. c. 8. veriùs de eodem Sulla judicantem: *Nec verò umquam bellorum civilium ſemen & cauſa deerit, dum homines perditi haſtam illam cruentam & meminerint & ſperabunt; quam P. Sulla cùm vibraſſet, dictatore propinquo ſuo, idem, ſexto triceſimo anno pòſt, à ſceleratiore haſta* (nempe, Julii Cæſaris) *non receſſit.* I nunc, & laudibus *Ciceronis* fidem habeto. Alia ſimilia proferri poſſent, de quibus *Aſconius Pedianus* ad Divinationem, Cap. v. ubi negat *ea fraudi eſſe* poſſe *Ciceroni, cùm ad tempus Oratorum dicta proferantur.*

Verùm hac Oratorum conſuetudine fit, ut ægrè intelligere poſſimus quidnam ipſi ſenſerint, & quænam fuerint opiniones & conſuetudines eorum ævo vulgò receptæ. Exemplum unum addam principis, apud Græcos, Oratoris negantis quod conſtat ſæpe factum Athenis fuiſſe; nimirum,

mirum, plura ejuſdem teſtamenti exempla authentica relicta. *Attici hoc venuſtè dicunt*, ait *Iſ. Caſaubonus*, ad *Suetonii* Auguſtum Cap. CI. τὰς διαθήκας ἀντίγραφα ποιήσασθαι, *ut Demoſthenes* κατὰ στεφάνου *oratione alterâ, ubi quod negat* διαῤῥήδην *Orator factum umquam ut teſtamenti ſui plura exemplaria aliquis relinqueret*, ORATORIA FIDÈ *dictum eſſe, vel Theophraſti unius exemplum arguit; qui ultimæ ſuæ voluntatis tria, ut veteres Græci loquuntur*, ἀντίγραφα, *ut* recentiores, ἰσότυπα vel ἴσα *confecit, ac ſuo annulo obſignata totidem amicis ſervanda tradidit. Auctor Laërtius* Lib. V. §. 57.

Sic & *Hieronymus*, ut nunc ad inſtitutum noſtrum redeamus, ſub finem Opuſculi contra *Helvidium*, affert verba Pauli, ex 1 Cor. VII, 32, 33, 34. his verbis: *Qui ſine uxore eſt cogitat ea quæ Dei ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt hujus mundi, quomodo placeat uxori. Et diviſa eſt mulier & virgo.* (μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος) *Quæ non eſt nupta cogitat quæ ſunt Domini, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. Nam quæ nupta eſt cogitat quæ ſunt mundi, quo modo placeat viro.* Quæ verba rectè diſtincta ac con-

converſa proferuntur, atque ita urgentur contra *Helvidium: Quid oblatras? quid repugnas? Vas electionis hæc loquitur*, diviſa eſt, *dicens*, mulier & virgo. *Vide quantæ felicitatis ſit, quæ & nomen ſexûs amiſerit.* Virgo *jam* mulier *non vocatur.* Is quidem non eſt ſenſus Pauli, ut docebunt Interpretes, ſed tamen vera hæc eſt loci lectio. *Hieronymus* verò Libro I. contra Jovinianum, hæc habet de hoc loco: *Illud breviter admoneo, in Latinis Codicibus, hunc locum ita legi:* diviſa eſt virgo & mulier; *quod quamquam habeat ſuum ſenſum, & à me etiam, pro qualitate loci, edisſertum ſit, tamen non eſt Apoſtolicæ veritatis. Si quidem Apoſtolus ita ſcripſit, ut ſupra tranſtulimus:* ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt; *& hac ſententiâ definitâ, regreditur ad virgines & continentes & ait:* Mulier innupta & virgo cogitat quæ ſunt Domini, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. *Non omnis innupta & virgo eſt: quæ autem virgo utique & innupta eſt.* Violentam hanc eſſe loci & diſtinctionem & interpretationem non dicam; ſat multi Interpretes rem in meridiana luce collocarunt. Hoc unum monebo, *Hie-*

Hieronymum, prout declamatorio impetu rapiebatur, eadem loca aliter atque aliter interpretatum: quemadmodum *Cicero* dicere ſolebat, non quod verum erat, ſed quod cauſæ intererat verum videri.

XV. ALTERA cauſa, cur difficulter ſententiam *Hieronymi* de iis, de quibus loquitur, adſequamur, petenda eſt ex alia conſuetudine, quæ ei cum multis Veteribus Scriptoribus communis eſt. Aliquando enim loquuntur ex vulgi, aliquando ex ſua ipſorum ſententia; nec varietatem illam animadvertere illico, aut eorum ſententiam à vulgari ſecernere licet; ſed perlectis demum eorum monumentis, magnáque adhibitâ attentione. Diſſimulabant ſæpe, in rebus invidioſis, quod ſentiebant, ne multitudinem aliter ſentientem in ſe concitarent; ſed cùm tamen in animo aliud lateret, interdum erumpebat, quod ab acutioribus Lectoribus in eorum Scriptis deprehenditur, ſi attentiùs ea legant. Igitur ſi id in quod primum incides exiſtimaveris eſſe eorum ſententiam, ſæpe falleris; nec ab errore revocari poteris, niſi plurium eorum Operum lectione. Cùm verò deprehendantur pugnantes ſententiæ,

tentiæ, præſertim in rebus, de quibus aliter palam ſentire, quàm vulgus, non licuit; tum demum intelligere eſt eas eſſe peculiares Scriptorum ſententias, ſi modò clarè expreſſæ ſint, quæ à dogmatibus publicè receptis diſſident. Nam cùm ex eo quòd cum vulgo loquantur colligere non liceat, eos cum vulgo ſentire, quia poſſunt ſe ſe captui vulgi attemperare, aut invidiam fugere; quando planè aliter loquuntur, quàm plerique omnes ſolent, præſertim ſi quid ſit invidioſius, hinc colligere eſt eos ex animi ſententia loqui; quia, niſi ita ſentirent, nulla fuit ratio recedendi à formulis, dogmatibúſve conſecratis.

Hæc cùm ita ſint, quemadmodum etiam oſtendimus Epiſtolarum Criticarum & Eccleſiaſticarum II. quotieſcumque, apertis *Platonis*, exempli gratiâ, Operibus, inveniam vulgaria Deorum nomina, aliáque quæ vulgò Athenis ſolebant de Numinibus dici; hinc non potero jure colligere *Platonem* ex animi ſententia loqui, quia non ſemper tutum fuit oppugnare opiniones plebis. Sed ſi incidam in ea loca, in quibus de Deo dicantur planè aliena à Græcorum ſuperſtitione; non dubitabo, quin ita in iis lo-

loquatur Philoſophus, ut ſentiebat. Igitur, miſſis omnibus Poëtarum fabulis, exiſtimabo verè *Apuleium* & ceteros Platonicos expreſſiſſe mentem Magiſtri de Deo, hiſce aut ſimilibus verbis: * *De Deo ſentit, quòd ſit incorporeus. Is unus, ait,* ἀπερίμετρος, *rerum genitor, omnium extortor, beatus & beatificus, optimus, nihil indigens, ipſe conferens cuncta. Quem quidem cœleſtem pronunciat, indictum, innominabilem, &, ut ait ipſe,* ἄῤῥητον, ἀκατωνόμαστον: *cujus naturam invenire difficile eſt; ſi inventa ſit, in multos enunciari non poſſe. Platonis hæc verba ſunt:* Θεὸν εὑρεῖν τε ἔργον εὑρόντα τε εἰς πολλοὺς ἐκφέρειν ἀδύνατον. Quæ verba nos docent *Platonem* conſultum non judicaſſe, quæ de Deo ſentiebat ubique patefacere. Eodem pertinentia proferri poſſent ex Epiſtolis *Platonis* ad Dionyſium Syracuſanorum Tyrannum, ſi modò ſint *Platonis*. Quare imperitè, aut malignè Velleius Ciceronianus, Lib. I. de Natura Deorum c. 12. *De Platonis inconſtantia*, inquit, *longum eſt dicere, qui in Timæo patrem hujus mundi nominari negat poſſe; in Legum autem Libris, quid ſit omnino Deus, anquiri opor-*

* *Ex* Apuleio *de Philoſ. Platon.*

oportere non cenſeat. Quod verò ſine corpore ullo Deum vult eſſe, ut Græci ἀσώματον, *id quale eſſe poſſit intelligi non poteſt. Careat enim ſenſu neceſſe eſt, careat etiam prudentia, careat voluptate; quæ omnia cum Deorum notione comprehendimus. Idem & in Timæo dicit, & in Legibus & mundum eſſe Deum, & cœlum & aſtra & terram, & animos & eos quos Majorum inſtitutis accepimus, quæ & per ſe ſunt falſa perſpicuè, & inter ſe ſe vehementer repugnantia.* Sunt quidem verba inter ſe diffidentia, quia *Plato* ubique ſuperſtitiones civium ſuorum oppugnare auſus non eſt; at intra ejus animum nulla fuit pugna, cùm fabulas de Diis omnes rejiceret.

Similiter cùm videmus *Hieronymum*, hîc quidem laudantem verſionem LXX. Interpretum, quaſi optimam ac conſentaneam cum exemplaribus authenticis, & ab hominibus divinitus afflatis profectam; alibi verò, nec id raró, eam erroris redarguentem; facile eſt intellectu prius ab eo datum eſſe auribus vulgi Theologorum, ita tunc temporis ſentientium, nec de ea opinione facilè deducendorum: poſterius veram ipſius ſententiam complexum, cùm ſine invidia

vidia dici non poſſet, ut ſatis liquet ex ejus Præfationibus in varios Veteris Teſtamenti Libros, Litteriſque ab *Auguſtino* Hipponenſi, hac de re, ad eum ſcriptis. Fruſtra eſt ergo *Joannes Morinus*, vir ceteroquin eruditus, qui Exercitationum Biblicarum III. & IV. Lib. I. ex locis in quibus *Hieronymus* probat atque extollit verſionem LXX. Interpretum, vult ea intelligi ac emolliri in quibus eam reprehendit; quaſi priora complecterentur veram atque ultimam ſententiam *Hieronymi*, poſteriora verò non tam ex verbis, quibus concepta ſunt, intelligenda eſſent, quàm ex animo *Hieronymi*, qui, in Apologia II. contra *Ruffinum*, pernegat ſe umquam quidquam contra LXX. Interpretes eſſe loquutum. Ut quod factum eſt infectum fieri nequit: ita nec quod ab illo ſcriptum fuerat, vociferationibus illis apologeticis, non ſcriptum non evadit. Sed loquitur cum vulgo, ait ſe ſentire cum vulgo, ut fugiat invidiam quæ ei creabatur ab inimicis; at ab eo ſubinde diſſentit, quia quamvis alibi diſſimulet, *ex abundantia cordis os loquitur*, ita ſemper loquuturum, ſi per imperitos aut inimicos licuiſſet.

 XVI.

XVI. Quæ nos commodùm deducunt ad tertiam inconſtantiæ *Hieronymi* rationem, quæ ex affectibus, quibus variis temporibus agebatur, petenda eſt. Antea oſtendimus aliter ſedatâ mente, aliter iratum loquutum. Similiter metu adactus Hiſtoriolas, quæ Hebraïcè minimè exſtabant, & quas Apocryphas eſſe apertè docuerat, eodem ac Canonicos Hebræorum libros loco habere ſe teſtatus eſt; ne *Ruffinus* eum, apud aliter ſentientes, infamaret. Rem ex *Joanne Morino*, ne ſolus ita ſentire videar, paullò pluribus exponam. „ Præfatione, inquit, in Danielem, luculenter enarratis rationibus cujuſdam Rabbini, quibus Hiſtoriam Suſannæ, Draconis quoque & Beli, & Hymnum trium puerorum apocrypha contendebat & fabuloſa; nihil aliud addit præter hæc verba, quæ priora confirmare videntur: *His & talibus argumentis apocryphas in libro Eccleſiæ fabulas arguebat, ſuper qua re Lectoris arbitrio judicium derelinquens, illud admoneo, non haberi Danielem apud Hebræos inter Prophetas &c.* Verba ejus Proœmio Comment. in Danielem adhuc evidentiora ſunt: *Miror*, inquit,

„ quit, *quoſdam* μεμψιμοίρυς *indignari*
„ *mihi, quaſi ego decurtaverim librum;*
„ *cum & Origenes & Euſebius & A-*
„ *pollinarius, aliique Eccleſiaſtici viri*
„ *& Doctores Græciæ, has, ut dixi,*
„ *viſiones non haberi apud Hebræos*
„ *fateantur, nec ſe debere reſpondere*
„ *Porphyrio pro his, quæ nullam Scri-*
„ *pturæ Sanctæ auctoritatem præbeant.*
„ Quis hæc legens ſtatim non excla-
„ met, hiſtoriolas illas virum ſan-
„ ctum apocryphas jùdicaſſe? Res
„ tamen longè aliter ſe habet. Fal-
leris, *Morine*, quod enim hîc habet *Hieronymus*, cùm perſpicuum ſit, nec ſpernendis rationibus nitatur, vera fuit ac genuina ejus ſententia; quod vel hinc intelligitur, quòd ſit à vulgari opinione ejus ævi aliena. Conſenſus cum aliis interdum obſequii, aut timoris potiùs eſt fructus, quàm animi adſentientis indicium; at diſſenſus ſine certo judicio diſſentientis oriri non poteſt, ſi minimè ſit fucatus. Nec ſi alibi rem negat *Hieronymus*, invidiâ ſibi propterea creatâ territus, ideò eum mutaſſe ſententiam credibile eſt, minimè confutatis rationibus, quibus antea nitebatur. Videamus tamen quid habeat *Morinus*.

„ Hujus criminis, inquit, à Ruffi-

,, no accuſatus quid ad finem Apo-
,, logiæ II. reſpondeat audiamus.
,, *Quod autem refero quid adversùm*
,, *Suſannæ hiſtoriam & Hymnum trium*
,, *puerorum, Beli & Draconis fabulas,*
,, *quæ volumine in Hebræo non haben-*
,, *tur, Hebræi dicere ſoleant; qui me*
,, *criminatur ſtultum, ſe ſycophantam*
,, *probat. Non enim quid ipſe ſenti-*
,, *rem, ſed quid illi contra nos dicere*
,, *ſoleant explicavi. Quorum opinioni*
,, *ſi non reſpondi in Prologo brevitati*
,, *ſtudens, ne non præfationem ſed li-*
,, *brum viderer ſcribere, puto quòd ſta-*
,, *tim ſubjecerim, dixi enim; de quo*
,, *non eſt hujus temporis diſſerere.* Po-
,, ſtrema illa verba, *de quo* &c. nuda
,, & ſolitaria addiderat quidem, ſed
,, poſt enarrationem diviſionis Judaï-
,, cæ, in Legem, Prophetas & Hagio-
,, grapha, non proximè poſt Hiſto-
,, riam de Suſanna & Hymno trium
,, Puerorum. Itaque nemo, niſi à
,, S. *Hieronymo* admonitus, de iſta
,, correctionis pericope ad hiſtoriam
,, Suſannæ &c. referenda vix um-
,, quam cogitabit. Eodem modo in-
,, telligenda ſunt quæ ſcripſit in Procœ-
,, mio Commentariorum, licèt ἀπροσ-
,, διονυσωτέρως iis accommodari poſſit
,, iſta ſolutio. Lectori cuicumque

,, ſuffi-

„ ſufficere debet ſua verba ſic inter-
„ pretari S. Hieronymum. Atqui nemini hoc ſatis eſſe videbitur, qui reputabit *Hieronymum* hîc declinare invidiam, etiam violentâ verborum ſuorum interpretatione; quandoquidem non licebat aliter homines placare. Sic ſenſit *Eraſmus*, qui ita habet ad hunc locum: *Hîc Hieronymus vafrè reſpondet; ſiquidem ex ipſa præfatione planè apparet eum ita ſenſiſſe.* Quo in negotio, ſi quæ Aſcetæ Bethlehemitici culpa eſt, (quæ ſine dubio eſt aliqua) multò tamen major fuit *Ruffini* & aliorum; qui, rationibus ejus minimè confutatis, quibus confutandis pares non erant, hominem ad ejuſmodi reſponſa terrore adigebant. Multò magis vituperanda fuit Eccleſiaſticorum & Laïcorum imperita turba; apud quam Veritati odium creare tam facile fuit, & optimis quibuſque periculum denunciare impunè licuit. Territus autem aliter loqui poteſt, quàm alioqui facit; ſed aliter ſentire nequit, qui nihil, præter metum, rationibus firmis opponi videt. Non obſcurè hæc ſignificat *Hieronymus*, cùm etiam, hoc in loco, *fabulas* vocet narratiunculas de Belo & Dracone. Vide ſequentia quoque

R 5 ejus

ejus verba, quibus idem innuit. Ad Procemium quod attinet Commentarii in Danielem, nullo modo ei poteſt id commentum aptari.

Alterum exemplum addit *Morinus*, ex quo idem manifeſtum fiet.
„ Exemplum, inquit, non minus
„ inſigne eſt quod ſequitur. Ita ſcri-
„ bit in Præfatione ad libros Salo-
„ monis: *Sicut ergo Judith & Tobiæ &*
„ *Macchabæorum libros legit quidem*
„ *Eccleſia, ſed inter Canonicas Scriptu-*
„ *ras non recipit: ſic & hæc duo vo-*
„ *lumina* (Eccleſiaſticum & Sapien-
„ tiam) *legat ad ædificationem plebis,*
„ *non ad auctoritatem Eccleſiaſticorum*
„ *dogmatum confirmandam.* Quis non
„ protinus inferat: è Canone expun-
„ gendos libros illos credidit. Quid
„ Judæi facerent, non quid ipſe ſenti-
„ ret explicavit. Quo argumento
„ fretus id adſeram, paucis accipe.
„ De libro Tobiæ, ſic in præfatione
„ habet: *Quem Hebræi de Catalogo*
„ *divinarum Scripturarum ſecantes,*
„ *his quæ* * *Apocrypha memorant man-*
„ *ciparunt. Feci ſatis deſiderio veſtro,*
„ *non tamen meo ſtudio. Arguunt enim*
„ *nos Hebræorum ſtudia, & imputant*
„ *nobis,*

***Ita legit* Martianæus *ex MSS.* cùm *vulgo legatur* Hagiographa.

„ *nobis, contra ſuum Canonem, Lati-*
„ *nis auribus iſta transferre. Sed me-*
„ *lius eſſe judicans Phariſæorum diſpli-*
„ *cere judicio, & Epiſcoporum juſſioni-*
„ *bus inſervire, inſtiti ut potui.* Præ-
„ fatione verò in librum Judith: *Apud*
„ *Hebræos, liber Judith inter Apocry-*
„ *pha legitur; cujus auctoritas, ad robo-*
„ *randa illa, quæ in contentionem ve-*
„ *niunt, etiam minùs idonea judicatur.*
„ *Chaldæo tamen ſermone conſcriptus in-*
„ *ter Hiſtorias computatur. Sed quia hunc*
„ *librum Synodus Nicæna, in numero*
„ *Sanctarum Scripturarum legitur com-*
„ *putaſſe, acquievi poſtulationi veſtræ,*
„ *imò exactioni.* Hinc manifeſtum
„ eſt primum teſtimonium ad ſequen-
„ tia emolliendum eſſe, cùm ita clara
„ ſint, ut nullâ verborum contor-
„ ſione eludi queant. Imò verò per-
ſpicuum eſt in primo teſtimonio *Hie-
ronymum* non loqui de Judæis, ſed
de *Eccleſia*, ſuámque ipſius propone-
re ſententiam; quam *Eccleſiæ* tribuit,
ut ſit, quòd eam ita ſentire oportere
judicaret. In altero etiam, cùm negat
ſe ſatisfacere *ſuo ſtudio*, ſatis oſtendit
ſe ſentire cum Judæis, nec vertiſſe
Tobiam, niſi ut gratificaretur Epiſ-
copis Chromatio & Heliodoro, ad
quos eam tranſlationem mittebat. Si-
militer

militer & in tertio ſatis teſtatur invitum ſe vertiſſe librum Judithæ. Si liceret interpretari verba Scriptorum veterum, ut Hieronymiana interpretatur *Morinus*, nullæ umquam in ullis libris occurrerent repugnantiæ. Si quis enim Scriptor, qui dixiſſet quidpiam factum *in meridiana luce*, poſtea diceret *idem mediâ nocte* contigiſſe, poſſet prius è poſteriori intelligi. Quis, quæſo, tum fuiſſet, apud Veteres, ſermonis uſus, ſi affirmatio negatione, negatio affirmatione contrarii explicaretur? Unde ſcire poſſemus quid ſibi vellent? Ænigma profectò, ænigma merum eſſet univerſa Eccleſiaſtica Antiquitas.

„ Attamen, idem dicendum, inquit „ *Morinus*, de Machabæorum libris, „ Eccleſiaſtico & Sapientia Salomo- „ nis, quos cum Tobia & Judith uno „ faſce S. *Hieronymus* complectitur. Idem ſanè dicendum; ſcilicet, ab *Hieronymo* pro Apocryphis habitos, licèt vulgò ab imperitis æquarentur libris Hebræorum Canonicis. Planiſſimè hac de re loquutus eſt, in Prologo Galeato, & alibi. Alia nonnulla addit *Morinus*, quæ in ejus Opere legentur; ex allatis enim exemplis, ſatis liquet *Hieronymum*, præ metu,

non

non ſemper auſum defendere quæ contra vulgi ſententiam alibi verè dixerat. Quod cùm apud animum reputo, non capio quî à nonnullis uſque adeò extollatur conſenſus Veterum, quaſi id certum eſſet Veritatis indicium. Nam ut ne dicam conſenſum tam facilè eſſe poſſe errantium, quàm rectè ſentientium; omnium conſenſus frustra jactatur, ubi à plerorumque ſuffragio diſſentire nemini impunè licet. Statim ac major pars, quæ imperitorum eſſe ſolet, teſtata erat ſibi quidpiam placere, decretóque ſententiam ſuam publico conſecrarat, ceteris fas ampliùs non erat rem in dubium revocare. Itaque verbis adſentiebantur ſæpe doctiores, non quòd rationibus victi eſſent, ſed quòd tutum non eſſe diſſenſum ſuum teſtari viderent.

XVII. UT ad id quod inſtitueramus, de iis quæ cavenda ſunt, in lectione *Hieronymi*, nunc redeamus, quarto loco, *Hieronymi* Scripta legentibus cavendum ne fictionibus, quas datâ operâ commentus eſt, pro more veterum Declamatorum, adſenſum præbeant. *Nam & mendacium dicere*, ait ſummus artis Magiſter *Quintilianus*, Inſt. Lib. II. c. 17. *etiam*

ſa-

ſapienti aliquando conceſſum eſt —— *Imperiti enim judicant & qui frequenter in hoc ipſum fallendi ſunt, ne errent. Concedant mihi omnes oportet*, inquit iterum Lib. XII. c. 1. *quod Stoicorum quoque aſperrimi confitentur, facturum aliquando bonum virum, ut mendacium dicat, & quidem nonnumquam levioribus cauſis; ut in pueris ægrotantibus, utilitatis eorum cauſâ, multa fingimus, multa non facturi promittimus.* Ita ſe geſſiſſe *Hieronymum* non ſemel animadvertit *Eraſmus*. Sic in Apologia ad *Jacobum Fabrum* * Stapulenſem, de Epiſtola ad Hebræos, quam *Hieronymus* interdum Paulo tribuere videtur, verba faciens: *Citat*, inquit, *nomine Pauli quod à pleriſque legebatur, hoc titulo, nec erat ubivis de auctore digladiandum. Contendit alicubi eſſe Pauli, ſed non hac in re tantùm* VAFER ET A SE IPSO DISSENTIENS *Hieronymus, quem facilè crediderim huic faviſſe Epiſtolæ; & ut non omnino abhorruit à Platonis & Origenis ſententiâ, vulgus aliquando fallendum eſſe, modò ſuo fallatur bono: ita voluiſſe credi Pauli, quò majori cum fructu legeretur.*

Pro-

* *Tom. IX. ejus Operum.*

Profectò hujus artis non unum ſpecimen, in ejus Scriptis, invenitur. Sic in Epiſtola de cuſtodia Virginitatis, *Euſtochium* à lectione Ethnicorum Scriptorum avocaturus, narrat ſe eorum nimio ſtudio olim ardentem hoc modo fuiſſe emendatum: *Dum ita me*, inquit, *antiquus ſerpens illuderet, in media fermè quadrageſima, medullis infuſa febris corpus invaſit exhauſtum, & ſine ulla requie, (quod dictu quoque incredibile ſit) ſic felicia membra depaſta eſt, ut vix oſſibus hærerem. Interim parantur exſequiæ & vitalis animæ calor, toto frigeſcente jam corpore, in ſolo tantùm tepente pectuſculo palpitabat; cùm ſubitò raptus in ſpiritu ad tribunal judicis pertrahor, ubi tantum luminis, & tantum erat ex circumſtantium claritate fulgoris, ut projectus in terram ſurſum adſpicere non auderem. Interrogatus de conditione, Chriſtianum me eſſe reſpondi; & ille qui præſidebat:* mentiris, *ait*, Ciceronianus es, non Chriſtianus; ubi enim theſaurus tuus, ibi & cor tuum: *Illico obmutui & inter verbera (nam cædi me juſſerat) conſcientiæ magis igne torquebar, illum mecum verſiculum reputans*, in inferno autem quis confitebitur tibi? *Clamare autem cœpi*

&

& ejulans dicere: Miſerere mei, Domine, miſerere mei. *Hæc vox inter flagella reſonabat. Tandem ad præſidentis genua provoluti qui adſtiterant precabantur ut veniam tribueret adoleſcentiæ, & errori locum pœnitentiæ commodaret; exacturus deinde cruciatum, ſi Gentilium litterarum libros aliquando legiſſem. Ego qui in tanto conſtrictus articulo vellem etiam majora promittere, dejerare cœpi & nomen ejus obteſtans dicere:* Domine, ſi umquam habuero Codices ſeculares, ſi legero, te negavi. *In hæc ſacramenti verba dimiſſus revertor ad ſuperos, & mirantibus cunctis, oculos aperio, tanto lacrimarum imbre perfuſos, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore.* NEC *vero* SOPOR *ille fuerat, aut vana* SOMNIA, *quibus ſæpe deludimur. Teſtis eſt tribunal illud, ante quod jacui; teſtis judicium triſte quod timui; ita mihi numquam contingat in talem incidere quæſtionem, liventes habuiſſe ſcapulas, plagas ſenſiſſe poſt ſomnum.* Quis, hiſce lectis, crederet merum ſomnium narrari? Attamen rem fatetur *Hieronymus* ipſe, ſub finem Lib. I, contra *Ruffinum: Nunc autem novum impudentiæ genus, objicit mihi* SOMNIUM *meum.* —— *Qui* SOMNIUM *cri-*

criminatur audiat Prophetarum voces, ſomniis non eſſe credendum &c. Sic etiam loquitur, in ultima Apologia adversùs eumdem: *Magni criminis*, inquit, *reus ſum, ſi puellis & virginibus Chriſti dixi ſæculares libros non legendos, & me in* SOMNIS *commonitum promiſiſſe ne legerem* —— *Vide quid inter tuum & meum ſit* SOMNIUM. *Ego me humiliter reprehenſum refero, tu jactanter laudatum te eſſe congeminas.* Hoc tamen videtur candor præterea poſtulaſſe; ut diceret *ſomnium* fuiſſe *vigilantis.*

Ab ejuſmodi ſomniis non multùm abſunt narratiunculæ de muliere ſepties icta, & vitæ Eremitarum Pauli, Hilarionis & Malchi; quippe meri luſus ingenii, ad oſtentandam eloquentiam, admirationémque ſimplicioribus creandam elaborati; ſed qui, ut leviſſimè loquar, nauſeam movent cordatis atque eruditis. Quis ferat, exempli causâ, hominem gravem, ac ſeverum Aſcetam, ſeriò narrare, quæ leguntur de Centauro & Satyro obviam venientibus Antonio, cùm Paulum inviſeret? *Jam media dies*, inquit, *coquente deſuper ſole fervebat, nec tamen à cœpto itinere abducebatur dicens:* credo in Deum

meum, quia quod mihi ſervo ſuo promiſit oſtendet. *Nec plura his, conſpicit hominem equo miſtum, cui opinio Poëtarum Hippocentauro vocabulum indidit. Quo viſo, ſalutaris impreſſione ſigni, armat frontem, &*, heus tu, *inquit*, quanam in parte hic ſervus Dei habitat? *At ille barbarum neſcio quid infrendens, & frangens potiùs verba, quàm proloquens, inter horrentia ora ſenis blandum quæſivit eloquium; & dexteræ protenſione manûs cupitum indicat iter, & ſic patentes campos volucri tranſmittens fugâ, ex oculis mirantis evanuit. Verùm utrum hæc Diabolus ad terrendum eum ſimulaverit; an, ut ſolet, eremus monſtruoſorum animalium ferax iſtam quoque gignat beſtiam, incertum habemus. Stupens itaque Antonius & de eo quod viderat ſecum volvens, ulteriùs progreditur. Nec mora, inter ſaxoſam convallem haud grandem, homunculum videt, aduncis naribus, fronte cornibus aſperatâ, cujus extrema pars corporis in caprarum pedes deſinebat. Infractúſque & hoc Antonius ſpectaculo, ſcutum fidei & loricam ſpei, ut bonus præliator, arripuit. Nihilominus memoratum animal palmarum fructus eidem ad viaticum, quaſi pacis ob-*

obſides, afferebat. Quo cognito, gradum preſſit Antonius, & quiſnam eſſet interrogans, hoc ab eo reſponſum accepit: Mortalis ego ſum & unus ex accolis Eremi, quos vario deluſa errore Gentilitas, Faunos, Satyróſque & Incubos vocans, colit. Legatione fungor gregis mei. Precamur ut pro nobis communem Deum depreceris, quem pro ſalute mundi veniſſe cognovimus, & in univerſam terram exiit ſonus ejus. *Talia eo loquente, longævus viator ubertim faciem lacrimis rigabat, quas magnitudo lætitiæ indices cordis effuderat. Gaudebat quippe de gloria Chriſti & de interitu Satanæ, ſimulque admirans, quòd ejus poſſet intelligere ſermonem, & baculo humum percutiens aiebat:* Væ tibi Alexandria, quòd pro Deo portenta veneraris. Væ tibi, civitas meretrix, in quam totius Orbis Dæmonia confluxere. Quid nunc dictura es? Beſtiæ Chriſtum loquuntur, & tu pro Deo portenta veneraris. *Nondum verba compleverat, & quaſi pennigero volatu petulcum animal aufugit. Hoc ne cuiquam ob incredulitatem ſcrupulum moveat, ſub Rege Conſtantino, univerſo mundo teſte defenditur. Nam Alexandriam iſtiuſmodi homo vivus perductus*

magnum populò ſpectaculum præbuit; & poſtea cadaver exanime, ne calore æſtatis diſſiparetur, ſale infuſo, Antiochiam, ut ab Imperatore videretur, allatum eſt. Genus fortè hoc fuit Simiæ, quale eſt apud Indos. Similis Simia fuit aliquando in Europa conſpecta; ſed pedibus caprinis non erat. Vide *Nic. Tulpii* Obſerv. Medicas & *Jac. Bontii* Hiſt. Naturalem Indiæ Orientalis. Quæ Conſtantini ævo capta eſt non magis ad humanum, aut ut meliùs loquar, ad genus animalium rationalium & loquela utentium, videtur pertinuiſſe, quàm Simiæ illæ Indicæ. Itaque quòd Conſtantini ævo capta ſit ejuſmodi Simia, non ſequitur eſſe Faunos, aut Ægipanas rationis & loquelæ participes; nec etiam *Antonio* oblatam ullam ejuſmodi ſpeciem. Certè *Athanaſius*, in ejus vita, quamvis τερατολογίαις plena, nihil ſimile memorat. Tam verum eſt ab *Antonio* conſpectum Ægipanem, quàm Hippocentaurum, quæ ſunt animalia Nephelococcygiæ, non hujuſce noſtræ telluris. Scio *Plinium* Hiſt. Naturalis Lib. V. c. 8. & alibi in Æthiopiæ ſolitudinibus collocare Satyros, quibus præter figuram nihil ſit moris humani, & Ægipanas, quorum

rum ſit forma, qualis vulgò pingitur. Sed hæc omnia dubitans narrat *Plinius* ex rumoribus ac plebis opinionibus, quibus hîc abutitur *Hieronymus*. Ex itineribus factis noſtrâ, patrúmque noſtrorum memoriâ, per univerſum fermè terrarum orbem, commenticia hæc eſſe nemo neſcit. Non perſequar cetera figmenta earumdem vitarum, ad quarum exemplum poſtea, apud Latinos, fictæ ſunt innumeræ aliæ turpiſſimæ fabulæ; quarum mendacia vix meliorum litterarum exorta lux, apud Majores noſtros, diſcutere potuit.

XVIII. QUINTO loco, inter legendum quòd ex *Hieronymi* Operibus ſupereſt, cavendum etiam ne nos fallat cognomentum *Sancti*; quod olim quidem cuivis Clerico honoris causâ tribuebatur, nunc verò ſignificat virum ſingularis ſanctitatis, cujus mens apud Deum, in beatitudinis ſedibus, verſatur, &, ut pars Chriſtianorum cenſet, humani generis cum eo curam gerit. Erroris, præſertim inſignioris, arguere ejuſmodi hominem piaculum videatur; ideóque ejus cultores quidvis potiùs comminiſcuntur, quàm ut fateantur eos erraſſe. Nolo hîc agere de moribus

eorum ſæculorum, quibus qui mortui ſunt in communione majoris partis Chriſtianorum, nunc *Sancti*, hoc eſt, ut dixi, Dei πάρεδροι, dictitantur, nec in *Hieronymi* mores inquiram; quibus tamen multos viros bonos hujus ævi, nulla in parte veræ virtutis, inferiores eſſe puto. Sed ejus errores verbis duorum virorum proponam, qui ſpreti *Hieronymi* inſimulari non poſſunt.

Alter eſt *Eraſmus*, quem nimium fuiſſe in laudando *Hieronymo* nemo dubitarit, qui vel ea legerit quæ ex eo protulimus ad Quæſtionem I. Igitur Tomo V. Operum in Enarratione ad hæc verba Pſalmi XXXVIII. *Dixi cuſtodiam vias meas*, poſtquàm oſtendit nullum eſſe Scriptorem, minimè afflatum, qui ſit omnis erroris immunis, protulítque exempla *Origenis*, *Tertulliani*, *Cypriani*, *Irenæi*, *Ambroſii*, & *Lactantii*, ſic pergit de *Hieronymo* verba facere: *Reſtat inſignis illa Eccleſiæ columna Hieronymus, qui, in Epiſtola ad Oceanum, ſententiam quam & olim prodidit & hodie conſtanter ſervat Eccleſia, deridet, hæreſinque Cainam vocat; videlicet, quod qui ante baptiſmum uxorem habuit, eáque defuncta, poſt baptiſmum duxit alte-*

alteram, arceatur à Sacerdotio velut digamus; cùm Eccleſia ſubmoveat à Sacerdotio, qui corruptam pro virgine imprudens duxit. In Epiſtolæ ad Galatas Cap. IV. *ita ſcribit:* Eleganter autem & illud, quod is qui ſecundùm carnem natus eſt perſequitur ſpiritualem. NUMQUAM enim ſpiritualis perſequitur carnalem, ſed ignoſcit ei, quaſi ruſticano fratri, ſcit eum poſſe proficere, per tempus; & ſi quando Ægyptiæ filium viderit iraſcentem, recordatur unius patris, qui Lucam bovem creavit & culicem & in magna domo non ſolùm eſſe vaſa aurea & argentea, ſed lignea & fictilia. *Cui cordi eſt calumnia, nonne hic clamabit Epiſcopis adimi jus perſequendi Hæreticos, & Principibus bellandi adverſùs Turcas? Idem in ejuſdem Epiſtolæ Cap. IV. hunc in modum loquitur:* abſurdum quippe eſt Moyſen & ceteros confabulatores Dei, in ea fuiſſe conditione, ut non credamus eis & præfinitum tempus à Patre veniſſe & redemtos eos eſſe de ſervitute peccati & adoptionem filiorum conſequutos, & hereditatem cepiſſe cum Chriſto. *An non hodie quidam ad ſimilem vocem, in Scriptis horum temporum repertam vociferarentur, blaſphemia, blaſphemia!*

mia! Cui ſimillimum quod exponens Epiſtolam ad Philemonem ſcribit: Longum eſt diverſa Judicum geſta percurrere, & totam Samſonis fabulam ad veri ſolis (hoc quippe nomen ejus ſonat) trahere Sacramentum. *Sacram hiſtoriam, de cujus fide dubitare ſumma impietas eſt, appellat fabulam. Super idem caput ita ſcribit:* ut ſuper omnia Pater ſit quia eſt auctor omnium &c. *Si* omnium *accipias abſolutè, nonne quidam impium eſſe judicant Patrem dici* auctorem *Filii & Spiritûs? Sin accipias omnium rerum conditarum, nonne dicent Filium quoque & Spiritum Sanctum eſſe* auctorem *rerum creatarum? De his loquor, qui nihil intereſſe putant inter* auctorem & *conditorem. Rurſus in Cap. V.* hoc, *inquit*, intereſt inter Gentium Principes & Chriſtianorum, quòd illi dominantur ſubditis, nos ſervimus. *Nonne calumniator dicet, his verbis eripi dominium Regibus Chriſtianis? In Epiſtolæ ad Titum Cap. I. adſeverat Paulum verè fuiſſe imperitum Græci ſermonis, & profundos ſenſus, ob ſermonis inopiam, explicare non potuiſſe. Annon hic Sycophanticus Lector impinget blaſphemiæ crimen, cùm Paulus dicendi facultatem ac donum Lin-*

Linguarum acceperit à Spiritu Sancto? Libro adversùs Jovinianum l. ſcribit, ſuper omnes Apoſtolos fundatam Eccleſiam, omnibus datas claves regni cœlorum, & ex æquo ſuper eos fortitudinem Eccleſiæ fuiſſe ſolidatam. In Dialogo contra Luciferianos, dicit baptiſmum ſine Euchariſtia tradi non poſſe. Ibidem paullò pòſt dicit Hæreticos ſinendos uſque ad conſummationem ſæculi; & addit hæc: nemo poteſt Chriſti palam adſumere, nemo ante judicii diem de hominibus judicare. Si jam mundata eſt Eccleſia, quid Domino reſervamus? Eſt via, quæ videtur eſſe apud homines recta, noviſſima autem ejus veniunt in profundum inferni. In hoc errore judicii, quæ poteſt eſſe certa ſententia? &c. *Qui tantâ moroſitate dijudicent quid innuat, quid prætendat, quid ſonet jacens aut ſtans propoſitio; non obſcurum eſt quas Tragœdias hîc excitare poſſint. In Epiſtola ad Nepotianum, de vita Clericorum, nec nigras, nec albas geſtare veſtes permittit Clerico, & lineis uti damnat. In eadem omnem proprietatem interdicit Clericis. In Epiſtola ad Heliodorum, ſic loquitur:* quaſi nulli Chriſtiano fas ſit tenere poſſeſſiones ſuas. *In libris adversùs Jovinianum,*

multa dura loquitur de matrimonio, ſi incidant in Lectorem parum candidum: ſi bonum eſt, *inquit*, mulierem non tangere, malum eſt ergo tangere; nihil enim bono contrarium eſt, niſi malum. Si autem malum eſt & ignoſcitur, ideò conceditur ne malo quid deterius fiat. Quale autem illud bonum eſt, quod conditione deterioris conceditur? *Pium eſt quod ſenſit Hieronymus, ſed blaſphemum iis, qui ex verbis texunt calumnias.* Poſtremis hiſce verbis emollit *Eraſmus*, quæ duriùs ſibi videbatur dixiſſe in *Hieronymum*; quæ quidem expendere non aggrediar. Hoc unum obſervabo, inter ea, quæ hîc *Hieronymo* objiciuntur, nonnulla eſſe quæ ſoli ii damnant, qui Romanæ Sedi adhærent, quos potiſſimùm reſpexit *Eraſmus*, qui eis hæc ſolvenda objecit; eo animo, niſi fallor, ut ne ita ipſum damnarent ut faciebant vulgò Theologi, præſertim Monachi, propter errores quos in ejus Scriptis deprehendiſſe ſe putabant. Profectò non minùs eis deſudandum eſt, ut concilient quæ contraria dogmatibus hodie apud eos receptis habet *Hieronymus*, ſi eum per omnia defenſum volunt; quàm ſi omnia hæc dogmata eſſent,

cunctorum Chriſtianorum ſuffragiis damnata. Sed ſunt etiam quæ ab omnibus improbentur, quale eſt quod de Samſonis hiſtoria habet; de qua ſic loquitur, ut de Herculis fabula loquutus eſſet. Igitur nec ii qui Romanenſium Sacrorum participes ſunt, nec ii qui ab iis ſeceſſionem fecerunt poſſunt *Hieronymi* Opera magis *ἀξιαστικῶς* legere, quàm cujuſvis è Recentioribus.

XIX. SED audiamus alterum, à quo *Hieronymum* errantem caſtigatum fuiſſe diximus. Is eſt *Pet. Dan. Huetius*, Præſulum Gallorum, ſine controverſia, doctiſſimus, qui ita habet Origenianorum Lib. II. Cap. II. Quæſ. XI. §. 25. ubi agit de ſententia *Origenis*, quod attinet ad pœnas à malis poſt hanc vitam luendas: „ Cautè „ obſervandum *Hieronymum*, qui tot „ Origeniano nomini contumelias in-„ flixit, id ferè in *Origene*, ſuper hac „ quæſtione arguere, quòd Diabolum „ pœnis liberandum eſſe adſeruerit, „ quamvis contrarium fateatur alicu-„ bi, ut notavimus; de liberatione „ autem hominum, ſiluiſſe ipſum. „ Itaque abnormia diſſerit quædam „ & à fide aliena, Lib. I. adversùs „ Pelagianos Cap. IX. pœnas tradens ſem-

„ ſempiternas deſtinari Diabolo & „ hominibus impiis; at iniquis & peccatorum reis temporales ſolummodo. Impium autem ab iniquo ita „ diſtinguit: *Omnis impius iniquus eſt „ & peccator; nec reciprocatur, ut poſſimus dicere: omnis peccator & iniquus etiam impius eſt. Impietas enim „ propriè ad eos pertinet, qui notitiam „ Dei non habent, vel cognitionem „ tranſgreſſione mutarunt; peccatum „ autem & iniquitas, pro qualitate „ vitiorum, poſt peccati & iniquitatis vulnera, recipit ſanitatem.* Poſtmodum ſententiam ſuam cum Origeniana ita componit: *Si Origenes omnes rationabiles creaturas dicit „ non eſſe perdendas, & Diabolo tribuit „ pœnitentiam, quid ad nos qui & „ Diabolum & ſatellites ejus omneſque „ impios & prævaricatores dicimus perire perpetuò; & Chriſtianos, ſi in „ peccatis præventi fuerint, ſalvandos „ eſſe poſt pœnas?* Clara ſunt & illa, „ in quibus finem ponit commentariis ſuis in Iſaïam dicens, neutiquam evulgandum eſſe illud dogma, quod damnatorum terminat „ pœnas; ne metu ſupplicii æterni „ ablato, magis ſe ſe licentia prorumpat. Demum ſic definit: *Et*

„ *ſicut*

„ *ſicut Diaboli & omnium negatorum*
„ *atque impiorum, qui dixerunt in*
„ *corde ſuo: non eſt Deus; credimus*
„ *æterna tormenta: ſic peccatorum at-*
„ *que impiorum & tamen Chriſtiano-*
„ *rum, quorum opera in igne proban-*
„ *da ſunt atque purganda, moderatam*
„ *arbitramur & miſtam miſericordiæ*
„ *ſententiam judicis.* Hæc cùm com-
„ mentariis quoque ſuis in Epiſtolam
„ ad Epheſios adſperſiſſet, reprehen-
„ ſus eſt à *Ruffino* Invect.I. & II. Hu-
„ jus licèt reprehenſiones devitare
„ conetur *Hieronymus*, Lib: I. Apo-
„ logiæ adversùs *Ruffinum*, cap. 6.
„ Libro verò ejuſdem Apologiæ II.
„ cap. 1. hæc habet: *Quod autem im-*
„ *precans fratribus, hoc eſt criminato-*
„ *ribus ſuis, æternos ignes cum Diabo-*
„ *lo, non tam fratres mihi videris pre-*
„ *mere, quàm Diabolum ſublevare,*
„ *cùm iiſdem, quibus homines Chri-*
„ *ſtiani, ignibus puniendus ſit*; quaſi
„ alio ignis genere Diabolus cru-
„ ciandus ſit, alio homines Chriſtia-
„ ni. Itaque *Staniſlaus* Pannonius
„ Anabaptiſta hunc *Origenis* propug-
„ nans errorem, in libro de Divina
„ Philantropbia, Hieronymi aucto-
„ ritatem non ſine ratione uſurpat,
„ immeritóque à *Sixto Senenſi* (Lib,

VI,

„ VI. Bibliothecæ) ob eam rem re-
„ prehenditur. Nam quamvis ne-
„ fariæ penitus & damnatæ doctrinæ
„ defenſionem ſuſceperit Hæreticus
„ ille, in eóque impudenter egiſſe
„ fatendum ſit; *Hieronymi* tamen pa-
„ trocinium, abſque impoſtura &
„ mendacio, quæ ipſi objicit Sixtus,
„ adſciſcit. Proferantur enim licèt
„ ſexcenta *Hieronymi* teſtimonia, qui-
„ bus contrarium tradidit; unum in-
„ de illud efficitur, mutaſſe illum
„ aliquando ſententiam, nec unicæ
„ ſemper opinationi adhæſiſſe. At
„ par pari retulit *Hieronymus*, quò
„ *Ruffinum* remorderet, qui cùm hæc
„ ad Anaſtaſium Papam, in Apolo-
„ gia Fidei ſuæ, ſcripſiſſet: *Si quis*
„ *negat Diabolum æternis ignibus man-*
„ *cipandum, partem cum ipſo æterni*
„ *ignis accipiat, ut ſentiat quod nega-*
„ *vit*; in ſuſpicionem tamen adſertæ
„ Diaboli ſalutis vocare tentavit *Hie-*
„ *ronymus*, Apol. II. cap. 1. eam à ſe
„ licèt ſuſpicionem propulſare *Ruffi-*
„ *nus* Invectivâ I. laboraſſet. Verùm
„ omiſſo hoc *Ruffini* loco, quem non
„ ſine cavillatione in ſequiorem trahi
„ poſſe ſenſum putamus, apertè de-
„ finit in Symbolo, ſempiternis qui-
„ dem tormentis cruciandum eſſe
„ Dia-

„ Diabolum ; ſontes verò homines
„ temporariis & aliquando finiendis.
„ Nam quid aliud ſibi velle poteſt,
„ cùm affirmat futurum ut peccato-
„ res , *abſque interitione ſua , debitas*
„ *luant pœnas*? & juſtis quidem *per-*
„ *petuitatem gloriæ, peccatoribus au-*
„ *tem prolixitatem confuſionis & pœnæ*
„ Deus miniſtret?

Integrum locum exſcripſi, ut ſententia *Hieronymi* in apertiore luce collocaretur; quam qui primus apud Chriſtianos defendit, à Judæis videtur accepiſſe. Eſt enim, apud Judæos, ſententia recepta, quæ hoc axiomate Thalmudico continetur: כל ישראל יש להם · חלק לעולם הבא *univerſus Iſraël particeps eſt ſæculi venturi*, quamquam non dubitabant quin mali Iſraëlitæ pœnas aliquas daturi eſſent. Vide Tit. Thalmudicum Sanhedrin Cap. XI. ab initio.

XX. SED quodcumque judicium, hac de re, feratur, conſtat ex iis quæ diximus non eſſe temerè admittenda quæcumque habet *Hieronymus*, quaſi communem Eccleſiæ ejus ævi ſententiam; nec quidquid vulgò eâ tempeſtate receptum erat, pro Chriſtianæ Religionis dogmate divinitus patefacto, eſſe habendum. Quod diffiteri

non

non poſſunt, ſi modò ex animi ſententia loqui ſuſtineant, Romanæ Eccleſiæ Theologi, uti nec alii qui ab illis diſſentiunt, cùm neutri per omnia probent *Hieronymi* placita. Si autem, in rebus Theologicis, non modò poſſint, ſine ulla invidia, imò verò neceſſe habeant multa improbare; quidni nobis licebit in iis, quæ ad Grammaticam pertinent, ab eo diſſentire, ſi eum in Regulas Artis peccare manifeſtum fiat? Quare nefas erit hujuſmodi peccata notare, dum liberè errores Theologici homini exprobrantur? Non video ſanè quo jure quiſquam proptereа indignari poſſit.

Quæſiverit fortè quiſpiam, annon tamen hæc omnia ejus Manibus ignoſcere parati ſimus; propter utilitates, quas ex ejus Operibus capi poſſe antea oſtendimus. Parati verò nos ſumus, ut jam alibi ſumus profeſſi; ſed eâ lege, ut pro delictis habeantur quæ verè delicta ſunt, nec laudentur quæ indulgenter feruntur aut ignoſcuntur; útque eodem jure ſint Recentiores Scriptores, ac ipſe, ſive ut laudentur, pro eo ac merentur, veniámque ſimiliter admiſſorum, ſi mala bonis penſent, conſequantur.

Si

Si enim pergant nonnulli homines excuſare quidem, aut etiam laudare vitia ac commiſſa Veterum; Recentiorum verò non tantùm leviora peccata acerbiſſimè exagitare, ſed etiam egregiè facta aut dicta poſthabere iis quæ, in Veteribus, indulgentia indigent, non deſinemus Veterum nævos commemorare. Nulla enim jura nos patiuntur iniquos eſſe erga vivos, aut nuper mortuos; dum indulgentiſſimi ſumus erga eos, qui ante mille annos occubuerunt.

Nonnulla dicenda hîc fuiſſent, de ratione quâ *Hieronymus* Commentarios in Scripturam Sacram ſcribebat; multa enim cavenda ſunt, in eorum præſertim lectione, ex quibus non leves hallucinationes naſci poſſent. Verùm ad ultimam hujus Voluminis Quæſtionem, ea de re, copioſiùs agemus.

QUÆSTIO IX.

Quanti facienda ſit Editio Verſionis Latinæ, quam Martianæus *vocat Divinam Bibliothecam* HIERONYMI; *quídve ſentiendum de præfationibus Hieronymianis.*

I. QUÆ hactenus à me dicta ſunt, ea ad nullam ſingularem partem Librorum *Hieronymi* illuſtrationúmque *Martianæi* potiſſimùm pertinent, ſed univerſum Opus ſpectant; nunc verò de ſingulis partibus aliquid mihi dicendum eſt, ut magis ac magis liqueat quanti ſit facienda hæc Editio *Hieronymi*. Primum volumen complectitur verſiones ejus librorum Veteris & Novi Teſtamenti, cùm ex Hebraïca, tum ex Græca Lingua; quibus *Martianæus*, Monachorum neſcio quorum judicium ſequutus, nomen indidit *Bibliothecæ Divinæ Hieronymi*. Præfixæ ſunt iis Libris Præfationes Hieronymianæ, additæque ad latera notulæ cujuſdam Judæi,

Judæi, & ſubjectæ animadverſiones *Martianæi.* Ipſas verſiones Hieronymianas expendere me nolle jam antea profeſſus ſum, cùm locum commodiorem ei examini præbituri ſint mihi Commentarii in Vetus Teſtamentum. Hîc tantùm quæram quid ſit in hac Editione præſtitum, nec minùs candidè laudabo quod laude dignum videbitur, quàm liberè reprehendam quod ſecùs in ea factum eſt; atque, in hac quidem Quæſtione, agam de primo hoc Volumine; exceptis tamen notis quas *Martianæus* primùm *Hieronymo*, deinde Judæo cuidam attribuit, animadverſionibuſque ipſius *Martianæi*, quas ſeorſim, ad Quæſtionem ſequentem, expendam.

II. NON poſſum non laudare conſilium *Martianæi* de edendis *Hieronymi* verſionibus, quemadmodum exſtant in antiquiſſimis Libris, ſine mutationibus, quæ poſtea in iis factæ ſunt, eóque ordine quo inveniuntur iiſdem in Libris; non omiſſis antiquis diſtinctionibus, quæ in iis cernuntur. Videmur enim nobis videre eas verſiones, quales è manu *Hieronymi* prodierunt, aut certè quàm minimè fieri potuit immutatas. Propterea facilè ignoſcam titulo *Divinæ*

Bibliothecæ Hieronymi, quamvis putidum habeatur rei notiſſimæ novum nomen imponere. Satiùs ſanè fuiſſet præfigere titulum, *Scripturæ Veteris & Novi Teſtamenti è Linguis Hebraïca & Græca ab Hieronymo converſæ*, aut ſimilem, quàm ex locis quibuſdam *Hieronymi* aut aliorum, rhetoricè potiùs quàm propriè loquentium, novam fingere inſcriptionem. Sed ſunt qui ſuſpicentur hanc inventam fuiſſe, ne videretur Verſio Vulgata excudi, quæ ad Romanam emendationem exigi debuiſſet. Quod ſi verum eſt, faciliùs hanc inſcriptionem, cui jam parati eramus ignoſcere, concoquemus.

III. VERÙM ſunt qui non ita faciles ſe præbeant Benedictinis, cùm tam paucas varias lectiones in hac Editione, & in Novo quidem Teſtamento fermè nullas vident; cùm conſtet multò plures in MSS. Codicibus inveniri, ex iis quæ hanc in rem animadverſa ſunt à *Laur. Valla*, *Deſ. Eraſmo*, *Nicol. Zegero*, *Franciſc. Luca Brugenſi*, & aliis, de quibus *Ricard. Simonius* in Opere de Verſionibus N. T. c. XII. & alibi. Hunc Scriptorem indicamus, quia cùm eum ſæpe confutet *Martianæus*, non potuit

tuit ignorare quid hac de re ab eo ſcriptum eſſet. Scimus quidem dictum *Martianæum*, ſibi in lectionum variarum incredibili numero, qui colligi poteſt ex MSS. Codicibus, fuiſſe delectum adhibendum; eáſque eligendas quæ non eſſent manifeſtæ aberrationes Librariorum, qualia ſunt innumera in Orthographiam peccata, aliáque id genus. Non nego hæc omnia non eſſe Lectori reponenda; ſed tamen multò plura digna memoratu in MSS. variantia ſunt loca, quàm quæ hîc notantur; & quæ eſſent memoranda, ut Lectori eligendi facultas permitteretur. Edidit olim Luteciæ Opera *Tertulliani* vir doctiſſimus *Nicol. Rigaltius*, & meminit quidem Manuſcriptorum Codicum, ex quibus ſingulos libros emendarat; ſed quia in notis rariorem mentionem fecit variarum lectionum, ſibique hòc ſumſit ut judicium ſolus de iis ferret, admiſsâ in contextum eâ quæ optima videbatur, ſine ulla admonitione; multis Eruditis labor ejus minùs placuit, & etiamnum hodie non pauci queruntur de Dictatoria auctoritate, quam ſibi ipſe attribuit, ſine cujuſquam conſenſu. Ac ſanè ſunt loca in *Tertulliano*, quæ emen-

 datiora

datiora in prioribus Editionibus corrupiſſe videri queat, ex deterioribus Codicibus. Contrà nemo non laudavit *Joannis Felli* Oxonienſis Epiſcopi editionem *Cypriani*, in qua variæ omnes lectiones, quæ non erant manifeſtiſſimè vitioſæ, ſunt ſingulis paginis ſubjectæ. Si ejus diligentiam ac fidem imitatus eſſet *Martianæus*, minùs eſſet quod quererentur qui Verſiones *Hieronymi* tanti faciunt, ut Interpretibus Scripturæ ſingulos earum apices probè expendendos cenſeant; quod vix fieri poteſt, ſine accurata variarum omnium lectionum collectione. Hæc ad animum revocata oportuit à *Martianæo*, qui eas uſque adeò laudat.

IV. His de editione verſionis Hieronymianæ præmiſſis, nonnulla hîc de Præfationibus *Hieronymi* quæ præfixæ ſunt variis libris Scripturæ dicemus.

Ut initium faciam à Prologo in Geneſin, non potui non mirari pravam lectionem & interpunctionem quæ ſunt in hiſce verbis, in quibus *Hieronymus* de ſuo conſilio vertendi Biblia ex Hebraïca Lingua: *Quod ut auderem*, inquit, *Origenis me ſtudium provocavit, qui Editionis antiquæ tranſ-*

tranſlationem Theodotionis miſcuit, aſteriſco & obelo, id eſt, ſtellâ & veru opus omne diſtinguens: dum aut illuceſcere facit, quæ minùs ante fuerant; aut ſuperflua quæque jugulat & confodit, maximè quæ Evangeliſtarum & Apoſtolorum auctoritas promulgavit: in quibus multa de Veteri Teſtamento legimus, quæ in noſtris codicibus non habentur ut eſt illud, ex Ægypto vocavi filium meum &c. Si hæc vera ſit lectio, inter ea quæ *Origenes* quaſi *ſuperflua jugulavit & confodit*, fuere, judice *Hieronymo*, loca ab Evangeliſtis & Apoſtolis laudata; quæ ſanè mens non fuit *Hieronymi*, qui hæc loca in Hebræo exemplari exſtare in ſequentibus contendit, adeóque ea *ſuperflua* eſſe poſſe non putavit. Iis enim prolatis: *Interrogemus ergo*, inquit, *eos, ubi hæc ſcripta ſint & cùm dicere non potuerint, de libris Hebraïcis proferamus. Primum teſtimonium eſt in Oſee* &c. Pluribus idem perſequitur, ſub finem Prologi. Notum eſt, vel ex Præfatione *Hieronymi* in Paralipomena, ab *Origene* verſioni LXX. Intt. miſtam verſionem *Theodotionis*, iis in locis, in quibus Hebraïca ſatis non expreſſerant, præfixo aſteriſco ut diſtinguerentur verba

LXX. Interpretum à verbis *Theodotionis*; deinde ab eodem *Origene* obelo jugulata fuiſſe ea LXX. Interpretum loca, quæ non erant in Hebraïco Textu. Qualia non poſſunt haberi loca allata ab Apoſtolis, quæ, ex *Hieronymi* ſententia, erant reverâ in Archetypis Hebræorum libris. Igitur ſic legendus & diſtinguendus eſt hic locus: *Quod ut auderem Origenis me ſtudium provocavit, qui editioni antiquæ tranſlationem Theodotionis miſcuit, aſteriſco & obelo opus omne diſtinguens; dum aut illuceſcere facit, quæ minùs ante fuerant, aut ſuperflua quæque jugulat & confodit*; MAXIMEQUE QUÆ *Evangeliſtarum & Apoſtolorum auctoritas promulgavit.* Provocatum, nimirum, ſe dicit, ad hoc Opus ſuſcipiendum, primùm *Origenis ſtudio*; deinde, & quidem *maximè*, iis *quæ Evangeliſtarum & Apoſtolorum auctoritas promulgarat*; quæ non erant in antiqua Verſione Latina LXX. Interpretum, quæ ante *Hieronymi* tempora in uſu erat. Senſus eſt manifeſtus, éſtque ea lectio partim ex editione *Eraſmi*, partim ex Pariſina deſumta: nam *Eraſmus* quidem habet *maximéque*, quod caret ſenſu, Pariſina verò *maximè quæ*, ut & Victoriana,

riana. Facile eſt intellectu Librarios alterutrum prætermiſiſſe. Cùm hæc ſcripſiſſem, animadverti locum *Hieronymi* ſic proferri, ut eum emendabam, in II. Apologia contra *Ruffinum* Edit. Frobenii 1553. p. 222. T. II. Nec dubito quin hac in re *Eraſmus* MSS. Codices ſit ſequutus. Sed hîc tacet Monachus noſter, quaſi omnes in prava lectione conſentirent. At certè cum hîc & orationis ſenſus & Editiones *Eraſmi* ac *Victorii* admonere debuerant. Si quis dubitet de ſententia *Hieronymi*, adeat ejus Præfationes in Paralipomena & in Ezræ Librum; quibus lectis, non erit cur ampliùs dubitet.

Miratus etiam ſum, in Editionibus *Eraſmi* & *Victorii*, Prologum hunc emendatiùs legi in II. Apologia contra *Ruffinum*, cui inſertus eſt, quàm initio Tomi III. ubi ſeorſim exſtat. Debuit ſibi cavere *Martianæus*, ne quid ſimile admitteret. Quod quoniam non fecit, monebo ex memorata Apologia, alterum prætereà mendum, in verbis à me allatis, deprehendi, ubi pro *illuceſcere* legendum *illuſtria*, ut eſt in illa Apologia, útque ſequentia verba oſtendunt: *illuſtria facit, quæ minùs ante fuerant.*

Poſtea *Hieronymus* quinque loca affert, quaſi in Novo Teſtamento ex Veteri prolata; quæ tamen non ſint in LXX. Interpretibus, ſed legantur in ipſius Tranſlatione. At rectè oſtendit *J. Morinus* Lib. I. Exercit. III. Cap. 5. unum eſſe omnino locum Oſeæ XI, 1. laudatum Matth. V, 15. de quo hoc meritò dici queat. Jactantiam hanc *Hieronymi* ſæpiùs repetitam ita retudit, ut ſatis liqueat rhetoricè, magis quàm verè, hominem eſſe loquutum. Itaque adeatur, hac de re, *Morinus*, cujus integrum Caput quamquam lectu digniſſimum exſcribere hîc non poſſumus.

In hoc eodem Prologo in Geneſin, meritò irridet *Hieronymus* eos qui LXX. Interpretes afflatos putabant; *aliud eſt enim vatem, aliud eſt eſſe interpretem*, ut rectè habet. Sed fuit à *Martianæo* aut caſtigandus, aut ſecum in concordiam redigendus, cùm in Præfatione in Paralipomena juxta LXX. Intt. dicat LXX. *Interpretes, Spiritu Sancto plenos, quæ vera fuerant tranſtuliſſe.*

V. SIMILITER ad Præfationem in Joſuam, obſervandum fuit, *Hieronymum* non tam ex animi ſententia, quàm ut invidiam amoliretur, ita loqui:

qui: *Monemus Lectorem* —— *ut in primis, quod ſæpe teſtatus ſum, ſciat me non in reprehenſionem veterum nova cudere, ſicut amici mei* (Ruffinus & alii) *criminantur, ſed pro virili parte offerre Linguæ meæ hominibus* &c. Satis enim liquidum eſt eum qui vertit, poſt alios, credere nonnulla ſaltem poſſe à ſe meliùs verti, & eos à quibus diſſentit, eo ipſo reprehendere, quaſi minùs rectè interpretatos. Quæ non eò dico, quòd damnem hoc *Hieronymi* Scripturæ meliùs convertendæ ſtudium; quod, pro eo ac meretur, probo ac laudo. Nec dubito etiam quin multa meliùs verterit, quàm LXX. Interpretes, quos in Commentariis ſæpe non immeritò caſtigat. Verùm hæc animadvertenda cenſeo, cùm ut intelligatur vera *Hieronymi* ſententia; tum etiam ut cognoſcamus hinc indolem multorum Theologorum illius ævi non abſimilem fuiſſe hodiernorum nonnullorum ingenio. Ut enim hodie antiqua novis, ſine ratione, paſſim opponuntur, atque aperta Veritas conſenſui ætatum errantium poſthabetur: ſic &, temporibus *Hieronymi*, mendoſiſſima verſio, antiquitatis ſolius causâ, opponebatur melioribus, quia erant recentiores,

&

& auctoritate conſentientium in errore ſæculorum ita premebatur Presbyter Stridonenſis, quamvis manifeſtâ Veritate niteretur, ut non modò multas Apologias ſcribere neceſſe haberet, ſed etiam negare id à ſe fieri quod reverâ fiebat, quia invidiæ in ſe apud imperitos concitatæ par non erat. Cùm verò, ſequentibus ſæculis, Latina Eccleſia magis ſapuerit, & Hieronymianam verſionem tandem complexa maxima ex parte fuerit, neglectis *Ruffini*, aut aliorum imperitorum vel invidorum abſurdis querelis: ſic quoque Hieronymianam verſionem meritò reprehendentibus, ſi nunc detrahant nonnulli homines aut mali aut Hebraïcæ Linguæ ignari, gratias aget poſteritas. Nec deſunt qui rem ad poſteritatem amandari non patiantur; neque enim omnes uſque adeò nequam ſunt, ut quod probant id non audeant laudare, quòd à malis & ignaris carpatur.

VI. In Prologo Galeato, præfixo libris Samuelis, notanda nonnulla habemus, quæ paucis proferemus. Primùm quidem alibi teſtati ſumus nos adſentiri *Martianæo*, luxata exiſtimanti hæc verba: *Et nomen Dei tetragrammaton, in quibuſdam Græcis vo-*

voluminibus, *uſque hodie antiquis expreſſum litteris invenimus*. Nec ſententiam mutamus, quamvis Monachus Benedictinus, poſtquàm hanc ejus conjecturam laudaſſemus, malè ſit de nobis meritus. Veritas, undecumque veniat, nobis ſemper eſt Veritas; hoc eſt, res omnium optatiſſima & jucundiſſima; nec aliter judicabimus, quamvis homines factioſi quotidie aliter ſe gerant.

In triginta quatuor MSS. Codicibus, quibus uſus eſt *Martianæus*, teſtatur ſcriptum fuiſſe: *hi ſunt quinque libri Moſi*, *quos propriè* THORATH, *id eſt*, *Legem appellant*. Edidit tamen THORA, quia *Thorath* eſt in ſtatu conſtructo, quem pro abſoluto ſumſiſſet *Hieronymus*. Attamen in ſequentibus edidit quidem MALACHOTH *regna*, & MASALOTH *proverbia*, quæ ſunt voces Scripturæ ignotæ; quia ſic exſtabant in MSS. cùm Hebræi dicant ממלכות *mamlachoth* regna, ut ipſe animadvertit, & משלים *mſchalim*, proverbia, quod notare omiſit. Inconſtantia hæc minimè eſt laudabilis, cùm præſertim ſoleat *Martianæus*, ex ſcriptura Latina Manuſcriptorum Codd. *Hieronymum* tueri.

Poſt-

Poſtquàm enumeravit libros, quos Hebraïcè etiamnum legimus, ita habet de aliis: *Igitur ſapientia, quæ vulgò Salomonis inſcribitur; & Jeſu filii Syrach liber, & Judith, & Tobias & Paſtor, non ſunt in Canone.* Cùm hi omnes libri, excepto ultimo, ſint in Canone Eccleſiæ Romanæ hodiernæ, *Marianus Victorius* & poſt eum *Joannes Morinus*, quem ſequutus eſt, ut in aliis multis, *Ricardus Simonius*, ut hunc *Hieronymi* locum cum ſuæ Eccleſiæ ſententia in concordiam redigerent, contenderunt loqui Hieronymum ex ſententia Judæorum. At *Joannes Martianæus* meritò hoc negat, probátque contrarium ex Præfatione in libros Salomonis. Sed non debuit diſſimulare, ſi modò hoc norat, *Hieronymum* ipſum iis Theologis, ſimili defenſione, præiviſſe, ſub finem Apologiæ II. adversùs *Ruffinum*, loco antea prolato ad Quæſt. VIII. §. 16. Neque enim diſertiùs negavit Canonicos eſſe libros Sapientiæ, Syrachidæ, Judithæ, Tobiæ & Paſtoris; quàm negaverat Canonicos eſſe librum Suſannæ, hiſtoriam Draconis & Beli, hymnúmque trium puerorum; quod tamen à ſe dictum fuiſſe ex ſententia Judæorum contendit.

Sed

Sed & aliud habet σοφὸν φάρμακον *Martianæus*, cujus ſunt hæc verba: *Scimus quidem, poſt decreta Concilii Tridentini, hos omnes libros pari cum ceteris veneratione ab omnibus verè piis & orthodoxis eſſe ſuſcipiendos; ſed nunc quæſtio nobis eſt de tempore Hieronymi, quando, ut ex eodem conſtat, Libros jàm dictos legebat quidem Eccleſia, ad ædificationem plebis, cùm tamen ipſos non reciperet inter Scripturas Canonicas.* At mirum eſt libros dubios per tot ſæcula, nec umquam antea in Canonem admiſſos, potuiſſe à ſæculo XVI. non dubios eſſe, & auctoritatem tantam obtinere. Si novum Concilium libris illis adderet *Hermam* & *Barnabam*, an horum libri divinitus afflati cenſendi eſſent? Verùm nolumus hîc in eam ingredi Controverſiam.

VII. HIERONYMUS, in Præfatione ad Iſaïam Prophetam, poſtquàm loquutus eſt de perſpicuitate, quâ is Propheta Chriſti myſteria ad liquidum perſequutus eſt, ut non eum putes de futuro vaticinari, ſed de præteritis Hiſtoriam texere, ſubjicit: *Unde conjicio noluiſſe tunc temporis Septuaginta Interpretes fidei ſuæ ſacramenta perſpicuè Ethnicis prodere; ne ſanctum*

ctum canibus & margaritas porcis darent. Conjiciebat ergo Septuaginta Interpretes, ea quæ ad Meſſiam pertinent, obſcuriùs datâ operâ vertiſſe, ne rem intelligerent Ethnici. Sed unde norat Meſſiam clariùs fuiſſe notum LXX. Interpretibus, quàm poſtea Judæis fuit, cùm ſe illis præſentibus præſentem ſtitit? Conſtat enim Judæos, tempore Jeſu-Chriſti, graviſſimis erroribus de Meſſia laboraſſe, ut ſola lectio Evangeliſtarum docet. Itaque nullo modo veriſimile eſt LXX. Interpretes, de induſtria, obſcuriùs vertiſſe vaticinia de Meſſia, quamquam clariùs ea intelligebant. Ac ſanè quid habebant ea vaticinia, quod magis offenderet Ethnicos, quàm cetera quæ in Vetere Teſtamento leguntur, & præſertim quidem Idololatriæ frequens, & vehemens damnatio? Sed *Hieronymus* arcanum hoc nos docet, in Prologo in Geneſin, ubi quod hîc conjicit tribuit Judæis: *Cauſſas*, inquit, *erroris non eſt meum exponere. Judæi prudenti factum dicunt eſſe conſilio; ne Ptolemæus unius Dei cultor, etiam apud Hebræos duplicem divinitatem deprehenderet. Quod maximè idcirco faciebant, quia in Platonis dogma cadere videbatur.* *De-*

Denique ubicumque ſacratum aliquid Scriptura teſtatur de Patre, Filio & Spiritu Sancto, aut aliter interpretati ſunt, aut omnino tacuerunt, ut & Regi ſatisfacerent & arcanum fidei non vulgarent. Crediderim equidem Judæos dixiſſe nonnulla fuiſſe mutata à LXX. Interpretibus, quod etiam habent in libello Rabbinico quem Hebraïcè & Latinè edidit anno MDLIX. *Sebaſt. Munſterus*, & quem inſcripſit *Compendium Hiſtoriæ Joſephi.* At eæ mutationes, ſi ei Rabbino credimus, alius planè fuerunt generis. Certè non videntur tales fuiſſe, quales hîc eas comminiſcitur *Hieronymus*; primùm quia planè falſum eſt ullum locum fuiſſe mutatum, aut obſcuratum ut S. Triadis doctrina diſſimularetur, nec ullus ab *Hieronymo* profertur. Ac ſanè ceteri Patres, & Græci & Latini, ex ea verſione non minùs ſe ſe S. Triadem probare poſſe cenſuerunt; nec profectò deteriùs argumentati ſunt, quàm *Hieronymus* ex ſua. Deinde quis credat Judæos, à quibus ait ſe hæc habere, exiſtimaſſe *duplicem divinitatem*, ut loquitur, aut etiam *triplicem* in Veteri Teſtamento fideliter verſo poſſe deprehendi; cùm à nulla re magis abhorrerent, quàm ab

hòc dogmate? Quis etiam putet Septuaginta Interpretes credidiſſe S. Triadem, ſed eam occultare voluiſſe? Poſtremò Ptolemæus minimè eo dogmate Judæorum, ſi tale fuiſſet, offendi potuit; quia *Plato* ipſe triplex Numen agnovit, qua de re egimus in Epiſtolis Criticis & Eccleſiaſticis. Commenta hæc ſunt Aſcetæ Bethlehemitici, cauſæ ſuæ ſervientis, & infamantis LXX. Interpretes apud Chriſtianos, ut pluris ejus tranſlatio fieret.

VIII. NON attingam hîc quæ habet *Hieronymus*, in præfatione ad Jeremiam, de metro Lamentationum, quia commodiùs paullò pòſt ea de re agam. Præfatio verò in Ezechielem hiſce verbis clauditur: *Si autem amici mei & hunc ſubſannaverint, dicite eis quòd nemo eos compellat; ut ſcribant. Sed vereor ne illud eis eveniat quod Græcè ſignificantiùs dicitur, ut vocentur* φαγολοίδοροι, id eſt, *manducantes ſannas.* Suſpicatur *Martianæus* reſpici hîc ad nomen Syriacum Cacodæmonis אכלקרצא *ochelkartſo* (quod tamen malè ſcribit אכלכרצא) *comedens accuſationem.* Sed primùm debuiſſet dicere *Hieronymus*, ſi eò reſpexit, *quod Syriacè* (non *Græcè*) *ſignificantiùs*

tiùs dicitur, cùm Græci ita non loquantur. Deinde, ut rectè obſervavit *Eraſmus*, ſi voluiſſet hoc Presbyter Stridonenſis, dixiſſet λοιδοροφάγος, pro perpetua Linguæ Græcæ conſuetudine, quâ in hac compoſitione vox φάγος poſtponitur; ut ἀναγκοφάγος, ἀνθρωποφάγος, βουφάγος, δριμυφάγος, ἰαμβοφάγος, λωτοφάγος, μονοφάγος, παμφάγος, πολυφάγος, ὠμοφάγος &c. Itaque dum vult *Martianæus* doctum Syriacè nobis exhibere *Hieronymum*, in Græcæ Linguæ elementa peccantem imprudens inducit. Præſtabat conjicere cum *Eraſmo* pro φιλολοίδοροι, quæ vox eſt proba & frequens, factam ab imperito Librario vocem barbaram & ignotam φαγολοίδοροι; deinde alium haud doctiorem eam interpretatum *comedentes ſannas*. At Græcè φαγολοίδορος eſſet *conviciator comedentium*.

IX. In Præfatione ad Jobum, nonnulla habet *Hieronymus* de numero verſuum, qui deerant Græcis & Latinis Codicibus, quæ digna eſſent quæ accuratiùs expenderentur; ſed quia aliis hoc curæ fore audio, ad alia me convertam. Miror cur, cùm *Martianæus* fateatur, non in editis modò, verùm etiam in pluribus MSS. Codi-

cibus legi, *ſi velis anguillam aut murænulam ſtrictis tenere manibus, quantò fortiùs preſſeris, tantò citiùs elabitur*, eum ſcripſiſſe *murænam*, ea tantùm de cauſa, quòd genus catenæ diceretur *murænula*, à ſimilitudine piſcis. Nam ipſa Analogia & nomen catenæ docere hominem potuerunt diminutivum *murænæ* eſſe *murænulam*; nec minùs de piſce poſſe dici, quàm de catena ad piſcis formam conflata.

Hieronymo judice, *à principio voluminis uſque ad verba Job, apud Hebræos, proſa oratio eſt; porrò à verbis Job, in quibus ait:* Pereat dies in qua natus ſum &c. *uſque ad eum locum, ubi ante finem voluminis ſcriptum eſt:* idcirco ipſe me reprehendo &c. *hexametri verſus ſunt, dactylo, ſpondæoque currentes, & propter linguæ idioma crebro recipientes & alios pedes, non earumdem ſyllabarum ſed eorumdem temporum. Interdum quoque rhythmus ipſe dulcis & tinnulus fertur numeris lege metri ſolutis, quod metrici magis, quàm ſimplex Lector, intelligant. A ſupradicto autem verſu, uſque ad finem Libri, parvum comma, quod remanet, proſâ oratione contexitur. Quod ſi cui videtur incredulum; metra, ſcilicet, eſſe apud Hebræos & in morem noſtri* *Flacci*,

Flacci, *Græcique Pindari & Alcæi & Sappho* (Lege *Sapphûs*, aut *Sapphonis*, ne ſolœciſmum in declinatione notiſſimi nominis Hieronymo tribuas) *vel Pſalterium*, *vel Lamentationes Jeremiæ*, *vel omnia fermè Scripturarum Cantica comprehendi*, *legat Philonem*, *Joſephum*, *Origenem*, *Cæſarienſem Euſebium & eorum teſtimonio me verum dicere comprobabit.* Hîc nos amandat *Martianæus* ad ultimum Prolegomenων ſuorum Caput, in quo loca *Hieronymi* hac de re collegit, conatúrque oſtendere hîc fumos ab eo nobis non vendi; quemadmodum cenſuerunt Eruditi viri è Recentioribus nonnulli, è quibus nominat *Joan. Buxtorfium*, cui adjungi poterant *Joſephus Scaliger*, in Animadverſionibus ad Prologum in *Euſebii* Chronicon, & *Lud. Cappellus*, qui verſus Hebraïcè fieri, quales ſunt Græci & Latini, pariter negat. Oſtendimus in Diſſertatiuncula Gallica de Poëtica Hebræorum, inſerta IX. Tomo *Bibliothecæ Univerſalis*, ſitam eam eſſe in verſibus ὁμοιοτελεύτοις breviſſimis & plerúmque imparibus, cujus rei ſpecimina etiam dedimus in Commentario noſtro ad Pentateuchum, ad Exod. XV. & Deut. XXXII. ubi exſtant integra

Cantica Moſis, ſecundùm ὁμοιοτέλευτα diſpoſita.

De re ipſa, non agemus hîc, ſed oſtendemus dumtaxat *Hieronymum* hoc in negotio erraſſe, ex ipſis ejus verbis, nec poſſe ullo modo defendi. Primò fruſtra laudat Chriſtianos Scriptores duos, *Euſebium* & *Origenem*, qui Hebraïcè neſciebant, nec poterant quidquam hac de re dicere, niſi ex aliena fide; & acceptum ferebant quidquid habent, quantulumcumque eſt, *Philoni* & *Joſepho*, quos ab iis diligenter perlectos conſtat. Itaque univerſum pondus teſtimonii nititur tantùm fide duorum illorum Judæorum; quorum prior, Alexandrinus Philoſophus, planè erat imperitus Linguæ Hebraïcæ, nec ipſe quidquam de ea ſcribere potuit, niſi ab alio acceptum. Præterea Hymni Eſſenorum Ægyptiorum, quorum meminit, ut rectè obſervavit *Joſ. Scaliger*, Græci erant, quo ſermone, ut reliqui Helleniſtæ, Judæi Ægyptienſes utebantur. *Nam nemo*, inquit, *qui Philonem legerit, ignorare poteſt illum Hebraiſmi imperitiſſimum fuiſſe; ideò an ullum Scriptum Sacrorum Bibliorum metricis legibus conceptum ſit, illi non magis exploratum fuiſſe, quàm qua Lingua Hy-*

Hyperborei uterentur. Ne *Joſephus* quidem ipſe, alter teſtis *Hieronymi*, erat Hebraïcæ Linguæ ſcientiſſimus; ut multi viri eruditi obſervarunt, atque inter alios *Pet. Dan. Huëtius* in Demonſtr. Evangelicæ Propoſ. IV. ubi de Eſtheræ Libro §. 2. Huc accedit quod *Philo* & *Joſephus*, in Græcorum ac Romanorum gratiam ſcribentes, toti ſint ad eorum captum ac mores compoſiti, ut eos ſuæ genti, religioníque concilient. Itaque ut viderentur Ethnicis Judæorum Sacri Poëtæ lectione digni, nec ullâ re Græcis inferiores, finxerunt eos eodem genere verſuum uſos, ac Græcos & Romanos Poëtas.

Ac ſanè ſi quod habet *Joſephus* ad rei ipſius veritatem exigamus, comperiemus nihil eſſe falſius. Sub finem Libri II. Ant. Judaïcarum, ſic loquitur de Cantico quod exſtat Exodi XV. *Καὶ Μωϋσῆς ᾠδὴν εἰς τὸν Θεὸν, ἐγκώμιόν τε καὶ τῆς εὐμενίας εὐχαριστίαν περιέχουσαν, ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ συντίθησιν*: *Et Moſes Oden in Deum, complectentem laudes & gratiarum actionem ob beneficium, hexametro verſu compoſuit.* Judicavit *Joſ. Scaliger* rhythmum eſſe accedentem ad tetrametrum Jambicum, non hexametrum Heroïcum. Certum eſt

non eſſe Hexametrum omnibus qui legere poſſunt & ſciunt quid ſit Hexameter; ſed nec eſt tetrametrum Jambicum. Nam non ſatis eſt revulſa aliquot vocabula ex reliquorum ſerie totidem circiter habere ſyllabas, quot habere poteſt Jambus Tetrameter; ſed oportet ut totum Canticum, aut major ſaltem ejus pars poſſit in Jambos pares dividi. Alioquin in quovis Libro Italico, Hiſpanico, Gallico, aliarúmve Linguarum, quæ non habent verſus, quales ſunt Græci & Latini, nec habere poſſunt, inveniam quodvis genus verſuum. Præterea oportet ut ſtatuantur regulæ quædam certæ, ex quibus intelligam Proſodiam, ſimilem Græcæ & Latinæ, & ex qua hoc Canticum poſſim in Hexametros Heroïcos, aut Jambos Tetrametros dividere, ſaltem majore ex parte. Quod non modò *Joſephus* facere non potuit, ſed nemo prorſus umquam faciet. Nos verò oſtendimus id Canticum in impares ὁμοιοτελεύτους non incommodè dividi.

Idem *Joſephus* Lib. VII. c. 10. ſic loquitur de Davide: Ὠιδὰς εἰς τὸν Θεὸν καὶ ὕμνους συνετάξατο μέτρου ποικίλου· τοὺς μὲν γὰρ τριμέτρους, τοὺς δὲ πενταμέτρους ἐποίησεν: *Odas in Deum & hymnos com-*

compoſuit, vario metro; quoſdam enim hymnos trimetros, alios pentametros fecit. Somnium hoc eſt hominis Hebraïcè neſcientis; nec unūs quidem ex omnibus Pſalmis Davidicis ita diſponi queat, ut Pentametri aut Trimetri ulli appareant. Sed poſſunt plerique omnes in ὁμοιοτέλευτα imparia ſecari, quod experti dicimus; qui eorum magnam partem ita ſectos in Schedis habemus.

At miſſo *Joſepho*, ad *Hieronymum* redeamus. Is ita loquutus videtur, poſt *Joſephum* & alios, re minimè expenſâ; quam falſam eſſe comperiſſet, ſi ad examen revocaſſet. Nec dixeris prudentiorem fuiſſe *Hieronymum*, quàm ut ſic temerè loqueretur hac de re, ut minimè explorata proferret. Ne enim dicam ex re ipſa contrarium liquere, de Poëſi Hebraïca ita loquutus eſt, hîc & alibi, ut liqueat eum non ſatis expendiſſe quid diceret. Exempli causâ, in præfatione ad Chronica *Euſebii*, hæc habet: *Quid Pſalterio canorius, quod in morem noſtri Flacci & Græci Pindari, nunc Jambo currit, nunc Alcaico perſonat, nunc Sapphico tumet, nunc ſemipede ingreditur?* Ad quem locum *Scaliger* hæc meritò adnotavit: *Pindari Poëſin*

Jambico & Alcaïco metro aut Sapphico currere credant fortaſſe qui numquam Pindarum legerunt, aut neſciunt quid ſit Jambicum, Alcaicum, Sapphicum metrum. At *Hieronymus* ex *Horatio* ſuo judicavit de *Pindaro*, qui, ſi verum quærimus, difficilior eſt, quàm ut eum legere ac intelligere poſſet Bethlehemiticus Aſceta. Pergit his verbis: *Quid Deuteronomii & Iſaiæ cantico pulcrius? Quid Salomone gravius? Quid perfectius Job? Quæ omnia Hexametris & Pentametris verſibus, ut Joſephus & Origenes ſcribunt, apud ſuos compoſita decurrunt.* Quid hac de re prodiderit *Origenes* neſcio, ſed *Joſepho* tribuitur hîc quod non dixit, ut liquet ex locis antea allatis. Præterea exigui eſt momenti eorum auctoritas, judice ipſo *Hieronymo*, qui oblitus ſe eam eſſe ſequutum in Epiſtola ad Paulam col. 709. T. 2. nuperæ Editionis, ait Canticum Deuteronomii *Tetrametro Jambico conſtare*, quod æquè tamen falſum eſt, ut antea oſtendimus.

Attamen callidè *Hieronymus*, ne ex ſola lectione Hebraïci Codicis deprehenderetur Metra, in eo fruſtra quæſiviſſe ſimilia Græcis, dicit apud Jobum, non tantùm *hexametros verſus*

ſus eſſe dactylo ſpondæóque currentes; ſed addit, *propter Linguæ idioma crebrò eos recipere & alios pedes, non earumdem ſyllabarum, ſed eorumdem temporum, interdum eſſe rhythmum numeris ſolutum* &c. quæ omnia impediunt quominùs illico deprehendatur ejus commenti vanitas; quo fumos imperitis vendere conatus eſt, niſi ipſe quoque bonâ fide errarit. Negamus, cum *Scaligero*, quidquam ſimile eſſe in Jobo, & provocamus Eruditos ut conentur vel in uno integro Capite diſtinguere verſus, traditâ aliquâ proſodiæ conſtante ratione. Nam numerare ſyllabas unius aut alterius commatis, ſine ullis Proſodiæ regulis, nec ulteriùs progredi inane eſt; quippe in quovis libro, ut dixi, facere id liceat. Itaque fruſtra hîc eſt *Martianæus*, qui in paucùlis commatibus, è variis locis petitis, rem facere conatus eſt. Sed ut id obiter aperiam, quod antea obſervatum à quoquam non legi: tria ſunt Librorum genera, apud Hebræos. Alii ſunt Hiſtorici, tenui & ſimplici ſtylo ſcripti: alii ἐσχηματισμένοι, hoc eſt, figuris & tropis frequentibus diſtinctâ oratione conſcripti, ſine ullo Poëmate, qui ſtylus dicitur Hebraïcè

משל

משל *maſchal*; quales Jobus, Salomonis libri, & Propheticæ omnes orationes: alii denique verè Poëtici conſtantes ὁμοιοτελεύτοις verſiculis, ut Pſalmi, nec tamen omnes; nam alphabethici Pſalmi ex hoc numero ſunt eximendi, tum etiam Cantica quæ alibi occurrunt. Malè hactenus miſti ſunt libri Poëtici cum figurato ſtylo conſcriptis. Sed hac de re aliàs. Interea quæ tradidit *Hieronymus*, de verſibus Jobi, ea ſomnia mera ſunt, ut ex ejus lectione liquebit. Sed quæ negat eſſe verſus, ea ſunt ſtylus hiſtoricus; quæ verſus eſſe putat, ea ſunt משל *maſchal*. De Pſalmis pluribus dicam, cùm judicium feram de Epiſtola ad Paulam, nunc ad alia propero.

X. INCHOAT *Hieronymus* Præfationem in Pſalmos, juxta Hebraïcam veritatem, confutatione Judæorum, qui credebant Pſalterium diviſum fuiſſe in quinque partes; quaſi nullum ejus rei argumentum haberent niſi quòd partes illæ diſtinguantur vocibus, *Amen*, *Amen*. Ita quidem definit Pſalmus XLII. quo clauditur pars prima; at minuſculis characteribus præterea additur ספר שני *liber ſecundus*. Pſalmo etiam LXXII. præter clau-

clauſulam *Amen*, *Amen*, ſubjicitur: *Deſinunt preces Davidis filii Iſaï.* Pſalmo LXXXIX. præter eamdem clauſulam, additur ספר רבעי *Liber quartus*. Pſalmus denique CVI. clauditur his verbis *Amen*, *laudate Dominum*; tum ſequitur ספר חמשי, *Liber quintus.* At in verſione LXX. Intt. eſt γένοιτο, γένοιτο, reſectis vocibus, *laudate Dominum*. Nec vetat, à nobis hanc diviſionem probari, quòd in Novo Teſtamento mentio fiat Pſalmorum, quaſi unius Libri; nam is Liber potuit unus haberi, uno volumine contineri, nec eò ſeciùs in quinque ſectiones dividi. Nec ſanè alibi hanc diviſionem improbat *Hieronymus*, ut liquet ex locis à *Martianæo* congeſtis. Hujus diviſionis meminit etiam *Epiphanius* de Ponderibus & Menſuris Cap. V. ſed nonnihil diſcrepat in numeris Pſalmorum edendis, ob diviſionem Græcam, quam ſequitur.

In eadem Præfatione, fingit *Hieronymus* fuiſſe diſceptationem inter *Sophronium*, cui Pſalmorum verſionem dedicat, & Judæum, qui cùm negaret in Hebræo haberi quod *Sophronius* citabat ex LXX. Interpretibus, adegerit *Sophronium* ut à ſe verſionem hanc poſtularet. *Quia nuper*, in-

inquit, *cum Hebræo diſputans, quædam pro Domino Salvatore de Pſalmis teſtimonia protuliſti; volénsque ille te illudere per ſermones penè ſingulos adſerebat non ita haberi in Hebræo, ut tu de LXX. Interpretibus opponebas, ſtudioſiſſimè poſtulaſti, ut poſt Aquilam & Symmachum & Theodotionem, novam Editionem Latino ſermone transferrem* &c. Quaſi verò Sophronius, qui Græcè ſciebat, quippe qui verſionem Latinam *Hieronymi*, ejúſque librum de Eccleſiaſticis Scriptoribus in Græcam Linguam tranſtulit, non poſſet ex Aquilæ duplici verſione os occludere Judæo! Sed *Hieronymus* ubique neceſſitatem ſuæ Verſionis inculcat, ut conſilium ſuum contra invidiæ morſus, quacumque arte, tueretur.

Paullò pòſt, obſervat *Martianæus* inſerta fuiſſe verbis *Hieronymi* hæc Græca ἀντὶ φοινίκων τὰ βαΐα σύρουσι, quæ perabſurdè vertit, *coram palmis ramos palmæ trahunt*, cùm debuerint verti *pro dactylis ramos palmæ trahentibus*, ut oſtendimus dudum *Artis Criticæ* P. 3. Sect. I. cap. 13.

XI. IN Præfatione ad Libros Salomonis, vocat *tridui opus* interpretationem trium Salomonis voluminum. Quod, ut puto, intelligendum de dicta-

dictatione ipſa Operis, quæ ſequuta eſt iteratam aliquoties eorum librorum lectionem, collationémque cum Græcis Interpretibus; niſi fortè, Hexaplis ante oculos poſitis, ex *Aquila* dictaret. Alioqui nimia hæc eſſet feſtinatio, in libris nequaquam facilibus; nec poſſent idem rectè præſtare qui ſunt multò pluribus ſubſidiis inſtructi quàm fuit *Hieronymus*, ne dicam Hebraïcè doctiores. Sed bene erat quòd talia jactaret, apud Linguæ Hebraïcæ imperitos, qui quanti laboris eſſet eos Libros rectè vertere ignorabant. At qui ſciunt Hebraïcè, eóſque legerunt paullò ſtudioſiùs, ſatis norunt curſim verti non poſſe; ſed diu de multis locis eſſe deliberandum, nec ſtylum ſemel vertendum, ſi quod ſit operæ pretium faciendum. Intelligas tamen feſtinaſſe Stridonenſem Presbyterum, non tantùm ex multis locis parum feliciter verſis, ſed etiam ex ipſo titulo; nam librum vocat more Rabbinico *Maſaloth*, terminatione fœmininâ, cùm vox משל conſtanter ſit maſculini generis in Scriptura, & inſcriptus ſit hic liber משלי שלמה *miſchle ſchlomoh*, unde liquet abſolutum eſſe *Meſchalim*, aut, more Hieronymiano, *Maſalim*.

Nihil

Nihil addam de eo quod dicit *Eccleſiaſticum* & *Sapientiam* eſſe Canone excludendos, non ſecus ac Juditham & Tobiam & Machabæorum libros; præter id quod jam antea dixi.

XII. LABOREM vertendi tres Salomonis minimè faciles Libros ſummopere, ut vidimus, extenuat *Hieronymus*; qui labor multò longius tempus poſtulat, quàm ei impendit. Contrà verò laborem diſcendi Chaldaïcam Linguam jam Hebraïcè ſcienti, eatenus ut intelligi queant paucul æ illæ partes Scripturæ, quæ Chaldaïcè ſcriptæ ſunt, præſertim adhibitis verſionibus Græcis, ſummopere adauget, in præfatione in Danielem Prophetam. *Ego*, inquit, *adoleſcentulus, poſt Quintiliani ac Tullii lectionem & flores rhetoricos, cùm me in Linguæ hujus piſtrinum incluſiſſem, & multo ſudore, multóque tempore vix cœpiſſem anhelantia ſtridentiáque verba reſonare, & quaſi per cryptam ambulans rarum deſuper lumen adſpicerem, impegi noviſſimè in Danielem; & tanto tædio affectus ſum, ut deſperatione ſubitâ omnem veterem laborem voluerim contemnere. Verùm adhortante me quodam Hebræo, & illud mihi crebriùs in ſuâ Lingua ingerente*, labor omnia vincit

vincit improbus; *& qui mihi videbar ſciolus inter eos, cœpi rurſum diſcipulus eſſe Chaldaicus. Et, ut verum fatear, uſque ad præſentem diem, magis poſſum ſermonem Chaldaicum legere & intelligere, quàm reſonare.* Ut à poſtremis incipiam, ſi *reſonare* ſit perinde ac rectè pronunciare, ut videtur, omnes ſciunt difficiliùs non pronunciari Chaldaïca, quàm Hebraïca. Quare rectè fecit *Hieronymus*, qui talia narret Paulæ & *Euſtochio*, quarum magiſter fuerat; & quæ eum, eruditione Hebraïcâ, non ſuperabant. Si verò *reſonare* ſit legere, quocumque modo, quid ſibi volunt antecedentia verba *legere & intelligere*? Si ſit loqui, hoc eſt, uti Linguâ ad colloquendum, aut ſcribendum Chaldaïcè, ne ſic quidem Hebraïcam Linguam reſonabat *Hieronymus*, ut ad Quæſtiones IV. & V. ſatis oſtendimus. Deinde ab iis qui Hebraïcè ſciunt intra paucos dies poſſe Chaldaïcæ Grammaticæ ſatis addiſci, ut intelligantur Daniel & Eſdras, adhibitâ verſione, omnes qui rem experti ſunt norunt. At ſi ſine Grammaticâ, ut videtur, Chaldaïca intelligere conatus eſt; facilè id potuit quoque fieri, accerſito Syro, qui Græcè ſciret, eóque edocto quæ-

nam poteſtas eſſet litterarum Hebraïcarum. Facile enim fuit Syro pronunciare atque interpretari Chaldaïca verba, inter quæ & Syriaca exiguum, aut nullum diſcrimen erat. Videtur *Hieronymus* non ignoraſſe eumdem Chaldæorum & Syrorum fuiſſe Linguam, qui ita orditur Præfationem de omnibus Libris Veteris Teſtamenti, præfixam Samueli: *Viginti & duas litteras eſſe, apud Hebræos, Syrorum quoque & Chaldæorum Lingua teſtatur, quæ Hebrææ magna ex parte confinis eſt.* Quare ergo non quæſivit, apud Syros Chriſtianos, ejus Linguæ magiſtrum? Profectò non poſſum aliud conjiciendo adſequi, niſi mentem valde lævam fuiſſe & *Hieronymo* & aliis Chriſtianis, qui in Oriente vivebant; nec tamen utebantur maximo illo ſubſidio ad diſcendam Linguam Hebraïcam atque ad intelligendum Vetus Teſtamentum. Nempe, malebant homines parum induſtrii declamitare Græcè, aut Latinè, quidlibet colligentes è quovis Scripturæ loco; quàm eum laborem longè utiliſſimum ſuſcipere.

In eadem præfatione in Danielem, Stridonenſis Presbyter rectè oſtendit, ex perſona Judæi, apocrypha habenda

da Hiſtoriam Suſannæ, Hymnum trium puerorum, Beliſque & Draconis fabulam; ut jam ad Quæſt. VIII, 16. diximus. Addemus hîc duntaxat *Eraſmi* Scholion, notatu dignum: *Mirum; inquit, quod Hieronymus verù jugulat id nunc partim legitur & canitur in Templis, ceu res in primis ſancta. Tantò plus valet conſuetudo multitudinis imperitæ, quàm hominis eruditi judicium. Imò nullo delectu legimus de Bel Dracone, quam Hieronymus non veritus eſt appellare fabulam; nec additurus, ne veritus fuiſſet ne bonam voluminis partem detruncaſſe videretur. Sed apud quos tandem?* Apud imperitos, *inquit ipſe. Sic* UBI COMMODUM *eſt, quidvis apud nos valet Hieronymi auctoritas;* UBI NON EST COMMODUM, *ne tantulum quidem valet; & poſtea nos, ut parum credulos damnant, cùm nulli minùs rectè credant, quàm iſti qui quidvis credunt.* Hæc viri ſummi inſignia verba & cedro digna *malè concocta* videntur *Joan. Martianæo*, qui nos amandat ad neſcio quem *Leandrum de S. Martino*, qui *Eraſmum* confutarit. At apud quos? apud imperitos, aut apud eos quibus non licet profiteri ſe cum *Eraſmo* ſentire, ſi, re expensâ, veram

eſſe compererint ejus ſententiam.

XIII. DIXIMUS ab initio harum Quæſtionum, *Hieronymum* ſubinde *Ciceronem* imitari, ac proinde ab eo, qui aggrediatur Bethlehemiticum Aſcetam illuſtrare, oportere diligenter lectum fuiſſe *Ciceronem*. Ejus rei exemplum habemus, in præfatione in Paralipomena. *Noſtri*, inquit, *arbitrii putas, aut è pluribus judicare quod verum ſit, aut novum opus in veteri opere audere, illudentibúſque Judæis, cornicum, ut dicitur, oculos configere.* Obſervavit *Eraſmus* & in Scholiis ad hunc locum & in Chiliadibus, proverbium hoc exſtare duobus locis, apud *Ciceronem* & apud *Macrobium*, quorum verba protulit. Eum quidem conſuluit *Martianæus*, ac præterea *Budæum*; ſed quia *Ciceronis* ipſius loca non ſatis attentè conſideravit, aut apud ipſum auctorem non legit, nec à viris illis doctis veram originem proverbii edoctus eſt, non cornicem, ſed talpam hic ſe præſtitit. Quare nos paucis rem, hoc in loco, aperiemus. Obſervarunt naturæ animalium curioſi corvos, quorum genus ſunt cornices, in cadavere nullam partem ante oculos petere; quam in rem, loca plurima collegit *Samuel Bochar-*

tus

tus Hierozoïci Parte 2. Lib. II. c. 10. Si quis ergo cornicum oculos erueret, faceret cornicibus id quod ipſæ exiſtimantur facere aliis. Hinc natum proverbium, quod exſtat apud *Gregorium* Turonenſem: *corvus oculum corvi non eruit*; hoc eſt, ſimiles ſimilibus non nocent. Hinc quoque factum videtur ut *oculos cornicum configere* παροιμιωδῶς dixerint Latini, ἀντὶ τοῦ eos deludere, qui ipſi alios à ſe deludi ſolere profitentur; ſive circumvenire eos, qui omnes alios à ſe capi poſſe putant. Sic cùm Juriſconſulti veteres Romanorum darent operam ne vulgò plebs ſciret rationem actionum, dicrúmque quibus lege agere licebat, ut hoc ab iis quæreretur, pluriſque proinde fierent; Cn. Flavius ſcriba Ap. Claudii ſurreptum ei librum, in quo hæc habebantur, populo tradidit. Quamobrem *Cicero* eum, qui deceperat homines qui cavere aliis ſolebant, cautos, inquam, Juriſconſultos, dixit *cornicum oculos confixiſſe*; in Oratione pro L. Murena c. XI. *Poſſet agi lege necne*, inquit, *pauci quondam ſciebant; faſtos enim vulgò non habebant. Erant in magna potentia qui conſulebantur, à quibus etiam dies tamquam à Chaldæis pete-*

 bantur,

bantur. Inventus eſt Scriba quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit, & ſingulis diebus ediſcendos faſtos populo propoſuerit, & ab ipſis cautis Juriſconſultis, eorum ſapientiam compilarit. Sic & in Oratione pro L. Flacco Cap. xx. de viro qui Græcum, hominem callidum, fefellerat. *Hic hercle cornici oculum, ut dicitur; nam hunc Hermippum hominem eruditum, civem ſuum, cui debebat eſſe notiſſimus, percuſſit.* Res clarior etiam fiet, verbis *Macrobii* Saturnalium Lib. VII. c. 5. qui ſic Evangelum loquentem inducit, poſtquàm Diſarius probaſſet, Græcanicâ eloquentiâ, cibum ſimplicem præferendum eſſe multiplici: *Hortemur Euſtathium ut, receptâ contrariâ diſputatione, quidquid pro vario cibo dici poteſt, velit communicare nobiſcum, ut ſuis telis lingua violenta ſuccumbat; & Græcus Græco eripiat hunc plauſum, tamquam cornix cornici oculos effodiat.* Ex hiſce liquet *cornici oculos configere*, aut *effodere*, eſſe id alicui facere, quod aliis ipſe facere ſolet. Quod ſanè adversùs Judæos conatus eſt *Hieronymus*, cùm eos ſuâ ipſorum arte, hoc eſt, peritiâ Linguæ Hebraïcæ, quâ alios vincebant & ludibrio habebant, ſuperare cona-

tus eſt, eóſque ridere quaſi rudiores, qui Chriſtianis illudere antea ſolebant.

Repetit *Hieronymus*, in hac Præfatione, ut ſæpe alibi, quæ ſolet jactare de locis à LXX. Interpretibus omiſſis, aut corruptis, ſed in ipſius verſione inveniendis, de quibus diximus antea, ad Præfationem in Geneſin.

Huic Præfationi præfixus eſt hic titulus ab imperitis, ut opinor, Monachis: *Incipit præfatio Hieronymi Presbyteri in Paralipomenon*; quem titulum fideliter expreſſit *Martianæus*, quaſi eſſet à manu *Hieronymi*; cùm manifeſtum ſit eſſe ab hominibus prorſus ignaris Linguæ Græcæ, qui putarunt *Paralipomenon* eſſe ſingularis numeri, & quidem hîc accuſativi caſûs. Nemo autem neſcit hoſce libros, aut hunc librum, ſi unum eſſe malis, vocari βίϐλους aut βίϐλον τῶν παραλειπομένων, quaſi *prætermiſſorum*. Iniquior paullò Lector crederet ipſi *Martianæo* perſuaſum fuiſſe hunc librum dici τὸ παραλειπόμενον, quemadmodum Præfationes ſuas diviſit in *Prolegomenon* I, II. &c. Quidquid cenſeamus, tam Latina eſt hæc inſcriptio, quàm hæc eſſet: *præfatio in Regum*, aut *Regnorum* &c.

XIV. SICUT in aliis Præfationibus *Hieronymus* rejecit, è Canone Veteris Teſtamenti, libros omnes qui Hebraïcè ſcripti non ſunt: ſic & in Præfatione ad Librum Ezræ: *nec quemquam*, inquit, *moveat quòd unus à nobis editus liber eſt, nec apocryphorum tertii & quarti ſomniis delectetur, quia & apud Hebræos Ezræ, Neemiæque ſermones in unum volumen coarctantur; & quæ non habentur apud illos, nec de viginti quatuor ſenibus ſunt, procul abjicienda.* In quæ verba rectè *Eraſmus: Mirum cùm Hieronymus tertium & quartum Eſdræ librum, inter apocrypha numeret & quod in eis ſcriptum eſt* ſomnia *vocet; qui factum ſit ut ii nunc, citra diſcrimen ullum, legantur à nobis.* Nulla enim auctoritas efficere poteſt ut *ſomnia* fiant vera.

XV. IN Præfatione in Librum Eſtheræ, miræ audaciæ exemplum profert *Hieronymus*. *Librum*, inquit, *Eſther conſtat eſſe variis tranſlatoribus vitiatum, quem ego de archivis Hebræorum relevans verbum è verbo preſſius tranſtuli. Quem librum editio vulgata laciniosis hinc inde verborum finibus trahit, addens ea quæ ex tempore dici poterant & audiri; ſicut ſolitum eſt ſcholaribus diſciplinis ſumto themate ex-*

excogitare quibus verbis uti potuit qui injuriam paſſus eſt, vel ille qui injuriam fecit. Nemo non indignetur in intempeſtivum, imò ſacrilegum declamatorem, qui ingenio ſuo, in re tam ſeria, ita abuſus eſt; ſed nemo non miretur negligentiam Eccleſiarum, quæ talia legi publicè patiebantur, aut non erant curioſiores Hebraïcæ veritatis. Indidem colligere licet eorum imprudentiam, qui firmis rationibus conſenſum imperitæ multitudinis opponunt; cùm nemo ſtatuere poſſit ullius ponderis eſſe debuiſſe conſenſum Eccleſiarum tam indiligenter libros ſacros habentium, ut putidas declamatiunculas pro Scriptoris Sacri fœtu obtrudi ſibi paterentur.

Promiſerat *Martianæus* ſe ejuſmodi exemplar Eſtheræ vitiatæ in Appendice 2. Partis *Divinæ Bibliothecæ* editurum, ejúſque titulum jam ei Parti præfixerat; ſed ubi ad finem ejús Partis deventum eſt, negavit ſibi tempus eſſe colligendi varias lectiones. Quis credidiſſet hominem pingui Monaſticæ vitæ otio fruentem cœpiſſe edere hoc volumen, antequàm omnia eſſent parata, & diligenter collata? Sed non unum hoc eſt indicium, ex quo

intelligere liceat hominem imparatum ad hoc opus acceſſiſſe, quamvis multos annos in id inſumſiſſe videri velit.

XVI. HACTENUS quidem diximus de Præfationibus *Hieronymi*, quæ occurrunt in Prima Parte *Bibliothecæ Divinæ*, quâ continentur libri apud Judæos Canonici, quos ex Hebraïcis Codicibus vertit *Hieronymus*. Secunda verò Pars complectitur Libros Apocryphos, aut è Verſione LXX. Interpretum tranſlatos.

Primum oculis ſe objicit liber Tobiæ, quem in Præfatione ex Chaldaïco Codice ſe vertiſſe ait *Hieronymus*, & quidem ex ore Judæi, qui Hebraïcè Chaldaïca interpretabatur, & cujus ſenſa Stridonenſis Presbyter Latinè dictabat. Hac de re, jam diximus ad Quæſtionem VII. nec quidquam addemus, niſi ſummopere optandum fuiſſe, ut Chaldaïcum exemplar à Judæis ſervatum fuiſſet & ad nos uſque tranſmiſſum; ex eo enim intelligere liceret, an *Hieronymus* potuerit, *unius diei labore*, hoc opus rectè abſolvere. Suſpicatur non immeritò vir doctiſſimus *Pet. Dan. Huëtius*, in Propoſ. IV. Dem. Evangelicæ id archetypo ad amuſſim non reſpondiſſe;

Hie-

Hieronymi interpretatio, inquit, *etſi ex Chaldaico ipſo archetypo derivata eſt; nihilominùs tamen, quoniam à ſe elaboratam ait Hieronymus, adhibito interprete, qui quæ legebat Chaldaicè Hebraicis verbis reponebat, hinc alienum aliquid & adventitium huic adhæſiſſe par eſt ſuſpicari; & quæ à Tobia αὐτοπροσώπως dicta erant, velut ἑτεροπροσωπικῶς dicta ad Hieronymum fuiſſe relata.* Ideóque & Græcam verſionem accuratiorem eſſe Latina Hieronymiana judicat, qua in re ei nos quoque adſentimur. Quod magis liqueret, ſi quis utramque verſionem vellet accuratè conſerre. Exempli causâ, non dubito quin rectiùs dicat Tobias in Græcis Cap. I, 4. νεωτέρου μου ὄντος, *cùm eſſem juvenis, univerſa tribus Nephthali patris mei defecit*, quàm ut habet *Hieronymus*, in Latinis: *cúmque eſſem junior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile geſſi in opere.* Quis enim credat Nephthalitarum omnium natu minimum, dum majores omnes natu deficerent, ſolum conſtantem fuiſſe?

Sequitur alter liber Apocryphus Judith, in cujus Præfatione, ut & in Præfatione Tobiæ, palmaria eſt, quod libens agnoſco & prædico, emendatio

tio *Martianæi*, alios meritò ſequuti. Cùm enim in Editionibus *Hieronymi* & pleriſque MSS. Codicibus diceret Aſceta Bethlehemiticus, de libro Tobiæ: *quem Hebræi de Catalogo Divinarum Scripturarum ſecantes, his, quæ Hagiographa memorant, manciparunt*; déque libro Judithæ: *apud Hebræos, liber Judith inter Hagiographa legitur, cujus auctoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minùs idonea judicatur*; oſtendit ex Codice Carthuſiæ Villanovanæ, in Avenionenſi agro, legendum utrobique, pro *Hagiographis*, *Apocrypha*, quod & res ipſa clamabat. Corruptionem manifeſtariam Monachorum meritò è textu eliminavit, quamvis plures MSS. Codices, in ea adſerenda, conſentirent. Interpolata hæc, nimirum, fuerant à Monachis *Hieronymum* invitum ad ſententiam ſuam trahentibus.

XVII. Sequuntur libri Jobi & Pſalmorum è Græco verſi, cùm Obelis & Aſteriſcis, qui magis poſſunt prodeſſe ad intelligendos, emendandóſque LXX. Intr. quàm ad illuſtrationem Hebraici contextûs. Hinc etiam colligere licet, quî Obeli & Aſteriſci addi ſolerent, ad jugulanda re-

redundantia & ſupplenda deficientia; quamvis Librarii, ea in re, minimè accurati fuerint. Supplevit aliquando *Martianæus* quod illi omiſerant, ſed non ubique; ut vel ex verſ. 3. c. 1. Jobi intelligere eſt, ubi ſine obelo ſunt hæc verba: *& opera magna erant ei ſuper terram*, quæ tamen abundant.

Poſtea editæ ſunt duæ Præfationes in libros Paralipomenon & Salomonis, è Græco tranſlatos. In priore, quæ præfixa fuit τοῖς παραλειπομένοις, ait, ut alibi jam obſervavimus, *Septuaginta Interpretes, Spiritu Sancto plenos, ea quæ vera fuerant tranſtuliſſe*; quod planè contrarium eſt iis, quæ alibi docet de diſcrimine Interpretis & Prophetæ; nec repetemus quæ ea de re diximus. Sed non potuimus ſatis mirari ſtudium immodicum quærendi allegorias, quod ſe ſe in hiſce verbis prodit; ubi poſtquàm loquutus eſt de Nominibus propriis, quæ occurrunt in iis libris & quæ ſunt ſine dubio virorum, cùm in genealogiis recitentur, ita habet: *Sed & ipſæ appellationes non homines, ut plerique æſtimant, ſed urbes & regiones & ſaltus & provincias ſonant, & obliquè ſub interpretatione & figura eorum, quædam*

dam narrantur hiſtoriæ, de quibus in regnorum librò dicitur: nonne ecce hæc ſcripta ſunt in libro verborum dierum Regum Juda? Paullò pòſt, *attendendum*, inquit, *quod frequenter nomina non vocabula hominum, ſed rerum, ut dixi, ſignificantias ſonent.* Quantò veriſimilius eſt quod vulgò cenſent Interpretes, verbis allatis ſignificari Ephemeridas publicas Regum Judæ? Igitur meritò *Huëtius* Propoſ. IV. ubi agit de libris Paralipomenon. exiſtimat *ſi hoc recipiamus*, quod ſtatuit Hieronymus, *omnia repertum iri in omnibus, & magnam figmentis hominum feneſtram patefactum iri.*

XVIII. Tertia Pars *Bibliothecæ Divinæ* conſtat Libris Novi Teſtamenti, quibus additæ ſunt dumtaxat duæ præfatiunculæ. Prior præfixa eſt quatuor Evangeliis, docétque nos quâ ratione *Hieronymus*, Damaſi Epiſcopi Romani juſſu, corruptiſſimos Codices Latinos aggreſſus ſit emendare, atque exigere ad fidem Exemplarium Græcorum veterum. *Si enim*, inquit, *Latinis exemplaribus fides eſt adhibenda, reſpondeant quibus, tot enim ſunt Exemplaria penè quot Codices. Sin autem veritas eſt quærenda*

da de pluribus, cur non ad Græcam originem revertentes ea quæ vel à vitioſis interpretibus malè edita, vel à præſumtoribus imperitis emendata perverſiùs, vel à librariis dormitantibus aut addita ſunt, aut mutata, corrigimus? Sub finem verò Præfationis: *Magnus hîc in noſtris Codicibus error inolevit, dum quod in eadem re alius Evangeliſta plus dixit, in alio, quia minùs putaverint, addiderunt; vel dum eumdem ſenſum alius aliter expreſſit, ille qui unum è quatuor primùm legerat, ad ejus exemplum ceteros quoque æſtimaverit emendandos. Unde accidit ut apud nos miſta ſint omnia, & in Marco plura Lucæ atque Matthæi, rurſum in Matthæo plura Joannis & Marci & in ceteris reliquorum quæ in aliis propria ſunt inveniantur.* Quæ cùm lego, non poſſum ſatis mirari Concionatores illos aſſiduos, Interpretéſque Scripturæ Sacræ, non paucos, & qui de controverſis capitibus tam multa quotidie ſcriptitabant, in Italia, in Galliis, in Hiſpaniis, in Africa, potuiſſe tamdiu acquieſcere in uſque adeò depravatorum Exemplarium uſu; unde neceſſe erat innumeras falſas interpretationes, atque incredibilem copiam ineptorum

torum conſectariorum naſci. Summa quidem Religionis Chriſtianæ in corruptis exemplaribus, intemerata remanſerat; quæ ſatis eſſe poterat ad conſequendam ſalutem, ſi fideliter excepta exſequutioni mandaretur. Verùm ſatis hoc non erat iis, quorum munus fuit pro Concione Scripturam interpretari; ſcribere in eam Commentarios accùratiores, ac diſceptare contra Hæreticos; ut enim hæc rectè fiant, oportet priùs accuratum & emendatum habere Scripturæ contextum, ac præſertim quidem Novi Teſtamenti. Quod tametſi tunc deerat pleriſque Occidentalibus, tamen mirum eſt quàm Scriptores illius ævi ſe ſe in re, quæ quomodo eſſet rectè facienda ignorabant, jactarint, quóſve plauſus ab imperitis hominibus illarum ætatum & ſequentium æquè ignararum, aut etiam ignariorum, retulerint, quibus etiamnum hodie magna pars Europæ perſonat. At ſanè plauſus illi imperitorum, quibus Europæ theatrum à tot ſæculis refertum eſt, eorúmque qui Echûs inſtar eos repetunt, atque ad faſtidium aurium eruditarum iterant, non obſtabunt quominùs clarâ voce dicamus, non *Damaſum* ſolum ab *Hieronymo* ſibi privatim

vatim petere debuiſſe ut recenſeret Codices Latinos; ſed univerſum Occidentem, quâ Linguæ Latinæ uſus patebat, oportuiſſe publicè viris Græcæ & Latinæ Linguæ peritiſſimis hoc negotium dare, ut ex toto Oriente quovis pretio ſibi compararent, aut certè mutuos acciperent plures antiquiſſimos Codices Græcos, atque ex iis diligenter collatis Latinam Tranſlationem Novi Teſtamenti ſummâ fide adornarent, quæ in Eccleſias legenda publicè poſtea poneretur, & cujus confectæ tota ratio ad poſteritatem publicis monumentis tranſmitteretur. Si tam utilis conſilii in mentem veniſſet Præſulibus, ejúſque exſequutio ab iis diligenter curata fuiſſet; ab omnibus ſummæ gratiæ illis actæ eſſent, & etiamnum à nobis deberentur. Sed multò facilius fuit, ſine lege & modo, apud rudes populos, declamitare, & ſcriptitare quidquid veniebat in mentem ſumma cum laude, licèt immerita; quàm cohibere judicium & linguam, donec labore improbo quæſiti atque inventi eſſent veri Scripturârum ſenſus. Jam multis ab ætatibus ei garrulitati, ſi verum dicere licet, erant homines adſueti; jam graviſſimi, ut habeban-

tur, Scriptores æternam famam adepti ſibi erant, libris ſcatentibus paralogiſmis, & falſis conſectariis deductis ex Scriptura malè intellecta; futilibus argutiis integræ conciones ubique dudum plaudebant. Quòd ſi quis ſubitò & privato præſertim conſilio, ad emendata ac rectè converſa exemplaria Scripturæ Chriſtianos revocare conatus eſſet, veróſque ſenſus grammaticâ accuratione erutos vulgus docere, Concionatorum omnium, ac Scriptorum iram in ſe concitaſſet; quorum Homiliæ, commentatiunculæque innumeræ, & univerſa farrago intempeſtivæ eloquentiæ Scripturam temerè ac in alienos ſenſus ſubinde torquentis ludibrio expoſitæ fuiſſent; & quorum ingenia acumina ſecurè captantia ex iis quæ non intelligebant, pro plauſibus adſuetis, acerrima paſtoritiæ fiſtulæ ſibila, non ſine ſummo dolore, audiſſent. Hinc factum videtur ut Latinæ Eccleſiæ tamdiu prava verſione pertinaciter uſæ ſint, neque, quod facillimum factu erat, publicè eam emendari curarint. Senſim tandem ac ſine ſenſu, Hieronymiana emendatio recepta eſt, nullo, ut par fuiſſet, inſtituto novo examine, cùm multa emendanda etiamnum

num ſupereſſent, ut Sæculis XVI. & XVII. oſtenderunt viri doctiſſimi. *Hieronymus* ipſe ingentem ſibi invidiam conflavit, dum Vetus ac Novum Teſtamentum vertere aggreditur; quam ſingulis fermè Præfationibus cogitur deprecari: ut in hac ipſa, in qua hæc habet de penſo quod ei impoſuerat Damaſus: *Pius labor, ſed periculoſa præſumtio, judicare de cæteris ipſum ab omnibus judicandum, ſenis mutare linguam & caneſcentem jam mundum ad initia retrahere parvulorum. Quis enim pariter doctus, vel indoctus, cùm in manus volumen adſumſerit & à ſaliva, quam ſemel imbibit, viderit diſcrepare quod lectitat, non ſtatim erumpat in vocem me falſarium, me clamans eſſe ſacrilegum, qui audeam aliquid in veteribus libris addere, mutare, corrigere.* Hæc oſtendunt ætate illâ, quam vir ingenioſus *Ant. Arnaldus* * exiſtimabat olim fuiſſe Eccleſiæ Primitivæ florentiſſimam & eruditiſſimam, homines multò æquiores, ac doctiores, quàm ſequentibus, non fuiſſe.

Alter Prologus, qui exſtat in Novo Teſtamento Hieronymiano, præfixus eſt ſeptem Epiſtolis Canonicis, ab ho-

* In Præf. Libri *de Frequente Communione.*

homine qui locum illum celebrem, ſed ſuppoſiticium, de tribus teſtibus cœleſtibus 1. Ep. Joan. V. quem *Hieronymus* minimè legerat, voluit perſuadere ab eo fuiſſe lectum. Jam eum Prologum *Ric. Simonius* obelo Critico, poſt *Def. Eraſmum*, confixerat; ſed ab eo nonnullis in rebus, ad citationem MSS. Codicum pertinentibus, erratum vult Monachus Benedictinus; nec ſanè intercedo, cùm nequeam rem expendere. Litem hanc *Simonio* defendendam totam permitto. Oportet tamen à me, quod invitus, ita me Deus amet, non facio, laudem meritam conferri in *Martianæum*, qui bonâ fide, rationibúſque minimè ſpernendis oſtendit ſuppoſiticium eſſe hunc Prologum; quod olim, non ſine ingenti invidia, ſuſpicatus erat *Eraſmus*. Dignus eſt ejus, hac in parte, candor, qui inſtar exempli proponatur omnibus qui poſthac agent hac de re. Fatetur etiam locum 1 Joannis V. deſiderari in vetuſtiſſimis MSS. Codd. quamvis in nonnullis marginibus ſit adſcriptus. Sed vult omiſſum fuiſſe à Librariis, quam conjecturam confutavimus *Artis Criticæ* P. 3. Sect. I. c. 14. Profert locum unius *Cypriani* laudatum à *Vi-*

ctore Vitenſi & *Fulgentio*, ex quo nihil colligi poſſe rectè oſtendit *Simonius*, cujus rationes non confutantur. Verùm cùm fateatur *Martianæus* locum hunc abeſſe ex antiquiſſimis Codd. Latinis, adeóque ex recenſione Hieronymiana, cum omittere debuit in hac Editione, ubi non Vulgatam, prout Romæ eſt emendata, ſed *Hieronymi* verſionem minimè interpolatam nobis exhibere aggreſſus eſt. Hoc tamen ei ignoſcemus, vel propter Prologi νοθείαν candidè patefactam. Tanti enim facimus candorem, ut ejus causâ multa ferre poſſimus; nec vivunt ſemper viri litterati, iis in locis, in quibus ſine præſentiſſimo periculo candori per omnia litare poſſint.

XIX. Ex hoc brevi Præfationum Hieronymianarum examine, ſatis, niſi fallor, liquet & quidnam de iis ſit ſentiendum, & quænam ad nos ex earum lectione redundet utilitas. Eâdem operâ, intelligere licuit quanti faciendæ ſint notæ à *Martianæo* iis ſubjectæ, atque hæc earum Editio. Nec *Hieronymus*, nec ejus Editor erroris ſunt immunes, ideóque non ſine examine admittenda ſunt eorum ſcita; nec debuiſſent tam acerbè alios

homine qui locum illum celebrem, ſed ſuppoſiticium, de tribus teſtibus cœleſtibus 1. Ep. Joan. V. quem *Hieronymus* minimè legerat, voluit perſuadere ab eo fuiſſe lectum. Jam eum Prologum *Ric. Simonius* obelo Critico, poſt *Deſ. Eraſmum*, confixerat; ſed ab eo nonnullis in rebus, ad citationem MSS. Codicum pertinentibus, erratum vult Monachus Benedictinus; nec ſanè intercedo, cùm nequeam rem expendere. Litem hanc *Simonio* defendendam totam permitto. Oportet tamen à me, quod invitus, ita me Deus amet, non facio, laudem meritam conferri in *Martianæum*, qui bonâ fide, rationibúſque minimè ſpernendis oſtendit ſuppoſiticium eſſe hunc Prologum; quod olim, non ſine ingenti invidia, ſuſpicatus erat *Eraſmus*. Dignus eſt ejus, hac in parte, candor, qui inſtar exempli proponatur omnibus qui poſthac agent hac de re. Fatetur etiam locum 1 Joannis V. deſiderari in vetuſtiſſimis MSS. Codd. quamvis in nonnullis marginibus ſit adſcriptus. Sed vult omiſſum fuiſſe à Librariis, quam conjecturam confutavimus *Artis Criticæ* P. 3. Sect. I. c. 14. Profert locum unius *Cypriani* laudatum à *Victore*

Ctore Vitenſi & *Fulgentio*, ex quo nihil colligi poſſe rectè oſtendit *Simonius*, cujus rationes non confutantur. Verùm cùm fateatur *Martianæus* locum hunc abeſſe ex antiquiſſimis Codd. Latinis, adeóque ex recenſione Hieronymiana, cum omittere debuit in hac Editione, ubi non Vulgatam, prout Romæ eſt emendata, ſed *Hieronymi* verſionem minimè interpolatam nobis exhibere aggreſſus eſt. Hoc tamen ei ignoſcemus, vel propter Prologi νοθείαν candidè patefactam. Tanti enim facimus candorem, ut ejus causâ multa ferre poſſimus; nec vivunt ſemper viri litterati, iis in locis, in quibus ſine præſentiſſimo periculo candori per omnia litare poſſint.

XIX. Ex hoc brevi Præfationum Hieronymianarum examine, ſatis, niſi fallor, liquet & quidnam de iis ſit ſentiendum, & quænam ad nos ex earum lectione redundet utilitas. Eâdem operâ, intelligere licuit quanti faciendæ ſint notæ à *Martianæo* iis ſubjectæ, atque hæc earum Editio. Nec *Hieronymus*, nec ejus Editor erroris ſunt immunes, ideóque non ſine examine admittenda ſunt eorum ſcita; nec debuiſſent tam acerbè alios

errantes aut quos errare putabant caſtigare. Omnes enim qui in alterum delinquentem, aut delinquere viſum acriter invehuntur, providere debent quid ſuſcipiant negotii; nam qui ſibi hoc ſumſit, ut, nullâ laceſſitus injuriâ, corrigat errores aliorum ac peccata reprehendat; quis huic ignoſcat, ſi qua in re ipſe, præimperitia, aut negligentia, à Veritate declinarit? Ego profectò maluiſſem aliis veniam dare, ut eam viciſſim acciperem; niſi inuſitatâ acerbitate fuiſſem à *Martianæo* provocatus. Bellum hoc defendo, non infero; quod geri tamen non poteſt, ſine crebra in hoſticum incurſione; at cujus incommoda ei, qui bellum intulit, ſunt omnia tribuenda.

QUÆSTIO X.

Quanti ſint facienda SCHOLIA *antiqua edita à* Martianæo, *ipſiúſque adnotata.*

I. PRIMUS edidit *Martianæus* Scholia quædam, quæ invenit in marginibus nonnullorum Codicum In-

Interpretationis Hieronymianæ. Ea primùm credidit eſſe ipſius *Hierònymi*, at eum errorem bonâ fide poſtea agnovit; qui proinde non eſt ampliùs, homini exprobrandus. Conjecit ergò auctorem Scholiorum eſſe Judæum, Chriſtianam Religionem amplexum, & qui floruit temporibus *Alcuini*, ac *Rabani Mauri*, qui ejus videtur meminiſſe. Eidem tribuit Quæſtiones Hebraïcas, in libros Regum & Paralipomenon. Certè alter alterum, ſi idem non ſit, compilavit; nec de hiſce acriùs cum quoquam certare velim. Verùm poſt diligenter expenſum hunc Scholiaſten, abii in ſententiam planè contrariam ſententiæ *Martianæi*, de ejus utilitate ac præſtantia; quas Monachus Benedictinus, pro ſolemni Editorum vitio de quo alibi dixi, præter modum omnem extollere videtur. Maximæ enim ille eum utilitatis eſſe putat, ègo verò perexiguæ. Uter autem rectiùs ſentiat, ex rei ipſius examine liquebit.

II. INTER *præcipuas utilitates*, inquit, *marginalium Scholiorum Canonis Hebraicæ Veritatis primam recenſeo, quòd arma nobis ſubminiſtrant ad revincendos hujus temporis Heterodoxos, qui ſæpiùs Eccleſiæ Dei inſulta-*

 runt

runt de ignoratione Linguæ Hebraïcæ, dicentes neminem Romanorum repertum fuiſſe, poſt ætatem Hieronymi, Hebraicè ſcientem; ideóque quaſi clauſis oculis Catholicos omnes adhæſiſſe Vulgatæ verſioni, nec pares fuiſſe ad ejus errores (ut ipſi vocant) coarguendos & emendandos. Diſcant igitur obtrectatores illi Eccleſiæ Romanæ numquam defuiſſe viros Hebraicè doctos, qui Vulgatæ Latinæ Codices manibus quotidie terentes eam publicè redargüere atque caſtigare potuiſſent, ſi quid ſanæ doctrinæ, aut ſanctis moribus contrarium ibi reperiretur. Nemo umquam negavit aliquando fuiſſe aliquem Judæum, qui, Hebraïcè cùm ſciret, Religionem Chriſtianam eſſet amplexus: verùm an inde ſequitur *numquam defuiſſe viros Hebraicè doctos*? Quis tulerit ejuſmodi ratiocinationem: Judæus quidam fuit, tempore Caroli Magni, qui Religionem Chriſtianam amplexus contulit Vulgatam cum Hebraïco textu; Ergo ſemper fuerunt apud Chriſtianos viri Hebraïcè docti? Quòd ſi ita ratiocinari ſe voluiſſe neget *Martianæus*, proferat nomina virorum illorum Hebraïcè doctorum, qui ſemper fuerunt in Eccleſia Romana, à temporibus Hieronymi ad ſæculum XIV.

XIV. Oſtendat nobis eorum labores, ex quibus liqueat hominum Hebraïca eruditio; proferátque loca Scripturæ ab iis illuſtrata. Verùm omnes norunt litteras Hebraïcas, longâ oblivione ſepultas, ſub finem demum ſæculi XIV. unà cum reliquis bonis Litteris, è ſepulcro, in quo per plura ſæcula jacuerant, veluti excitatas fuiſſe. Ceteroqui fatemur nec in Vulgata Latina, nec in mera verſione Hieronymiana, quidquam fuiſſe bonis moribus & ſanæ doctrinæ ità contrarium, ut cum iis in concordiam redigi non poſſet. Sed contendimus Sacrarum Litterarum Studioſis eas verſiones, præſertim in locis obſcurioribus, nequaquam ſatisfacere; quod profectò ſine pertinacia negari non poteſt, cùm doctiſſimi quique Romanenſes Scripturæ Interpretes, aliter paſſim eam convertendam, in Commentariis, non inficientur.

III. SED audiamus ſequentia: *Quantâ putas*, inquit, *diligentiâ Tranſlationem Hieronymi à Scholiaſte Canonis expenſam? Non fuit in ea verbulum, non ſyllaba, non apex, qui fugerit illius eruditi Scriptoris cenſuram, ſed ſalvo ſemper honore Vulgatæ, ſive Hierony-*

mianæ verſionis, quam notis tantùm criticis illuſtrare decreverat &c. Si de Scholiaſte, quem edidit, loquatur *Martianæus*, oportet ut longè maxima ejus pars perierit, aut ſuppreſſa fuerit; nam perpauca loca Verſionis Latinæ collata cum Hebraïco codice videmus. In Geneſi, exempli causâ, octo tantùm locis *Hieronymus* ab Hebraïco contextu diſcrepare ſignificatur, & quidem iis locis, in quibus ut plurimum nulla eſt difficultas. Nihil eſt quod non à tirone fieri potuerit, nec in eo quod aggreſſus videtur Scholiaſtes ulla eſt accuratio. Prima obſervatio occurrit Gen. c. XXIV, 50. ubi cùm haberet *Hieronymus: reſponderunt Laban & Bethuel* &c. notat Scholiaſtes eſſe in Hebræo Codice: *reſpondit*; quaſi verò non liqueat Interpretem plurali numero eſſe uſum, Latinitatis causâ! At, inquies, non ignorabat hoc Scholiaſtes, ſed cùm omnes diſcrepantias vel minimas notaret, hanc prætermittere noluit. Hoc verò falſum eſt, nam multò plures & majores omiſit, ut conferentibus Vulgatam cum Hebræo Codice illico liquebit. Myriadem exemplorum cùm proferre liceat, nihil attinet rei claræ immorari.

Ad

Ad Cap. XXIX. notat *Leam* in Hebraïco legi, non *Liam*, ut habet *Hieronymus*; & ad Cap. XLV. pro *Geſen*, legi *Goſen*. At quare differentias aliorum Nominum propriorum non notavit? Erántne ſola hæc duo Nomina, in Geneſi, aliter ab *Hieronymo*, aliter à recentioribus Judæis pronunciata? Nemo dixerit. Itaque dum ἀκρίβειαν præ ſe fert hic Scholiaſtes, ne minimam quidem re ipsâ oſtendit.

Ad Cap. XXX. pro *Jacob* poſitum *generum* notat, nec falsò; ſed multò frequentiores eſſe debuerunt ejuſmodi notulæ; ſi talia perſequi conſtituerat Scholiaſtes.

Ad Cap. XXXIV. obſervat additam vocem *ceteri*, ſed permultæ aliæ paſſim id genus voculæ adduntur, perſpicuitatis causâ, quas prætermiſit.

Cap. XLIII, 23. habet *Hieronymus: mirabantur nimis.* Rectè obſervat Scholiaſtes, eſſe in Hebræo *mirabantur viri ad invicem.* Sed quare reliquum locum non vertit ad verbum? Cum enim habeat Latina verſio: *Sumtis partibus, quas ab eo acceperant, majórque pars venit Benjamin, ita ut quinque partibus excederet.* Sic ad verbum ſonant Hebraïca: *& ſumſit fer-*

fercula è conſpectu ſuo ad eos, (nempe, ferenda) & *auxit ferculum Benjamin plusquàm ferculum omnium illorum, quinque vicibus.* Multò minores diſcrepantias alibi notat.

Cap. XLV, 20. ubi legimus ad verbum in Hebraïcis Codicibus: *Oculus veſter ne parcat ſuper vaſa veſtra, nam bonum totius terræ Ægypti veſtrum eſt*; hoc eſt, ne pigeat vos relinquere ſupellectilia veſtra; verterat *Hieronymus*: *nec dimittatis quidquam de ſupellectili veſtra*, quod eſt planè contrarium ſenſui ejus loci. Scholiaſtes verò noſter quid ad hæc? Nempe, in Hebræo, pro *dimittatis* haberi *amittatis*, quod eſt planè falſum.

Cap. ſequentis verſ. 6. ubi *Hieronymus* habet, & *omnia quæ poſſederunt*, rectè addidit Scholiaſtes & *duxerunt ſecum greges ſuos*, nam eſt in Hebræo contextu: ויקחו את מקניהם, & *ſumſerunt pecudes ſuas.* Sed quare planè tacet ad Cap. XLIX, quod obſcurum ac difficile eſt, & in quo Interpres Latinus multò magis ab Hebraïcis verbis ſubinde receſſit, propter ſenſûs difficultatem, ex quâ ſe non ſatis expediebat? Atqui ejuſmodi in locis neceſſaria erant Scholia, non ad notandas nullius momenti diſcrepantias.

In

In aliis quidem nonnullis libris Hiſtoricis, & in Pſalmis, paullò copioſior eſt, ſed non accuratior. Poſſet quidem fieri ut nonnulla periiſſent Scholia; ſed de iis, quæ fortè perierunt, nullum poſſumus ferre judicium, niſi ex iis quæ ſuperſunt, & quæ profectò tanti fieri à nobis nequeunt; nec quia quædam perierunt, quiſquam dicere poſſit nullum à Scholiaſte prætermiſſum fuiſſe apicem, in verſione Latina, quem non compararit cum Hebræis, niſi velit vatem agere. Affirmat tamen, ut vidimus, *Martianæus*; ſed, niſi me fallit conjectura, alia de cauſa tam magnificè de indocto Scholiaſte, notuliſque nullius pretii non loquitur; niſi quia, cùm eum *Hieronymum* ipſum eſſe cenſuiſſet, non vult videri perabſurdè hominem ineptum, nec ullius judicii, cum tanto viro miſcuiſſe. At neminem fallet niſi eos, qui Hebraïcæ Linguæ planè imperiti erunt, nec poterunt conſulere eruditorum Pontificiorum Commentarios; qui Vulgatam contulerunt cum Hebraïco textu, & multò plures ac majores diſcrepantias paſſim obſervant. Hebraïcè ſcientibus res eſt uſque adeò manifeſta, ut puderet me diutiùs ei im-

immorari. Qui otio abundabunt plura futilis Judæi loca conferant, & intelligent tanti eſſe faciendas laudes ex affectu profectas, quanti facienda probra, per iram, ingeſta.

IV. At pergamus eas excutere, prout merentur: *Non mediocrem*, inquit Martianæus, *exiſtimo in Scholiis Canonis fructum etiam alterum, quo occludere poſſimus Linguam iis, qui auſi ſunt plurimis abuti Scripturæ teſtimoniis, eáque in ſuos ſenſus trahere ad propriam ipſorum & aliorum perniciem. Tantum ſæpiùs ſibi arrogant quidam hujus ævi Scriptores, ut receptiſſimam ac celebratiſſimam Eccleſiæ traditionem ex Sacræ Scripturæ frivola interpretatione ſubvertendam ſperent; & ſuis potiùs commentis credituros Lectores, quàm Chriſti atteſtantis oraculo.* Lecto hoc tragico exordio, quis non dicat hîc rem agi tanti momenti, ut ſine ea Chriſto credere ac parere nequeamus, adeóque ex ea ſalus æterna pendeat? Quis non credat Chriſtum ipſum apertè, aut certè clam oppugnari ab hominibus, qui ei minime fidem habent? Quis non incipiat bene velle eximio illi Scholiaſtæ, qui ejuſmodi hominibus os occludit? nam *linguam* quidem *occludere* quid ſit neſcio,

ſcio, niſi fortè Benedictinus noſter, cùm loquitur, ſoleat linguam ore emittere, quam retrahat claudâtque intra labia, cùm tacet. Sed miſſo joco, qui Tragœdiæ non convenit, audiamus reliqua: *Sic videas*, inquit, *opera peſtifera & Latino & Gallico ſermone conſcripta, ubi præfractè negant Moſem auctorem fuiſſe librorum Pentateuchi; quod ut probent, contra Chriſti & Apoſtolorum ejus auctoritatem, aliquot loca offerunt præſertim ex Deuteronomio.* Quid de ea re ſentiremus diximus, in Diſſertatione Pentateucho præfixa; in qua oſtendimus non poſſe quidem ſine pertinacia negari, quin ſint loca nonnulla in Pentateucho Moſe recentiora; ſed propterea non ſequi Moſem non eſſe auctorem Pentateuchi. Nec ſanè quiſquam aliud probare umquam potuit, niſi quædam eſſe à recentiore manu: ut nemo etiam colligere poſſit ex eo quod Chriſtus & Apoſtoli Moſem citent, nullam eſſe in Pentateucho vel minimam voculam, quæ non ſit ab ejus manu. Itaque diſtinguendi ſunt in duos ordines ii, qui hac de re egerunt. Sunt enim qui velint, ex locis illis quæ Moſis eſſe nequeunt, colligere nihil eſſe Moſis in Pentateucho.

At

errantes aut quos errare putabant caſtigare. Omnes enim qui in alterum delinquentem, aut delinquere viſum acriter invehuntur, providere debent quid ſuſcipiant negotii; nam qui ſibi hoc ſumſit, ut, nullâ laceſſitus injuriâ, corrigat errores aliorum ac peccata reprehendat; quis huic ignoſcat, ſi qua in re ipſe, præimperitia, aut negligentia, à Veritate declinarit? Ego profectò maluiſſem aliis veniam dare, ut eam viciſſim acciperem; niſi inuſitatâ acerbitate fuiſſem à *Martianæo* provocatus. Bellum hoc defendo, non infero; quod geri tamen non poteſt, ſine crebra in hoſticum incurſione; at cujus incommoda ei, qui bellum intulit, ſunt omnia tribuenda.

QUÆSTIO X.

Quanti ſint facienda SCHOLIA *antiqua edita à* Martianæo, *ipſiuſque adnotata.*

I. PRIMUS edidit *Martianæus* Scholia quædam, quæ invenit in marginibus nonnullorum Codicum In-

Interpretationis Hieronymianæ. Ea primùm credidit eſſe ipſius *Hieronymi*, at eum errorem bonâ fide poſtea agnovit; qui proinde non eſt ampliùs, homini exprobrandus. Conjecit ergò auctorem Scholiorum eſſe Judæum, Chriſtianam Religionem amplexum, & qui floruit temporibus *Alcuini*, ac *Rabani Mauri*, qui ejus videtur meminiſſe. Eidem tribuit Quæſtiones Hebraïcas, in libros Regum & Paralipomenon. Certè alter alterum, ſi idem non ſit, compilavit; nec de hiſce acriùs cum quoquam certare velim. Verùm poſt diligenter expenſum hunc Scholiaſten, abii in ſententiam planè contrariam ſententiæ *Martianæi*, de ejus utilitate ac præſtantia; quas Monachus Benedictinus, pro ſolemni Editorum vitio de quo alibi dixi, præter modum omnem extollere videtur. Maximæ enim ille eum utilitatis eſſe putat, ègo verò perexiguæ. Uter autem rectiùs ſentiat, ex rei ipſius examine liquebit.

II. INTER *præcipuas utilitates*, inquit, *marginalium Scholiorum Canonis Hebraicæ Veritatis primam recenſeo, quòd arma nobis ſubminiſtrant ad revincendos hujus temporis Heterodoxos, qui ſæpiùs Eccleſiæ Dei inſulta-*

runt de ignoratione Linguæ Hebraïcæ, dicentes neminem Romanorum repertum fuiſſe, poſt ætatem Hieronymi, Hebraicè ſcientem; ideóque quaſi clauſis oculis Catholicos omnes adhæſiſſe Vulgatæ verſioni, nec pares fuiſſe ad ejus errores (ut ipſi vocant) coarguendos & emendandos. Diſcant igitur obtrectatores illi Eccleſiæ Romanæ numquam defuiſſe viros Hebraicè doctos, qui Vulgatæ Latinæ Codices manibus quotidie terentes eam publicè redarguere atque caſtigare potuiſſent, ſi quid ſanæ doctrinæ, aut ſanctis moribus contrarium ibi reperiretur. Nemo umquam negavit aliquando fuiſſe aliquem Judæum, qui, Hebraïcè cùm ſciret, Religionem Chriſtianam eſſet amplexus: verùm an inde ſequitur *numquam defuiſſe viros Hebraicè doctos?* Quis tulerit ejuſmodi ratiocinationem: Judæus quidam fuit, tempore Caroli Magni, qui Religionem Chriſtianam amplexus contulit Vulgatam cum Hebraïco textu; Ergo ſemper fuerunt apud Chriſtianos viri Hebraïcè docti? Quòd ſi ita ratiocinari ſe voluiſſe neget *Martianæus*, proferat nomina virorum illorum Hebraïcè doctorum, qui ſemper fuerunt in Eccleſia Romana, à temporibus Hieronymi ad ſæculum

XIV.

XIV. Oſtendat nobis eorum labores, ex quibus liqueat hominum Hebraïca eruditio; proferátque loca Scripturæ ab iis illuſtrata. Verùm omnes norunt litteras Hebraïcas, longâ oblivione ſepultas, ſub finem demum ſæculi XIV. unà cum reliquis bonis Litteris, è ſepulcro, in quo per plura ſæcula jacuerant, veluti excitatas fuiſſe. Ceteroqui fatemur nec in Vulgata Latina, nec in mera verſione Hieronymiana, quidquam fuiſſe bonis moribus & ſanæ doctrinæ ità contrarium, ut cum iis in concordiam redigi non poſſet. Sed contendimus Sacrarum Litterarum Studioſis eas verſiones, præſertim in locis obſcurioribus, nequaquam ſatisfacere; quod profectò ſine pertinacia negari non poteſt, cùm doctiſſimi quique Romanenſes Scripturæ Interpretes, aliter paſſim eam convertendam, in Commentariis, non inficientur.

III. SED audiamus ſequentia: *Quantâ putas*, inquit, *diligentiâ Tranſlationem Hieronymi à Scholiaſte Canonis expenſam? Non fuit in ea verbulum, non ſyllaba, non apex, qui ſugerit illius eruditi Scriptoris cenſuram, ſed ſalvo ſemper honore Vulgatæ, ſive Hierony-*

mianæ verſionis, *quam notis tantùm criticis illuſtrare decreverat* &c. Si de Scholiaſte, quem edidit, loquatur *Martianæus*, oportet ut longè maxima ejus pars perierit, aut ſuppreſſa fuerit; nam perpauca loca Verſionis Latinæ collata cum Hebraïco codice videmus. In Geneſi, exempli causâ, octo tantùm locis *Hieronymus* ab Hebraïco contextu diſcrepare ſignificatur, & quidem iis locis, in quibus ut plurimum nulla eſt difficultas. Nihil eſt quod non à tirone fieri potuerit, nec in eo quod aggreſſus videtur Scholiaſtes ulla eſt accuratio. Prima obſervatio occurrit Gen. c. XXIV, 50. ubi cùm haberet *Hieronymus: reſponderunt Laban & Bethuel* &c. notat Scholiaſtes eſſe in Hebræo Codice: *reſpondit*; quaſi verò non liqueat Interpretem plurali numero eſſe uſum, Latinitatis causâ! At, inquies, non ignorabat hoc Scholiaſtes, ſed cùm omnes diſcrepantias vel minimas notaret, hanc prætermittere noluit. Hoc verò falſum eſt, nam multò plures & majores omiſit, ut conferentibus Vulgatam cum Hebræo Codice illico liquebit. Myriadem exemplorum cùm proferre liceat, nihil attinet rei claræ immorari.

Ad

Ad Cap. XXIX. notat *Leam* in Hebraïco legi, non *Liam*, ut habet *Hieronymus*; & ad Cap. XLV. pro *Geſen*, legi *Goſen*. At quare differentias aliorum Nominum propriorum non notavit? Eràntne ſola hæc duo Nomina, in Geneſi, aliter ab *Hieronymo*, aliter à recentioribus Judæis pronunciata? Nemo dixerit. Itaque dum ἀκρίβειαν præ ſe fert hic Scholiaſtes, ne minimam quidem re ipsâ oſtendit.

Ad Cap. XXX. pro *Jacob* poſitum *generum* notat, nec falsò; ſed multò frequentiores eſſe debuerunt ejuſmodi notulæ; ſi talia perſequi conſtituerat Scholiaſtes.

Ad Cap. XXXIV. obſervat additam vocem *ceteri*, ſed permultæ aliæ paſſim id genus voculæ adduntur, perſpicuitatis causâ, quas prætermiſit.

Cap. XLIII, 23. habet *Hieronymus: mirabantur nimis.* Rectè obſervat Scholiaſtes, eſſe in Hebræo *mirabantur viri ad invicem.* Sed quare reliquum locum non vertit ad verbum? Cùm enim habeat Latina verſio: *Sumtis partibus, quas ab eo acceperant, majórque pars venit Benjamin, ita ut quinque partibus excederet.* Sic ad verbum ſonant Hebraïca: *& ſumſit ſer-*

fercula è conſpectu ſuo ad eos, (nempe, ferenda) *& auxit ferculum Benjamin plusquàm ferculum omnium illorum, quinque vicibus.* Multò minores diſcrepantias alibi notat.

Cap. XLV, 20. ubi legimus ad verbum in Hebraïcis Codicibus: *Oculus veſter ne parcat ſuper vaſa veſtra, nam bonum totius terræ Ægypti veſtrum eſt*; hoc eſt, ne pigeat vos relinquere ſupellectilia veſtra; verterat *Hieronymus: nec dimittatis quidquam de ſupellectili veſtra*, quod eſt planè contrarium ſenſui ejus loci. Scholiaſtes verò noſter quid ad hæc? Nempe, in Hebræo, pro *dimittatis* haberi *amittatis*, quod eſt planè falſum.

Cap. ſequentis verſ. 6. ubi *Hieronymus* habet, *& omnia quæ poſſederunt*, rectè addidit Scholiaſtes *& duxerunt ſecum greges ſuos*, nam eſt in Hebræo contextu: ויקחו את מקניהם, *& ſumſerunt pecudes ſuas.* Sed quare planè tacet ad Cap. XLIX, quod obſcurum ac difficile eſt, & in quo Interpres Latinus multò magis ab Hebraïcis verbis ſubinde receſſit, propter ſenſûs difficultatem, ex qua ſe non ſatis expediebat? Atqui ejuſmodi in locis neceſſaria erant Scholia, non ad notandas nullius momenti diſcrepantias.

In

In aliis quidem nonnullis libris Hiſtoricis, & in Pſalmis, paullò copioſior eſt, ſed non accuratior. Poſſet quidem fieri ut nonnulla periiſſent Scholia; ſed de iis, quæ fortè perierunt, nullum poſſumus ferre judicium, niſi ex iis quæ ſuperſunt, & quæ profectò tanti fieri à nobis nequeunt; nec quia quædam perierunt, quiſquam dicere poſſit nullum à Scholiaſte prætermiſſum fuiſſe apicem, in verſione Latina, quem non compararit cum Hebræis, niſi velit vatem agere. Affirmat tamen, ut vidimus, *Martianæus*; ſed, niſi me fallit conjectura, alia de cauſa tam magnificè de indocto Scholiaſte, notulíſque nullius pretii non loquitur; niſi quia, cùm eum *Hieronymum* ipſum eſſe cenſuiſſet, non vult videri perabſurdè hominem ineptum, nec ullius judicii, cum tanto viro miſcuiſſe. At neminem fallet niſi eos, qui Hebraïcæ Linguæ planè imperiti erunt, nec poterunt conſulere eruditorum Pontificiorum Commentarios; qui Vulgatam contulerunt cum Hebraïco textu, & multò plures ac majores diſcrepantias paſſim obſervant. Hebraïcè ſcientibus res eſt uſque adeò manifeſta, ut puderet me diutiùs ei im-

immorari. Qui otio abundabunt plura futilis Judæi loca conferant, & intelligent tanti eſſe faciendas laudes ex affectu profectas, quanti facienda probra, per iram, ingeſta.

IV. At pergamus eas excutere, prout merentur: *Non mediocrem*, inquit Martianæus, *exiſtimo in Scholiis Canonis fructum etiam alterum, quo occludere poſſimus Linguam iis, qui auſi ſunt plurimis abuti Scripturæ teſtimoniis, eáque in ſuos ſenſus trahere ad propriam ipſorum & aliorum perniciem. Tantum ſæpiùs ſibi arrogant quidam hujus ævi Scriptores, ut receptiſſimam ac celebratiſſimam Eccleſiæ traditionem ex Sacræ Scripturæ frivola interpretatione ſubvertendam ſperent; & ſuis potiùs commentis credituros Lectores, quàm Chriſti atteſtantis oraculo.* Lecto hoc tragico exordio, quis non dicat hîc rem agi tanti momenti, ut ſine ea Chriſto credere ac parere nequeamus, adeóque ex ea ſalus æterna pendeat? Quis non credat Chriſtum ipſum apertè, aut certè clam oppugnari ab hominibus, qui ei minime fidem habent? Quis non incipiat bene velle eximio illi Scholiaſtæ, qui ejuſmodi hominibus os occludit? nam *linguam* quidem *occludere* quid ſit neſcio,

ſcio, niſi fortè Benedictinus noſter, cùm loquitur, ſoleat linguam ore emittere, quam retrahat claudátque intra labia, cùm tacet. Sed miſſo joco, qui Tragœdiæ non convenit, audiamus reliqua: *Sic videas*, inquit, *opera peſtifera & Latino & Gallico ſermone conſcripta, ubi præfractè negant Moſem auctorem fuiſſe librorum Pentateuchi; quod ut probent, contra Chriſti & Apoſtolorum ejus auctoritatem, aliquot loca offerunt præſertim ex Deuteronomio.* Quid de ea re ſentiremus diximus, in Diſſertatione Pentateucho præfixa; in qua oſtendimus non poſſe quidem ſine pertinacia negari, quin ſint loca nonnulla in Pentateucho Moſe recentiora; ſed propterea non ſequi Moſem non eſſe auctorem Pentateuchi. Nec ſanè quiſquam aliud probare umquam potuit, niſi quædam eſſe à recentiore manu: ut nemo etiam colligere poſſit ex eo quod Chriſtus & Apoſtoli Moſem citent, nullam eſſe in Pentateucho vel minimam voculam, quæ non ſit ab ejus manu. Itaque diſtinguendi ſunt in duos ordines ii, qui hac de re egerunt. Sunt enim qui velint, ex locis illis quæ Moſis eſſe nequeunt, colligere nihil eſſe Moſis in Pentateucho.

At

At ſunt qui contendant totum Pentateuchum eſſe Moſis, exceptis particulis quibuſdam non magni ad Sacram Hiſtoriam momenti, quod nos verum eſſe putamus. Hi ſanè non oppugnant auctoritatem Chriſti & Apoſtolorum, nec indigent Scholiaſte *Martianæi*, ut confutentur; quem tamen iis objicit, hiſce verbis: *Scriptum eſt*, inquiunt, *Deut. I*, 1. Hæc ſunt verba quæ loquutus eſt Moſes ad omnem Iſraël, trans Jordanem; *& deinde Cap. III*, 8. Tulimúſque illo tempore terram de manu duorum Regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem. *Repugnat autem hæc ab ipſo Moſe fuiſſe litteris tradita, cùm ille nuſquam Jordanem tranſierit, & Reges Amorrhæi reſpectu ipſius, non* trans, *ſed* cis *Jordanem habitaverint. Si autem opponamus in Hebraico legi* בעבר * beever, *quod omnino ambiguum eſt, & ad citeriorem vel ulteriorem partem accommodari poteſt, pro conſequentia ſermonis; urgent adhuc dicentes* בעבר *ſemper trans interpretari apud omnes Veteres, qui Linguam Hebraicam callebant.* Quæcumque fuerit Veterum ſententia hac de re, oſtendimus ad

* Sic ſcribit more hodierno, pro *beeber* more Hieronymiano, quem in T. II. ſequitur.

ad Deut. I, 1. manifeſtis locis, בעבר hunc eſſe *cis*, nunc *trans*; unde conſequens eſt ut ea vox, pro locis, hoc aut illo modo vertatur. Itaque Deuteronomii memoratis locis, debuit *cis* verti ab *Hieronymo*, non *trans*; quod non eſt ambiguum Latinè, ut Hebraïcum בעבר *beheber*; nec quiſquam, qui quidem rem accuratè penſitet, poterit ex iis locis colligere ea non eſſe à manu Moſis, ut demonſtravimus. Verùm *Martianæus*, qui hæc minimè expenderat, ad ineptum Scholion indocti Judæi confugit; & *Scholia*, inquit, *marginalia Canonis Hebraicæ veritatis apertiſſimè demonſtrant vocem Hebræam* beeber, *non* trans *reddendam*, *ſed* in tranſitu. *Quæ hoc modo lecta & intellecta optimè convenit Moſi loquenti ac ſcribenti. Erat enim in procinctu ad tranſeundum Jordanem, quando verba Deuteronomii loquutus eſt ad omnem Iſraël. Ecce quàm levi negotio, unius voculæ rectâ interpretatione, diſſolvitur formidoloſa illa & inſuperabilis, ut ſibi videbatur, objectionis machina.* Objectionem poſſe facilè ſolvi antea jam oſtendimus; at profectò ſolvi nequit, reſponſione Scholiaſtæ; nam, quod cum pace ejus dictum ſit, primò falſum eſt vocem בעבר *beheber*,

 uſ-

uſquam ſignificare *in tranſitu.* Nam quamvis verbum עבר *habar* ſignificet *tranſire*, non ſequitur עבר *heber* eſſe *tranſitum.* Significat tantùm locum citeriorem, vel ulteriorem, quò tranſeundo hinc atque inde commeamus; ſive is ſit trans aut cis fluvium, ſive è regione alterius loci, ſpatio quodam interpoſito; numquam verò tempus, vel actionem tranſeundi. Vox eſt, ut loquuntur Dialectici, *relativa*, quæ hoc aut illo modo intelligenda, prout res poſtulat. Conſtantem hanc eſſe vocis ſignificationem, liquebit ex locorum collatione; nec unum proferre queat è Bibliis *Martianæus*, quo Scholiaſtæ ſui commentum confirmet. Secundò, Benedictinus Monachus, cæco amore Scholiaſtæ deceptus, non animadvertit ejus interpretationem nullâ ratione convenire poſſe loco alteri Deuteronomii Cap. III, 8. quem ipſe laudavit. Reges enim illi aut agri, quos Moſes ait fuiſſe בעבר *cis Jordanem*, non erant in procinctu ad tranſeundum Jordanem. Poſtremò, ut jam innuimus, non poteſt probare interpretationem Scholiaſtæ, niſi eadem operâ damnet *Hieronymum*; qui ita vertit, ut ſi recta ſit ejus tranſlatio, loci

loci aliquot Deuteronomii à Moſis manu eſſe nequeant.

V. Hæc & ſuperiora tametſi ſunt manifeſta, non obſtiterunt tamen quominùs *Martianæus* eum, quem temerè *Hieronymum* eſſe cenſuerat, pertinaciter deprædicet, ne videatur ignoraſſe *quid diſtent æra lupinis*. Audi, quæſo, ſequentia, ſi modò potes ſine ſtomacho: *Jam quis*, inquit, *dicere ſufficiat quanto nobis ſint emolumento Scholia illa marginalia ad eruditionem & intelligentiam Scripturarum? Nihil eſt in verſione Hieronymiana ambiguum, & ſuboſcurum quod illuceſcere non faciant; nihil eſt laxiùs & παραφραστικῶς in ea expreſſum, quod intra proprios fines & nativos verborum ſenſus non fuerit per Scholia circumſcriptum.* Si hæc vera ſunt, oportet hominem de alio Scholiaſta loqui; nam in hoc, quem edidit, nihil animadvertere licet, præter ſummam negligentiam, eruditionémque qualis eſſe ſolet Judæorum è media Rabbinorum turba, qui Hebraïcè Vetus Teſtamentum legere poſſunt, conſuetudine potiùs & uſu, quàm certâ viâ & ratione. Quilibet qui in lingua Hebraïca eò uſque profecerit, ut poſſit textum conferre cum Verſione *Hieronymi*

rem illico intelliget. Debuiſſet *Martianæus* meminiſſe moniti * Horatiani:

Multa fidem promiſſa levant, ubi pleniùs æquo
Laudat venales qui vult extrudere merces.

Ne tamen credideris hîc eum laudum immodicarum finem facere: *Hîc*, inquit, *ſummam pietatem redolent*, (non ſunt ſanè impiæ, ſed major pietas in iis non elucet, quàm in quibuſvis aliis, poſſétque Judæus non valde pius ſimiles ac meliores procudere) *illic ſignificantias Hebræorum verborum aut ſingulares & inauditas aut certè rariſſimas produnt*; (eaſdémque falſiſſimas) *plures textûs Hebræi variantes lectiones retinent* (nullas quas non meliùs ac certiùs ex noſtris Codicibus, veteribúſque Interpretibus colligamus) *fidem ubique admirabilem Scholiaſtis commendant* (imò ejus inſcitiam aut negligentiam ubique produnt) & *ſi pauca tandem excipias, in quibus hallucinatum eum credimus, nihil illis notis criticis præſtantius antiquitas ſacra poſteris tradere potuit.* (Si meliora non edidit *Hieronymus*, doctior non fuit

* *Ep Lib. II. Ep. II. v.* 10.

fuit quovis Judæo, ex obviâ Rabbinorum fece, ſine delectu vocato; quod tamen nolit *Martianæus*) *In iis recenſendis utilitatibus jam non immorabor, cùm ipſe clariores ſint, ac curioſis omnibus manifeſtiſſimæ.* Nec ego ejus ineptiis, aut pervulgatis obſervatiunculis enumerandis tempus teram; cùm omnes, aperto volumine, rem intellecturi ſint; cúmque ipſe *Martianæus* ita tantùm loquatur, ut judicium ſuum, quo *Hieronymo* eas tribuerat, aliquo modo tueatur.

VI. ATTAMEN hanc ſubibo moleſtiam, ut ſpecimina ejus peritiæ, à *Martianæo* allata, ad examen breviter revocem. *In unica pagina*, inquit, *multiplices oſtendo Scholiorum fructus & utilitates; ut ſic de ceteris innumeris bonis judicium ex uno faciamus loco. Columna igitur* 99. & 100. (quibus inſunt Capita Exodi XXXIII. & XXXIV.) *iſta occurrunt marginalia Scholia, primò è latere hujus ſacri contextûs*, & populus tuus quem eduxiſti &c. *ita monet Scholiaſtes:* Hebræus non habet tuus. *In hac notatione fides, ejus maximè elucet & diligentia.* Imò verò hinc liquet hominem fuiſſe nullius judicii, nam ſi tantillum diſcrimen notare voluit, quo ſenſus nullâ ratione mu-

 tatur,

tatur; cur, ut jam monui, in aliis ejuſdem generis ſiluit, ita ut ex ſexcentis locis in uno tantùm talia obſervet. Quare non notat hoc eodem Cap. XXXIII. Exodi, verſ. 2. pro *præcurſorem tui*, eſſe in Hebræo *ante faciem tuam*; verſ. 4. *& intres*, non eſſe in Hebræo; verſ. 5. *ex more*, pariter ab *Hieronymo* additum; verſ. 5. pro *ſemel* eſſe *momento uno*; verſ. 7. non tantùm eſſe *tetendit*, ſed *ſibi*, aut *illi*; aliáque id genus multa? Aut hæc obſervanda fuere, aut illud omittendum.

Conſequenter verò, inquit Martianæus, *ad illa verba*, novi te ex nomine, *ſemel & iterum docet in Hebræo haberi*, noteſcam tibi in nomine. *Quam interpretationem in aliis Hebræis Scriptoribus, & Latinorum plurimis commentariis fruſtra quæſivi.* Meritò ſanè hanc ineptam & falſam interpretationem omiſerunt, quæ planè contraria eſt textui Hebraïco, qui habet verſ. 12. ידעתיך *jedahthicha*, quod ſignificat οἶδά σε, ut LXX. Intt. *novi te*, ut habet Vulgatus. Verſu quidem 17. eſt in Futuro וארעך *vaedahacha*, ſed anteceſſit Præteritum, & præfigitur *Vau converſivum*, ut loquuntur Grammatici; quæ oſtendunt id

id eſſe Præteriti loco. Ut ſignificaretur quod voluit Scholiaſtes, oporteret legi in Futuro Niphal אודע לך *evvadeah lcha*, hoc eſt, innoteſcam tibi. Quos interpretes Hebræos conſuluerit *Martianæus* neſcio; at ſcio eum ne verba quidem Moſis hîc legiſſe, ex quibus intellexiſſet ineptiam ſui Scholiaſtæ. Præterea an ei ſatis eſt eſſe novam interpretationem, ut ſit bona? An hoc auſit dicere *novatorum* tantus inſectator? Vel an novatori licebit quidem eſſe recutito neſcio cui, qui imperitis olim hominibus fumos vendidit, nobis verò nunc non licebit? An quod in illo laudatur nobis vitio vertetur? Viderit Monachus noſter, quî ſecum conſentiat; hæc nihil ad nos.

Quàm pius, inquit, *quoque fuerit ac religioſus noſter Scholiaſtes, diſcimus, ni fallor, ex modo exponendi hunc Exodi locum*: ego oſtendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini &c. *Non enim ea verba refert ad viſionem eſſentiæ divinæ, ut multi nunc temporis Scholaſtici faciunt; ſed omne bonum hominis vitam mortalem degentis in eo ſtatuere videtur, ſi ſciat Deum deprecari & eum flectere ad miſericordiam*; hoc eſt, *inquit Scholiaſtes*,

 oſten-

oſtendam tibi quomodo me debeas deprecari & ad miſericordiam flectere. *O ſingularem & admirabilem Scripturæ divinæ expoſitionem! Hunc me non docuit Scholarum frequentia, non adſidua Commentatorum lectio. Unum interim Scholion marginale Canonis immenſa expoſitorum vincit volumina.* Libet etiam exclamare, ô putidum declamatorem! ô pravum Dialecticum! ô imperitum Interpretem! Nam quis ferat hos clamores, propter ridiculam interpretationem verborum Moſis? Verba ejus hæc ſunt: *faciam ut tranſeat coram te omnis mea beneficentia*; quibus in verbis, nemo, niſi febricitans, ſomniet id latere, quod in iis invenit Scholiaſtes, ideóque nemo quæſivit. Deinde ne id quidem habet Anonymus ille Rabbinus, quod eum dicentem inducit ejus laudator. Poſtremò ſi haberet, an nemo meliùs & priùs docuit quod fingitur dicere? Oportet ut imperitiſſimis Magiſtris uſus ſit *Martianæus*, ſi hæc dudum meliùs non norit. *Utque aliquid addamus*, verba ſunt Monachi noſtri; quibus tandem Scholiaſtæ encomium claudit, *quod Lectori fuiſſet creditu difficile, erat Scholiaſtes tam perſpicax ad diſſolvendas ambiguitates Bibliorum Sa-*

Sacrorum, *ut interdum propius accedat ad ſenſum auctoris Hagiographi* (mirare elegantiam) *quàm ipſe Hieronymus Interpretum Phœnix*, *vel facilè princeps.* Minimè hoc creditu eſt difficile, cùm *Hieronymus*, ſæpe nimiùm diſcedat à verbis Hebraïcis, nec eorum ſenſum ſemper adſequatur; ſi melius Rabbinus, ad verbum vertens, ea interpretatus eſſe dicatur, quod tamen perpaucis in locis fecit. Quamvis *Martianæus*, ut eloquentiam ſuam ac copiam oſtentet, vocet *Hieronymum Interpretum Phœnicem*, *vel facilè principem*, non minùs errori fuit obnoxius, quàm alii; nec opus eſt ſingulari eruditione, ut multa ejus delicta deprehendantur. *Ne quid*, *verbi gratiâ*, *obſcuritatis vel ambiguitatis remaneret* verſ. 5. & 6. Capitis XXXIV. *Libri Exodi*, *nonnulla Scholia*, *poſt emendatum textum*, *appoſuit in margine*, *quæ omnem removent difficultatis umbram*; *nec ampliùs verba*, *quæ ibi leguntur*, *ad Moſem loquentem*, *ſed ad Deum dicentem orandi & deprecandi ſe modum directè referri debent.* Quaſi hoc non ſit in recentioribus innumeris Interpretibus, aut ad id deprehendendum ulla re alia opus ſit, quàm lectione verborum Hebraïcorum!

 rum!

rum! Verùm ſi propter tantillam obſervatiunculam, laudandus uſque adeò eſt Rabbinus: quid eum commeritum dicemus, qui pleraque omnia loca obſcura ne attigerit quidem? Huc accedit quòd quamvis malè cepiſſet Moſem *Hieronymus*, non debuere ejus verba à Scholiaſte mutari in ipſo corpore, ut Hieronymiana loquutione utar, nec ea emendatio in contextum recipi ab Editore. Nam non agitur hîc de veritate tranſlationis, ſed de vera *Hieronymi* manu; nec magis licet emendare *Hieronymum* ex ſententia Scholiaſtæ, quàm ex verſione interlineari *Ariæ Montani*. Alioqui Veteres Interpretes eſſent paſſim refingendi, nec haberemus ampliùs eorum verſiones, ſed interpolationes Recentiorum. Igitur imperitum Criticum hîc ſe præſtitit *Martianæus*, qui emendationem Scholiaſtæ verbis *Hieronymi* ſubſtituit; quæ erunt omnino reſtituenda, ab iis qui poſthac *Hieronymum* edent.

Hæc de Scholiaſte Anonymo dicta ſunto, quæ vereor ne tædio ſint Lectori: qui, ſolâ lectione aliquot notularum, intelligere potuit quàm omnem modum exceſſerit, in eo laudando, Monachus Benedictinus. Sed niſi

niſi ejus veſtigia, in confutatione ſequutus eſſem, gloriaretur me nihil habuiſſe quod reponerem; præterquàm quòd, ex hoc loco, aliiſque ſimilibus, liquet quàm parum aptus eſſet edendo *Hieronymo* noſter Monachus.

VII. NUNC veniendum ad ipſius *Martianæi* adnotationes, quas quicumque inſpicient illico animadvertent non ſatis eſſe uberes, ſi voluit MSS. Codicum lectionibus, collationéque Verſionis Latinæ cum Hebraïco Textu, & veteribus aliis Tranſlationibus, *Bibliothecam Divinam* illuſtrare: nam non multæ proferuntur variæ lectiones, & pauca loca attinguntur. Videtur tamen hoc illi conſilium fuiſſe, niſi ſi quis minùs ei æquus putet, oſtentandæ tantùm apud imperitos eruditionis ſuæ gratiâ, neque omnia eum dixiſſe quæ poterant dici, neque nihil, ſed ſatis tamen ut Hebraïcè & Græcè doctus videretur iis qui eas Linguas ignorant. Nos quidem rem in medio relinquimus, ſed apertè dicemus, quoniam ita voluit Benedictinus noſter, eas eſſe exigui pretii, & dignas homine aſperrimi ingenii, ſed eruditionis in hiſce rebus tenuiſſimæ, & planè ei ne-

negotio imparis. Quod judicium an verum ſit intelliget Lector ex ſequentibus animadverſionibus, quarum ab ipſo initio Geneſeos, initium faciemus.

Poſtquàm ex *Hieronymo* oſtendit librum hunc à prima voce dici, apud Hebræos, *Breſith*, ſubdit: *hodie* Bereſith, Bereſcith & Bereſchith *dicitur*; quaſi verò nunc aliter aut Judæi, aut Chriſtiani efferremus vocem בראשית *breſchith*, quam tempore *Hieronymi* pronunciabatur! cùm nullum planè ſit diſcrimen, niſi fortè in prolatione eorum, qui *Scheva*, primæ litteræ ſubjectum, plenius æquo pronunciant, quod tamen diſcrimen eſt nihili. Res, inquies, eſt exigui momenti. Non nego, ſed qui in ea diligentiam oſtentavit, ſimul ἀβλεψίαν ſuam, in re omnibus nota, prodidſt.

Cap. III. 2. habet Latinus Interpres: de *fructu lignorum veſcimur*, cùm ſit in Hebræo נאכל nochel, *veſcemur*, ut legunt, monente *Martianæo*, plures MSS. Codices poſt LXX. Intt. *Sed quis neſciat*, inquit, *apud Hebræos, futurum uſurpari ſolitum pro præſenti indeterminato*? Significat quidem Futurum frequentiſſimè conſuetudinem; ſed

ſed hoc in loco, ubi ſermo eſt de lege à Deo lata, *veſcemur*, perinde eſt ac *veſci licet*, ut conſtat ex perpetuo legum Hebraïcarum ſtylo; quæ Futuro utuntur additâ negatione, cùm quidpiam nefas eſſe pronunciant: eam verò detrahunt, cùm rem arbitrio hominum permittunt, ſeu licitam eſſe volunt. Sic in hac ipſa Lege, Cap. II, 15, 16. ſic loquens inducitur Deus: *ex omni Paradiſi arbore comedes, at ex arbore ſcientiæ boni & mali non comedes*; ad quæ verba reſpicit ſine dubio prima Parens.

Ejuſdem Capitis verſ. 15. pro *ipſa conteret*, ut habent fermè omnes MSS. Codices Latini, ſicut fatetur Monachus noſter, & ſicut multi Patres legerunt, atque inter alios *Auguſtinus*, edidit *ipſe*, ex uno Codice, quem memorat. Cur non & alios, in Lovanienſi collectione memoratos, laudavit? Sed fortè locum ex plurium Codicum lectione edi oportuit, potiùs quàm mutari, ex paucis Codicibus. Nam quod habet *Hieronymus* in Quæſtionibus Hebraïcis ad rem nihil facit, cùm in verſione ſæpe ſequatur non ſuam ipſius opinionem, ſed Eccleſiaſticam conſuetudinem, præſertim in inſignioribus locis. * LXX. Intt. hoc in

* Vide Gen. IV, 8.

in loco habent: Ἔχθραν θήσω ἀνὰ μέσον σοῦ καὶ ἀνὰ μέσον τῆς γυναικὸς, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματός σου, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματος αὐτῆς· ΑΥΤΟΣ σου τηρήσει κεφαλὴν: *inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter ſemen tuum & ſemen ejus.* IPSE *ſervabit caput tuum.* Quibus in verbis αὐτὸς videtur poſitum, quòd LXX. Interpretes, quamvis uſi eſſent voce neutra σπέρμα, in animo haberent nomen maſculinum γόνος, quod idem ſonat. Sic & vetus Interpres Latinus, quamvis uſus eſſet voce *ſemen*, ſubjecit tamen *ipſa*; quia cogitavit de *prole*, ſeu *ſobole.* Ejuſmodi conſtructionis facile eſſet ex optimis quibuſque Scriptoribus multa exempla proferre. Scio poſtea pronomen *ipſa* relatum ad Eccleſiam, quaſi mulieris nomine deſcribatur, aut etiam ad Virginem Mariam. Sed hæ pravæ interpretationes non obſtarent quominùs antiquam lectionem repræſentarem, cujus non inepta ratio reddi poteſt.

Cap.v,25. pro *centum octoginta ſeptem annis*, quibus Mathuſala vixiſſe dicitur, antequàm Lamechum generaret, leguntur apud LXX. *centum ſexaginta ſeptem anni.* *Hieronymus*, in Quæſt. Hebraïcis hîc eſſe cenſet errorem

rorem in numero, *ſiquidem & in Hebræis & in Samaritanorum Libris ita ſcriptum repererat.* Hinc colligit *Martianæus* Textum Hebræo-Samaritanum, qui totus hodie diverſus abit ab Hebræo, in annis antiquiſſimorum Patriarcharum fuiſſe corruptum, poſt *Hieronymi* ætatem. Attamen fatetur ex Chronico *Euſebii*, apud *Syncellum*, liquere aliquot Samaritica exemplaria, tempore *Euſebii*, jam fuiſſe depravata. Sic & noſtri Codices hodierni habent tantùm *ſexaginta*, reſecto ſæculo. Multò faciliùs crediderim *Hieronymum* fefelliſſe memoriam, quàm vidiſſe Samariticum Codicem, cum Hebraïcis conſentientem.

Cap. VIII, 4. pro *decimo ſeptimo die*, ut legimus in Hebræis, Samariticiſque Codicibus, habent LXX. Intt. & *Hieronymus vigeſimum ſeptimum*, quam veram lectionem eſſe credidit *Lud. Capelius*, quem non nominatum ſequitur ad hunc locum *Martianæus*; ſed videtur eſſe παραδιόρθωσις, ut oſtendimus in Comment. in Geneſin.

Ejuſdem Capitis verſ. 21. ſic habet Latinus Interpres: *Odoratúſque eſt Dominus odorem ſuavitatis, & ait ad eum*

eum: nequaquam ultra maledicam terræ. &c. In Hebræo textu eſt *ad cor ſuum*, בלבו *blibbo*, quod ambiguum eſſe vult *Martianæus*, & poſſe ſignificare *ad cor* Dei, aut *ad cor* Noachi. Sed oportuit proferri exemplum, in quo *alloqui cor*, aut potiùs *in corde alicujus* ſit perinde ac eum alloqui. Nam notiſſimum eſt *loqui in corde ſuo* eſſe cogitare, ut Pſalm XIV, 1. ſeu apud animum ſuum reputare.

Cap. XIV, 4. Cùm ſit in Hebræo *perſequutus eſt uſque ad Dan*, habet *Hieronymus*, poſt LXX. *perſequutus eſt eos*, addito, perſpicuitatis causâ, pronomine, ſed minimè neceſſe eſt eos aliter legiſſe, quàm nos, ut putabat Monachus noſter; nam talia, perſpicuitatis causâ & propter Latinæ Linguæ ingenium, paſſim adduntur ab *Hieronymo.*

Cap. XIX, 38. fruſtra ſimiliter aliquid excidiſſe ex Hebræo cenſetur, ubi ſic Latina habent: *Minor quoque peperit filium, & vocavit nomen ejus Ammon, id eſt, filium populi mei; ipſe eſt pater Ammonitarum, uſque hodie.* LXX. Intt. antè verterant, ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἀμμὰν, λέγουσα, υἱὸς γένους μου. Hinc conjicit *Martianæus* exci- diſſe nomen *Ammon* ex Hebraïco Codice,

dicc, qui ſic habet nunc: & *vocavit nomen ejus Ben-ammi, is eſt pater filiorum Ammon.* Sed LXX. Intt. paraphraſin potiùs adhibuerunt, quàm verſionem; quos ſequutus deinde eſt Latinus, qui non veretur ejuſmodi additiunculas adſuere verbis contextûs, ut liquet ex Cap: XXXII, 47. Nec ſatis commodè dicas Hebraïcè: ותקרא שמו עמון לאמר בן עמי & *vocavit nomen ejus Ammon, dicens Ben-hammi;* oporteret dici כי בן עמי הוא *quia filius populi mei ille.* Ac ſanè *Hieronymus* non aliter legit ac nos, ut colligere eſt ex ejus Quæſtionibus Hebraïcis, ubi hæc habet: *Moab interpretatur ex patre,* & *totum* (legerim *totam*) *nomen Etymologiam habet. Ammon verò cujus quaſi cauſa nominis redditur* filius generis mei, *ſive ut melius eſt in Hebræo,* filius populi mei, *ſic derivatur ut ex parte ſenſus nominis, ex parte ipſe ſit ſermo, AMMI enim à quo dicti ſunt Ammonitæ, vocatur* populus meus. Vult non ipſum nomen filii Loti fuiſſe prolatum, hoc eſt, *Ammon*, ſed quaſi cauſam nominis; atque ab *Ammi* ideò deducit *Ammonitas*, quos dixiſſet potiùs ab *Ammone* dictos.

Cap. XXXVII, 2. dicitur Joſephus

ſeptemdecim annos natus, in textu Hebræo, & apud omnes Interpretes, extra Latinum, qui ſolus habet *ſexdecim annorum.* Quæ cùm ſit aperta oſcitatio, quæ in longum Opus facilè irrepit, perperam excuſare eam vult *Martianæus*, quòd Interpres ſexdecim annos exactos intellexerit; quaſi verò liceat, ſine ulla ratione, ita verba textûs mutare? Eſſet hoc demum grave delictum in *Hieronymo*, & vix ignoſcendum, ſi ſenſum maluiſſet exprimere, quàm verba, ubi nulla cauſa erat cur à verbis recederet, præſertim in numeris; quod ei condonatur, ſi dicatur id delictum eſſe inter ea quæ

—— aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura.

Nemo enim eſt ejuſmodi admiſſorum expers. Sic dum nititur hic noſter *Quintilianus* defendere clientem, eum graviùs accuſat.

Cap. XLIX, 21. ubi Nephthali *cervus emiſſus* dicitur, profert ex Traditionibus Hebraïcis hæc Hieronymi: *In Hebræo ita ſcriptum eſt:* Nephthalim ager irriguus, dans eloquia pulchritudinis, *ſignans quòd aquæ calidæ in ipſa naſcantur Tribu, ſive quod ſuper lacum*

lacum Geneſareth fluento Jordanis irrigua ſit. Hebræi autem volunt, propter Tiberiadem, quæ Legis videbatur habere notitiam, agrum irriguum & eloquia pulchritudinis prophetari. Porrò ubi nos agrum irriguum, & LXX. στέλεχος ἀνειμένον, *id eſt*, virgultum reſolutum *poſuerunt, in Hebræo legitur* AJALA SELUA, *quod poteſt &* cervus emiſſus *transferri, propter temporaneas fruges, velocitatem terræ uberioris oſtendens.* Hiſce prolatis, Monachus noſter ita porrò habet: *variantes ex Hebræo hujuſmodi lectiones afferre curavimus, ut intelligeret lector quam diverſas habeamus ejuſdem Hebraici contextûs ab uno Hieronymo interpretationes; & ne quemquam moveret, ſi parum ſibi conſtare videatur, quia nunc verbum de verbo, modò ſenſum à ſenſu exprimere voluit.* Hæc debuit vocare varias hallucinationes, ex malè intellectis Hebræo & Græco codicibus natas; ex quibus colligere licèt *Hieronymum* neutram Linguam ſatis intellexiſſe; nam hîc neque verbum de verbo, neque ſenſum de ſenſu tranſtulit. Quod ſingillatim probare, hoc eſt, indicare (nam hîc ſola indicatio errorum eſt confutatio) præter rem non erit. Primò, *cervus emiſſus* verti

non debuit אילה שלוחה, ſed *cerva emiſſa*, nam maſculinum eſt איל *ajal*; quamvis non ignorem, apud Rabbinos, אילתא *ajala* cervum dici, alitérque fœmininum formari; verùm hîc ſermo nobis eſt, de ſtylo Scripturæ. Secundò, planè falſum eſt hiſce vocibus poſſe *agrum irriguum* ſignificari; nam neque אילה *ajalah* ſignificat *agrum*, neque שלוחה ſchlouhha *irriguum*. Tertiò, στέλεχος ἀνειμένον, non eſt *virgultum reſolutam*, quod nihil ſignificat, ſed *truncus adſcendens*, aut *creſcens*; nam hæc eſt poteſtas verbi ἀνεῖσθαι, ubi agitur de plantis. Hinc intelligere eſt unum eſſe inconſtantiæ Hieronymianæ fontem, ignorationem veri ſignificatûs vocum; quem à Judæis non didicerat, cùm ab iis acceperat *agrum irriguum* memoratis verbis deſignari. Debuiſſet ejus patronus oſtendere reverâ vocibus Hebraïcis hanc eſſe poteſtatem, allatis ex Vetere Teſtamento locis. Sed facilius fuit dicere Hebraïcè neſcientibus, aut properante oculo atque ingenio hæc legentibus, *Hieronymum* nunc verbum è verbo, nunc ſenſum è ſenſu exprimere voluiſſe; quibus verbis videri poteſt feſtinantibus aliquid dicere, cùm reverâ nihil dicat.

VIII.

VIII. CUM *Hieronymus Commelinus*, inſignis Typographus Heidelbergenſis, qui initio XVII. ſæculi floruit, meditaretur novam Editionem Verſionis LXX. Interpretum, auctor illi fuit *Joan. Druſius*, in Epiſtola quæ eſt XXXII. in Quæſitis per Epiſtolam, ut ſequeretur exemplar Romanum, eíque correctiones adderet, *quæ non ex veritate Hebraïca, ſed ex Codicibus antiquis, vel ex citationibus Patrum* deſumtæ eſſent. Simili conſilio indiguit Benedictinus noſter Hieronymianam verſionem editurus, quam ad Hebraïcum Archetypum, contra antiquorum omnium Codicum fidem, aliquando emendat. Atqui nec LXX. Interpretes, nec *Hieronymus* κὰ πόδα ſunt ubique Hebraïcum contextum ſequuti; nec proinde ad eum refingi debent.

Exodi Cap. IV, 26. poſt *ſponſus ſanguinum* addunt antiquiſſimi Codices, *tu mihi es*, ut eſt verſu antecedente, quæ verba perperam reſecuit *Martianæus*, quia abſunt à fonte Hebraïco, quaſi Librariorum incuriâ irrepſiſſent in Codices. At quidni *Hieronymus* ea repetenda cenſuerit? Sic & Cap. VI, 20. cùm additum eſſet, præter id quod habetur in Textu Hebraïco,

& Mariam ſororem eorum, Scholiaſtes in antiquo Codice ea deleverat, addideràtque, *h. non habet Mariam*; quam emendationem ſequutus eſt, ſine ratione, *Hieronymi* editor. Alia ſimilia exempla editionem hanc evolventibus occurrent, quamvis minimè conſtans ſit Editor, ut liquet ex Cap. XII, 37. & Cap. XV, 7. Cujus inconſtantiæ quæ ſit ratio minimè adſequor; niſi quòd Benedictinus noſter nondum ſatis ſubductâ ratione Latinum Interpretem edere aggreſſus eſt.

Cap. XXI, 5. ubi editi Codices habent, non modò cum Hebræo contextu, ſed & cum LXX. Interpretibus, ità re neceſſariò poſtulante, *ſi quis vendiderit filiam ſuam in famulam* &c. Martianæus ex paucorum MSS. auctoritate delevit *quis*, & cùm in aliis ſit præceptum generale, de quolibet homine qui filiam ſuam vendiderit; *hic eſt*, inquit, *ſenſus de ſervo, cujus filiam in famulam vendit dominus ſervi*. Quis verò credat *Hieronymum*, in loco perſpicuo & cujus ſententia nullam parit difficultatem, ab Hebræo textu & LXX. Interpretibus diverſum abiiſſe, ut abſurdum ſenſum ſequeretur? Quiſquis habebat

bat prolem à ſervo Hebræo, tempore ſervitutis ex ſerva genitam, ejus erat perpetuus dominus; eámque ſervare aut vendere poterat, pro ſuo arbitratu. Numquam enim libera fuerat, quæ in ſervitute erat nata. Vide verſſ. 4. & 5. Itaque ex mendo Codicis abſurdum ſenſum quærit *Martianæus.* Hoc unum in ejus gratiam dici poteſt, quòd pro *filiam ſuam*, habeant illi Codices *filiam ejus*, ita ut vendens diſtinguatur à patre puellæ. At ab *Hieronymi* manu hoc eſſe non crediderim, propter allatas rationes, ſed eorum qui omiſsâ voculâ *quis* locum perperam emendarunt.

Cap. XXII. 13. ſic habent Hebraïca verba: *ſi diſcerpta fuerit, adducet ei* (nam in יביאהו affixum הו eſt pro לו) *teſtem, diſcerptam* (לא) *non reſtituet:* Samaritæ verò habent: יביא עד הטרפה ולא ישלם *adducet teſtem diſcerptionis, neque reſtituet.* At *Hieronymus* ſic vertit: *Si comeſtum à beſtia, proferat ad eum quod occiſum eſt, & non reſtituet*, quaſi legerit יביאהו את הטרפה *jebihou' eth hattrephah.* Quî ergo hîc *Martianæus* hæc verba habet: *in Hebraico textu nonnulla fuiſſe permutata Maſſoretharum interpunctis nulli dubium eſſe debet, cùm Hieronymus hîc*

 in

in ſuo exemplari Hebræo legerit, ut nunc legunt Samaritani? Primùm *Hieronymus* legit את *eth* pro עד hed, *teſtis* quod eſt in Codice Samaritano. Deinde legit יביאהו *jebihou*, pro quo eſt in Samaritico tantùm יביא *jabi*. Hæc obſervata oportuit, potiuſquàm ea quæ ſcripſit Benedictinus. Tandem minimè conſtat an legerit ולא *vlo* & non pro לא *lo*, non; quia facilè potuit, ſenſûs causâ, conjunctivam particulam, quam in Codice ſuo non legebat, ſupplere. Ceterùm non diffiteor Maſſorethas aliter accentibus interpunxiſſe locum hunc quàm Samaritas, aut *Hieronymum*; verùm huic non magis convenit cum Samaritis, quàm cum Hebræis. At ſi fuit hîc conferendus *Hieronymus* cum exemplaribus Judaïcis & Samariticis, fuit ubique ſimilis comparatio inſtituenda; nam non eſt tanti momenti hæc varietas, ut, tot aliis multò majoribus prætermiſſis, de hac ſola mentio fieret.

Cap. XXXIV, 5, 6. ex exemplari emendato à ſciolo edidit *Martianæus*, potiuſquàm ex mente *Hieronymi*; qui omnino videtur ab Hebraïcis datâ operâ receſſiſſe. Habent Codices plerique omnes: *Cùmque deſcendiſſet Dominus*

minus per nubem, *ſtetit Moyſes cum eo*, *invocans nomen Domini*, *quo tranſeunte coram eo*, *ait: Dominator*, *Domine Deus* &c. Exiſtimavit enim rei magis conſentaneum eſſe ut Moſes invocaret, ſeu clarâ voce inclamaret nomen Dei, quàm Deus ipſe; quamvis hac in re mihi quidem falli videatur. At Editio *Martianæi* ita eſt à neſcio quo refiĉta ad Hebræum Codicem: *ſtetit ibidem cum eo* (id eſt, cum Moſe, ut eſt in margine) & *tranſiens Dominus coram eo ait.* Quæ mera eſt depravatio Hieronymianæ verſionis, ut antea jam diximus.

IX. PROPTER rationes memoratas, maluiſſem Levitici Cap. I, 10. edere, ex omnium MSS. Latinorum conſenſu, *anniculum abſque macula*, quàm *maſculum*, ut habet *Martianæus* cum editis, ex textu Hebræo. Potuit enim eſſe error feſtinantis aut aliud agentis *Hieronymi*, quoniam omnibus Codicibus inſedit, nec ab ullo Interprete antiquo confirmatur.

Cap. VIII, 27. in deſcriptione conſecrationis Sacerdotum, dicuntur oblationem ſuam, hoc eſt, adipem & dextrum armum arietis cum placentis, *levaviſſe coram Domino*, hoc eſt, certo quodam modo agitaſſe. Ad

hunc locum obſervat *Martianæus* Canonem & S. Germani Codicem MS. habere *libaverunt*, *non incongruo*, inquit, *ſenſu*. Imò verò perabſurdo, quòd contradicat Hebræo textui conſuetudinique Hebræorum, qui minimè deguſtabant ea quæ offerebant. Satius fuit obſervare nihil eſſe frequentius in MSS. Codicibus, antiquiſque inſcriptionibus, quàm mutationem litterarum B. & V; cujus exempla multa congeſſit *Janus Paſſeratius*, in libello de Cognatione Litterarum, quem non ita pridem comparare mihi licuit. Sive hæ litteræ miſcerentur ob affinitatem ſoni, vel ob pravam pronunciationem, vel ob utrumque, conſtat eas ſæpiſſimè fuiſſe confuſas; quamobrem veteres Orthographi diligenter notabant voces per alterutram ſcribendas; ut liquet ex iis, quæ ex *Adamantio Martyrio* exſcripſit *Caſſiodorus* Cap. V. & ſeqq. Libri de Orthographia.

X. MONITUM eſt *Caſſiodori*, antea à nobis memoratum, quod proponit Scriptores Sacros deſcripturis: *Ne tanto bono, mutatis litteris, Scriptores verba vitioſa permiſceant, aut incruditus emendator neſciat errata corrigere, Orthographos antiquos legat* &c. Si

Si ei præcepto paruiſſet Monachus noſter Benedictinus, aut putidus ille Scholiaſtes, quem quaſi *Hieronymum* nobis obtrudere initio conatus eſt, uterque non peccaſſet pueriliter ad Cap. VI, 8. Numerorum. Scripſerat Hieronymus: *Omnis dies ſeparationis ſuæ ſanctus erit Domino.* Scholiaſtes quidem barbarus, qui neſcivit *omnis* eſſe accuſativi casûs, æquè ac *dies*, ad marginem notavit, eſſe in Hebræo *omnibus diebus*, quaſi aliud ſignificaretur vocibus *omnis dies!* Politiſſimus verò Monachus ſimile eruditionis ſuæ ſpecimen hîc edit, cùm in ima pagina hæc habeat: *Manuſcripti libri hunc verſiculum duobus, vel tribus modis legunt. Plures ſic habent:* omnes dies ſeparationis ſuæ &c. *Alii verò:* omnis dies &c. *Regius deniquè legit cum vulgata Latina:* Omnibus diebus &c. *Variantes autem hujuſmodi lectiones complectitur Canon Hebraicæ Veritatis.* Quaſi verò eſſent hæ variæ lectiones, cùm ultima ſit mera depravatio, ſecunda verò & prima prorſus eadem. Adeat hac de re Editor Hieronymi virum, quo à multis annis Romana purpura doctiorem non induit; *Henricum* intelligo *Noriſium*, Diſſert. IV. ad Cenotaphia Piſana Cap.

Cap. 3. unde diſcet accuſativos plurales tertiæ declinationis, quorum genitivus pluralis in IUM deſinit, promiſcuè terminatos in ES, EIS & IS.

Cap. XI, 28. ita Latinus Interpres, narrato afflatu Eldadi & Medadi, inducit Joſuam loquentem: *Domine mi, Moyſes, prohibe eos.* Scholiaſtes Anonymus habet ad marginem: *h. Recludé eos*; de qua adnotatiuncula ita Martianæus: *Hebraïcè* כלאם chelaem, *quod Chaldæus vertit* אסרנון eſarinun; *id eſt*, mitte eos in carcerem, *ſive* reclude eos, *juxta Scholion. Porrò verbum* כלא chala *ſæpiſſimè Hieronymus interpretatur* prohibere, *aut* claudere *&* כלוא chalu, *apud eum in Prophetis ſignificat* clauſuram, *ſeu* carcerem. *Nihil igitur obſtat, quin Scholion illud verè ſit Hieronymianum.* Sola vox *recludere*, ſenſu claudendi, debuit docere Morſachum noſtrum Scholion non eſſe *Hieronymi*, qui non ita barbarè loquebatur, noverátque *recludere* puriùs loquentibus eſſe *aperire*. Attamen in Verſione Scripturæ ea voce ſic uſus eſt, quia barbariem vetuſtioris Verſionis ubique non emendavit. Sed in ſcholio ita non eſſet loquutus, præſertim cum

בלא

כלא frequentiùs ſignificet *prohibere*, quàm *claudere*. Verbum Chaldæi Interpretis æquè rectè vertatur *prohibe eos*, ac *mitte eos in carcerem*, ut eſt in verſione Latina Polyglottorum.

Cap. xxiii, 20. ita habet Vulgatus Interpres: *ad benedicendum adductus ſum.* Legunt Judæi: הנה ברך לקחתי hinneh berech lakahhthi, *ecce benedicere accepi.* Samaritæ verò הן לברך לקחתי hen lberech lukkahhthi, *ad benedicendum ſumtus ſum.* Sic enim eſt efferenda vox לקחתי, ſi paſſivè ſumatur; non *lakahhthi*, ut fecit, in adnotatione ſua, *Martianæus.*

XI. AD verſ. 1. Cap. I. Deuteronomii, quædam habet *Martianæus* de voce בעבר beheber, *trans*, aut *cis*, quæ antea jam confutavimus, cùm de Scholiaſte ageremus. Nos verò hîc nominatim oppugnat Editor *Hieronymi*; ſed ita ut liqueat eum, illo tempore, nondum vidiſſe noſtram Diſſertationem de Moſe Pentateuchi auctore præfixam Geneſi noſtræ; ad quam eum & Lectores amandamus, ſi velint ſcire quid hac de re ſentiamus.

Cap. xi, 30. *Martianæus*, qui Latini Interpretis patronum agere ſolet, debuiſſet nos docere cur *Hieronymus* hîc

hîc אלוני מורה *elone moreh* interpretetur *vallem tendentem & intrantem procul*, non proferre veterum aliorum Interpretum verba. Quid enim hæc ad *Hieronymum*? Nihil ſanè; ſed apta ſunt ad fucum imperitis faciendum.

Cap. XXI, 23. ubi ſuſpenſus dicitur *maledictus à Deo*, exiſtimavit *Hieronymus* additam eſſe vocem אלהים. elohim, *à Deo*, aut potiùs *Dei*, nam loquutio Hebraïca eſt *maledictio Dei*. Eum ſequitur Martianæus, ut ſolet, ſed fruſtra quemadmodum ad eum locum oſtendimus.

Cap. XXVII, 26. *Maledictus qui non permanet in ſermonibus Legis hujus, nec eos opere perficit.* Amandat hos Editor ad Commentarium Aſceræ Bethlehemitici ad Cap. III. Ep. ad Galatas, ubi, ut ait, *de variantibus hujus verſiculi lectionibus apud Hebræos, Samaritanos ac Græcos, fusè diſputat S. Hieronymus.* Teſtatur ſanè non ſolos LXX. Intt. habere *in omnibus ſermonibus*, ſed in Samaritanorum voluminibus CHOL, *quod interpretatur* omnis, *ſive* omnibus, *ſcriptum eſſe & cum LXX. Intt. concordare*; quamvis non exſtaret in verſionibus *Aquilæ*, *Symmachi* & *Theodotionis*, quorum

quorum verba profert. Tum ſubdit: *Fruſtra igitur illud tulerunt Judæi, ne viderentur eſſe ſub maledicto, ſi non poſſent omnia complere quæ ſcripta ſunt, cùm antiquiores alterius quoque gentis litteræ id poſitum fuiſſe teſtentur.* Sed multò veriſimilius eſt additam vocem כל *chol*, primùm à Græcis, deinde & à Samaritis, ſensûs causâ, ut oratio clarior eſſet; nam quamvis omittatur, neceſſariò ſubaudienda eſt. Quando enim nulla additur in Lege exceptio, omnia ſunt intelligenda.

XII. HAEC, ſpeciminis causâ, ex notis *Martianæi*, expendere voluimus, longum enim eſſet, atque inutile omnes ad trutinam revocare. Satis jam perſpicuum eſt, quamvis per multos annos Editionem Operum *Hieronymi* molitus ſit, non ſatis paratum ad eam acceſſiſſe. Neceſſe erat & Linguæ Hebraïcæ, & humanioribus litteris diuturniorem ab eo operam datam fuiſſe. Quod illi ignoſcam tamen non illibenter, ſi modò aliis, qui vitam in hujuſmodi ſtudiis trivere, æquior eſſe poſthac velit. Sin verò pergat eos mordere, à quibus laceſſitus non fuit, nulla cauſa erit cur delictum ullum ejus reticeatur, aut non exagitetur pro eo ac meretur.

QUAE-

QUÆSTIO XI.

Quodnam judicium ferendum ſit de Libro de Nominibus Hebraïcis, déque Notis & Commentariis Martianæi.

I. POSTQUAM quid de primo volumine Operum *Hieronymi* videretur liberè atque apertè proloquuti ſumus, ad ſecundum eſt nobis deveniendum; de quo ſententiam pariter dicemus, interea dum ſequentia prodeunt, de quibus tum deliberabimus, cùm lucem publicam viderint. Major quidem fuit, in hoc edendo, labor *Martianæi*; at feliciorem nemo dixerit, qui rerum peritus id paullò attentiùs evolverit. Multa huic de ſuo adſuit, & præter conſuetudinem Commentarios grandiori charactere, quàm eſt ipſe Hieronymianus contextus, adjecit, quò moles ejus augeretur; at quibus ſine ullo damno & *Hieronymus* & Reſpublica Litteraria carere poterant; ita ut emtores hujuſce editionis pretium, ſine ullo

ullo uſu ſuo, auctum eſſe ubique clamitent, & paullò doctiores contaminatum laciniolis Monachi nugis graviter querantur. Videant ergo Benedictinorum quidem Præfecti, quî hiſce querelis, ad ſequentia volumina quod attinet, ſint ſatisfacturi; Bibliopolæ verò meliùs ſuis rebus conſulant, quàm ut tanto ære Martianæi centones excudant, quos profectò non vendent, ſi ita pergat. Omnes enim præferent veteres editiones, tantâ alienæ farraginis mole non onuſtas; niſi ſi quis vir doctus, in hocce noſtro Belgio, aut in Anglia, novam ejus editionem emittere aggrediatur, quod poterit quidem fieri, niſi ſibi caveant & Benedictini & Typographi Pariſienſes.

II. PRIMUM opus, quod in hoc ſecundo volumine conſpiciendum ſe præbet, eſt Liber de Nominibus Hebraïcis, quem exigui eſſe pretii jam antea diximus, atque oſtendimus. Sed paullò accuratiùs de eo hîc nobis agendum eſt, expendendúmque ante omnia quid de ejus utilitate habeat *Martianæus* Comment. Cap. II. §. 2. Deinde ipſum librum conſiderabimus, & quid in eo vertendo ac augendo præſtiterit *Hieronymus* videbimus. Po-

 ſtremò

ſtremò quid contulerit ad ejus illuſtrationem Monachus noſter, quidve ſit ab eo omiſſum oſtendemus, ut is liber minùs inutilis, quàm eſt, fieri poſſet.

III. Ut libri utilitatem oſtendat, profert locum *Origenis* ex Tom. V. in Joannem: Χρήσιμον δ' ἂν ἦν, ὥσπερ ἐπὶ πολλῶν ἡ τῶν ὀνομάτων ἐνέργεια, οὕτω καὶ ἐπὶ τοῦ τόπου τὸ ἰδεῖν ὅ, τι σημαίνει ὁ Ἰωάννης καὶ ὁ Ζαχαρίας: *utile autem eſſet, quemadmodum in multis nominum poteſtas*, (non *efficacia*, ut abſurdè habet *Martianæus*, vocem non ex uſu, ſed ex etymologia vertens) *ſic & in hoc loco videre quid ſignificent Joannes & Zacharias*. Hoc eſt ſanè utile, 1. cùm in Scriptura alluſio fit ad ſignificationem Nominis; ſed quod rarum eſt, ſi conferatur cum multitudine Nominum propriorum quæ leguntur in Scriptura: 2. ſi ex Nomine poſſit probabilis conjectura proponi de re ipſa, & quæ certis Veterum monumentis confirmetur. Multa ex Nominibus, exempli causâ, feliciter eruit *Sam. Bochartus* in Geographia Sacra & Hierozoïco, quia cum Etymologia Nominis conjunxit ſummam antiquæ Hiſtoriæ, Vetuſtatiſque Sacræ & profanæ peritiam. Cujus veſtigia ſe-

ſequuti, varia etiam nos quoque deprehendimus, quæ nondum ſat nota erant. Sæpe etiam intelligenda nobis eſt ſignificatio Nominum, ut alluſiones Scripturæ Sacræ adſequamur. Niſi quis ſciat, verbi causâ, quid ſignificetur voce *Petrus*, non intelliget alluſionem Chriſti ad id nomen, quæ exſtat Matt. XVI, 18. At quiſquis ſcire volet, eum non oportebit confugere ad Librum Nominum, in quo vox Græca Πέτρος abſurdè vertitur ἐπιλύων, ἢ ἐπιγνοὺς, *diſſolvens, ſive agnoſcens*, ut habet *Hieronymus*. Ceterùm in quovis nomine quærere rationem nominis, eámque ex incertiſſima Etymologia, eſt cum ratione inſanire.

IV. ALTER locus *Origenis* profertur ex Tom. VIII. in Joannem, ubi de Gergeſa, ad quam Chriſtus paſſus eſt in porcos irruere Cacodæmonas: Ἑρμηνεύεται δὲ ἡ Γέργεσα παροικία ἐκβεβληκότων, ἐπώνυμος οὖσα τάχα προφητικῶς, οὗ περὶ τὸν Σωτῆρα πεποιήκασι, παρακαλέσαντες αὐτὸν μεταβῆναι ἐκ τῶν ὁρίων αὐτῶν, οἱ τῶν χωρίων πολῖται: *Vertitur autem Gergeſa*, habitatio eorum qui ejecerunt, *fortaſſe propheticè nomen ſortita, ab eo quod fecerunt Servatori, locorum incolæ, qui orarunt eum egre-*

di è finibus ſuis. At τῷ τάχα *Origenis* objiciemus noſtrum τάχα, dicemúſque *fortaſſe* eſſe ſomnium; neque enim neceſſe eſt ut illa Gergeſenorum actio ſit prophetice, nomine urbis, præſignificata. Deinde in voce *Gergeſa* invenimus quidem Radicem גור *gour*, quæ ſignificat *habitare*, quò reſpicit vox παροικία; at è ceteris litteris nulla Radix erui poteſt, quæ ſignificet *ejicere*. Quamobrem hac in re fucus eſt à Magiſtro Judæo *Origeni* factus. In Lexico Origeniano Martianæi, malè legitur πάροικοι ἐκκεκληκότες, pro ἐκβεβληκότης, ut liquet ex allato *Origenis* loco. Oculis errantibus Librarii miſcuerunt K & B, quæ in MSS. interdum non multùm differunt. Sed quod mireris, altera profertur ibidem planè contraria interpretatio; nempe, παροίκων προσαγωγὴ, *advenarum acceſſus*. Similiter *Hieronymus* habet duplicem hanc Etymologiam: *Colonum ejiciens*, *ſive advenam propinquantem*. Si contigiſſet Gergaſenos Chriſtum finibus ſuis libenter excepiſſe, poſteriorem Etymologiam urſiſſet *Origenes*, qui contrariam eſt ſequutus; uſque adeò commoda eſt hæc ex ignotis Etymologiis ratiocinatio!

Non-

Nonnulla poſtea ſubjicit, quæ pertinent ad emendationem Nominum propriorum, in Græcis Bibliorum Codicibus, cui utile eſſe potuit Lexicon Nominum; ſi modò ipſum emendatè ſcriptum ſit, quod non poteſt ſciri niſi à Linguæ Hebraïcæ peritis; nam nec commenticiæ originationes quidquam ei rei proſunt, nec veræ intelliguntur ab aliis, quàm ab Hebraïcæ Linguæ ſcientibus. Liquet hoc ex hoc ipſo *Origenis* loco, in quo mendoſiſſimè nomina propria ſcribuntur, *Geſon*, & *Gerſon* pro *Gerſom*, & *Aeman* pro *Æthan*, quamvis prioris nominis Etymologiam tradiderit.

Tum aliis additis hæc habet: *οὐ καταφρονητέον τῶν ὀνομάτων, πραγμάτων σημαινομένων ἀπ' αὐτῶν χρησίμων τῇ τῶν τόπων ἑρμηνείᾳ*: *non contemnenda ſunt nomina, cùm res iis ſignificentur utiles interpretationi locorum.* Quòd non diffitemur nonnullis in locis verum eſſe, ubi Scriptura manifeſtò alludit ad Nominum ſignificationes, aut rerum natura cum iis conſentit, vel Hiſtoria priſca congruit; ut jam obſervavimus. At inane eſt ex quovis nomine allegorias captare, ſtultúmque ex ejus ignota ſignificatione conſectaria elicere: ut faciebant olim

Origenes & Origeniſtæ Linguæ Hebraïcæ planè imperiti, qui Libro Nominum, eam in rem, abutebantur.

V. Loca Auctoris Quæſtionum ad Orthodoxos, & *Auguſtini*, de utilitate Libri Nominum, non expendam; quia quæ de *Origene* dicta ſunt, ea eſſent de iis repetenda, minórque eſt horum auctoritas, quòd ne minimâ quidem aurâ eruditionis Hebraïcæ eſſent affiati. *Hieronymus* quidem hunc Librum laudat, at ſtudio captandarum Allegoriarum, etiam ex iis Etymologiis, quibus meliores norat; quod ſi quis laudare ſuſtineat, profiteor nihil mihi rei cum eo eſſe, ſcribo enim hominibus Ratione ſua ſponte abuti nolentibus; non iis qui ſúſque déque habent, quid defendere, aut oppugnare aggrediantur.

Verùm profertur locus ex ejus Commentario in Cap. XXIII. Jeremiæ, cujus loci hæc ſunt verba: *Ex verbis autem & interpretatione Nominum ſæpe res oſtenduntur, ut Abraham, Saræ & Petri & filiorum Zebedæi vocabula commutata ſignificant rerum commutationem.* De hiſce, aliíſque ejuſmodi nominibus, nulla eſt mihi cum quoquam controverſia.

Sub-

Subdit: *& in hoc eodem Propheta, Phaſſur dicitur pavor ſive tranſlatio, & colonus ſive peregrinus*; hoc eſt, qui priùs vocabatur פשחור *phaſchhour*, dictus eſt poſtea מגור *magor*, id eſt, *pavor* &c. Duo in hiſce verbis *Hieronymi* deſunt, quæ nequaquam prætermittenda fuerant. Prius eſt. hunc Sacerdotem non tantùm, pro *Phaſchhure*, dictum eſſe *Magor*, ſed מגור־מסביב *Magor-miſſabib*, quod ſignificat, *timorem undequaque*: alterum, hac poſitâ additione, ſignificationibus *tranſlationis*, *coloni*, aut *peregrini* nullum ſupereſſe locum; quia edita vera nominis originatio, quæ unica eſt, ceteras omnes excludit. Hanc autem eſſe veram nobis Etymologiam nos docet Jeremias Cap. xx, 3. *Dixit illi Jeremias: Jehova non vocat nomen tuum Phaſchhour, ſed Magor-miſſabib. Nam ſic ait Jehova: ecce objicio tibi pavorem, tibi & omnibus tui amantibus; cadéntque gladio hoſtium ſuorum, quod oculi ſui videbunt* &c. Habet ad hunc locum *Hieronymus: mutatur autem nomen Pontificis, ut ex nomine futurum ſupplicium demonſtretur. Nequaquam, inquit, habebis nomen oris nigredinem* (quaſi derivandum ejus nomen eſſet

ex פרה phe, *os*, & שחור, *nigrum*) & *iniquæ imperium poteſtatis*, *ſed captivus duceris in Babylonem*; *hoc enim ſignificat* pavor undique, *ſive* per circuïtum; *ut tremens & propriæ ſalutis incertus huc illúcque circumſpicias*, & *venientes contra te adverſarios reformides*. *Pro pavore*, *quod in Hebræo ſcriptum eſt* MAGUR, *Septuaginta & Theodotio* μέτοικον, *id eſt*, migrantem,. *Aquilæ ſecunda editio* peregrinum, *prima* circumſpicientem, *Symmachus* ablatum, *ſive* congregatum, & coactum *interpretati ſunt*. Haſce omnes interpretationes, exceptâ eâ quæ *pavorem* vertit, à Librorum Sacrorum uſu diſſentire Concordantiæ & Lexica docebunt. Non ſatis eſt Radicis ſignificationes ab ea, quæ Derivato tribuitur, non abludere; ad hoc accedat oportet exploratus uſus, aut certè neceſſitas locum quempiam certo modo vertendi. Ad vocem verò *Phaſchhur* quod attinet, nullum eſt, in verbis Jeremiæ, vel evanidum veſtigium, ex quo conjicere liceat Prophetam ad ejus ſignificationem reſpexiſſe. Adde quòd ſunt aliæ originationes vocis, Hieronymiana nequaquam deteriores, ex quibus vertitur: *extendens*, vel *multiplicans libertatem*,
vel

vel *principatum*, aut *expandens foramen*, vel *alborem*; quæ exſtant in Indice Nominum Polyglottorum Londinenſium Tomo VI. ſubjecto. Derivatur, nimirum, à Radicibus פוש *phouſch* & חור *hhour*.

Cetera quæ habet *Martianæus*, de peccatis à viris doctis Hebraïcè neſcientibus, non attingam; cùm potuerint tutiùs caveri, modicâ Linguæ Hebraïcæ cognitione, quàm Libri Nominum lectione; cui non temerè fidendum, cùm falſis eum ſcatere Etymologiis ne ipſe quidem *Martianæus* diffiteatur.

VI. PRIMUS *Philo* Alexandrinus collegerat nomina propria Veteris Teſtamenti, ut nos docet in Præfatione ſua *Hieronymus*. Deinde *Origenes* eam collectionem auxit. Denique Stridonenſis Presbyter, cùm diſſona inter ſe exemplaria inveniſſet & confuſum ordinem, *rei ipſius utilitate commotus*, ut ait, *ſingula Scripturarum volumina percucurrit, & vetuſtum ædificium novâ curâ, inſtauravit.* —— *Ac ne fortè conſummato ædificio quaſi extrema deeſſet manus, Novi Teſtamenti verba & nomina interpretatus eſt, imitari volens ex parte Origenem.* —— *Inter cetera enim ingenii ſui*

 præ-

præclara monumenta, *etiam in hoc laboravit*, *ut quæ Philo quaſi Judæus omiſerat*, *hic*, *ut Chriſtianus*, *impleret*. Itaque *Origenes* Nomina Novi Teſtamenti addiderat collectioni Philonianæ; ſed aut ea non erat interpretatus, aut non ſatis bene, judice Monacho Bethlchemitico, qui alioquin ea denuo interpretaturus fuiſſe non videtur. Quî enim ab alio jam rectè explicata interpretari ipſe neceſſe habuiſſet? Hinc ſequitur, ſi hic liber ſit *Hieronymi*, qualis in manus noſtras pervenit, interpretationem Nominum Novi Teſtamenti, aut totam ejus eſſe, aut certè partim, quod credere malim.

Ut à poſteriore hac parte initium faciam, ſi utilem operam Litterarum Sacrarum Studioſis ſe præſtare credidit *Hieronymus*, cùm hoc Opuſculum emendaret ac augeret, miror cur tam negligenter in eo ſit verſatus; præſtabat enim rem tantillam non attingere, quàm tam oſcitanter ea defungi. I. Hîc ſunt, ſine ratione, repetita multa vocabula, quæ jam in Nominibus Veteris Teſtamenti explicata fuerant: ut *Abraam*, *Aminadab*, *Abia*, *Aſa*, *Azaia*, *Amon* &c. Quòd ſi quis dixerit ideò repetita hæc nomina fuiſſe,

ut

ut ſingulos libros legentes, cupientéſque ſcire quid ea nomina ſignificarent, faciliùs ea invenirent; reſpondebimus huic incommodo multò meliùs obviam iri potuiſſe, ſi omnia omnino nomina, neglecto librorum Scripturæ ordine, ſecundùm litteras Alphabethi fuiſſent digeſta, ut in Indice Polyglottorum. II. Pravæ traduntur interpretationes Nominum Hebraïcorum, quæ deleri debuerant, ut quando ad Evang. Matthæi *Abraam* vertitur *pater videns populum*, quaſi eſſet אב ראה עם *ab roeh ham*; & ad Epiſtolam Jacobi, *patris videntis multitudinem*, ex qua Etymologia legenda ultima ſyllaba הם *ham*. Sic & *Iſraël*, vertitur *vir videns Deum*, & *Iſraëlitæ*, *viri videntes Deum*. Quæ abſurdæ ſunt Etymologiæ & Scripturæ contrariæ, ac proinde ab *Hieronymo*, ſi ſtudioſè hoc opus recenſuiſſet, fuerant jugulandæ. Talia ſunt multa, quæ paſſim occurrent. III. Quî potuit pati *Hieronymus* Nominum manifeſtò Græcorum & Latinorum tradi Etymologias Hebraïcas? Rectè in Quæſtionibus Hebraïcis ad Gen. XVII, 15. de argutia Græcanica quam nonnulli in nomine Sara quærebant; *Errant*, inquit, *qui putant Saram per unum*

unum R ſcriptam fuiſſe, & poſtea ei alterum R additum; & quia R, apud Græcos centenarius numerus eſt, multas ſuper nomina ejus ineptias ſuſpicantur; cùm utique, utcumque volunt ei vocabulum commutatum, non Græcam, ſed Hebræam debeat habere rationem, cùm ipſum nomen Hebraïcum ſit. NEMO autem in altera Lingua quempiam vocans, Etymologiam vocabuli ſumit ex altera. Sic nec merè Græca aut Latina ex Hebraïca Lingua licuit interpretari. Profectò ſine riſu nemo legere poſſit haſce interpretationes: Archelaus, *agnoſcens leo.* Blaſtus, *habens lucrum*, Codrantes, *caligo* vel *tenebræ.* Diabolus, *defluens.* Epheſus, *voluntas mea in ea.* Felix, *ruina facturæ.* Gallio, *transferens.* Herodes, *pelliceus*, *glorioſus.* Juſtus, *parcens*, ſive *ipſe allevatus.* Lucius, *ipſe elevans.* Macedo, *orientalis.* Niger, *adſcendens.* Petrus, *cognoſcens*, ſive *diſſolvens.* Rhode, *videns*, vel *fortis.* Stephanum, *normam veſtram*, vel *ſcopum veſtrum.* Tabernæ, *viſionis eorum*, vel *bona viſio.* IV. Hæc per ſe abſurda cùm ſint, abſurdiora cenſebuntur ab omnibus Hebraïcè eruditis, qui animadvertent facilè, quamvis eæ voces ſtatuerentur eſſe aut He-

Hebraïcæ, vel certè originis Hebraïcæ, non poſſe eas deduci ex vocibus ex quibus componi finguntur. Exempli causâ, concedamus (quod hîc in medio relinquimus) poſtremæ vocis, hoc eſt, *Taberna*, originem deducendam à voce Hebraïca תיבה *theba*, quæ *habitationem* ſonat; ut oſtendimus ad Geneſ. VI, 14. Terminatio RNA non eſſet quærenda in Hebraïca voce, neque enim, ut loquuntur Hebræi Grammatici, eæ litteræ ſunt radicales, magis quàm in voce *caverna* quæ deducitur à *cavo*, aut in *laterna* à *lateo*, aut in *Laverna* à *lavo*, hoc eſt, furor. Fateor *Hieronymum* aliquando monuiſſe violentas eſſe nonnullas Etymologias; ſed omnibus ejuſdem generis Etymologiis idem monitum fuit addendum, ne imperiti eas probari crederent; vel potiùs erant omnes delendæ, interpretandæque voces Græcæ & Latinæ, ſi hoc neceſſarium judicabatur, ex Linguis Græca & Latina. V. Hoc quoque, in hiſce Etymologiis, ferri nequit, quòd Nomina quæ inchoata ſunt à littera Hebraïca *Phe*, ſcribantur per F Latinum, quaſi unum idémque eſſent, cùm ceteroquin *Hieronymus* ſolcat ſemper eam exprimere per

PH

PH & in Verſione & in Commentariis. Ridiculum eſt omiſſam litteram P aut PH; poſitamque F, quæ in Lingua Hebraïca nulla eſt; & fortè, ut quod ſuſpicer aperiam, hic Liber à Monacho quopiam refictus, qui inchoata à PH retulit ad Litteram F. Idem tamen factum in Libro de ſitu & nominibus Locorum.

Quid in Nominibus Veteris Teſtamenti emendarit *Hieronymus* neſcio, nec puto ſciri poſſe à quoquam; niſi nactus fuerit exemplaria Græca, quæ conſtet ſimilia fuiſſe iis quibus uſus eſt *Hieronymus*, & niſi habeat exemplar quale ex hujus manibus prodiit. *Martianæus* quidem multis deſcribit atque extollit laborem quem ad eum è MSS. Codd. emendandum adhibuit, cùm ab *Eraſmo* & *Victorio* neglectus fuiſſet; ſed quidquid tandem præſtiterit, nemo negarit hunc Librum etiamnum plenum eſſe falſis ac violentis etymologiis, qui vel elementa Linguæ Hebraïcæ norit; quod jam multis oſtendimus ad Quæſtionem V. ita ut minimè opus ſit rem pluribus hîc demonſtrari.

VI. MARTIANAEUS non modò hunc Librum contulit cum MSS. Codicibus, ſed & ad latera adſcripſit in-

terdum

terdum Nomina Hebraïcis litteris, aut Latinis, & interdum etiam Græcis; ſubjectis in infimo margine notis, in quibus varias aliquot lectiones profert, & rationem reddit nonnullarum Etymologiarum, non tantùm Hebraïcorum vocabulorum, ſed etiam Græcorum ex Hebraïca Lingua ridiculè deductorum. Verùm ſi credidit hunc Librum tantæ utilitatis, quantæ eum voluit videri, debuit I. ubique Nomina Hebraïcè ſcripta addere, & quidem ſubjectis Maſſorethicis punctis, ut ex margine, nullo alio Libro adhibito, intelligi poſſet cùm veritas aut falſitas Etymologiæ Hieronymianæ, tum etiam diverſitas pronunciationis. II. In Notis adjicere omnia loca, hoc eſt, Capita & verſus, in quibus ſingula Nomina occurrunt. III. Omnium planè Etymologiarum rationem reddere paucis verbis, hoc eſt, verarum oſtendere fontes, falſas verò repudiare, ac meliores addere, quas petere potuit ex Indice Polyglottorum Sexto Volumini ſubjecto.

Si quæ utilitas ſit in Interpretatione omnium nominum, multo hoc utilius fuiſſet, quàm labor colligendi explicationes Nominum ex *Philone*

&

& *Joſepho*, aut fragmenta mendoſiſſima Græca libri Nominum colligere, quæ deteriora multò ſunt editione Hieronymiana. Non tamen vitupero hunc ejus laborem, vel quia hinc liquet quæ fuerit Græculorum & Latinorum, qui eos imitati ſunt, ineptia & inanis confidentia, qui ex tam vitioſis interpretationibus allegorias ſubinde captabant. Sed non fuit per ſe magni faciendus, ac Lectori venditandus, quaſi ſummo beneficio hac Editione affecto. Debuit etiam omnis illa farrago aliena ab *Hieronymo* ad calcem voluminis rejici, & minuſculis litteris edi; non interrumpere ſeriem Operum *Hieronymi*, eóque excudi charactere qui major eſt eo quo edita ſunt. Quis enim iis conſpectis, non judicet Hieronymiana eſſe appendiculam horumce collectaneorum?

Nolo hîc excutere notas *Martianæi*, in quibus multa carpi poſſent; neque enim hæc tanti ſunt, ut me, Lectorémve in melioribus tempus ſuum collocantem, detinere cum aliquo fructu poſſint. Duo tantùm animadvertam, quorum alterum ad Græca pertinet, alterum ad interpretationem eorum à Monacho Benedictino adornatam.

Côn-

Contendo igitur, Græca potuiſſe & debuiſſe emendatiùs edi. Non loquor autem de mendis typographicis, aut accentuum malè poſitorum, qualia permulta ſunt, & interdum, propter imperitiam aut nequitiam Typothetarum, vitari nequeunt; præſertim ſi quid è manuſcripto exemplari edatur; ſed de mendis Veterum Librariorum, quæ, cùm ſint manifeſta, non debent relinqui; niſi velimus edere quæ à nemine, non intelliguntur eſſe vitioſa, quæ eſſet præpoſtera fidei ſuæ oſtentatio. Nullus profectò Scriptor legi poſſet, ſine nauſea, ſi vel ex optimis MSS. eo modo ederetur; cùm nulla ſint quæ non ſcateant ejuſmodi vitiis. Statuo autem hìc à *Martianæo* rectè lectum atque expreſſum quod eſt in MSS. Codicibus, quia eos adire nequeo; quamquam facilè fieri poteſt ut lectionem Codicum adſequutus interdum non ſit, quam in rem aliquando opus eſt non vulgari Græcæ Linguæ cognitione.

VII. IN I. Fragmento Nominum, legimus πεπίϛευμαι ὡς ἀληθῶς, at cùm verterit *Hieronymus*, *verè* ſive *fideliter*, liquet eſſe legendum πεπιϛευμένως, ἀληθῶς. Sic habet & *Suidas*, ſine dubio ex Origeniano Lexico; nec

ullus eſt ſenſus in lectione *Martianæi*, qui πεπίστευμαι perperam vertit *credidi*, cùm ſignificet *mihi creditum eſt.*

In II. Fragmento, eſt Ἰωσὴφ προστήθων, quod vertitur *apponens*, cùm vox Græca non ſit. Legendum aut προστιθεὶς, aut προσθήσων, *additurus.* In eadem pagina, occurrit Ναζηραῖος, ἐξισθισμένος. De priore voce nihil dicam, ſed nego ἐξισθισμένος eſſe vocem Græcam. Interpretatur *Martianæus obſtupefactum*, quaſi eſſet ἐξιστάμενος, quod nihil planè facit ad ſignificationem vocis Hebrææ. Cùm verbum Νάζαρ poſtea flos vertatur, crediderim legendum ἐξανθισμένος, quaſi *floribus variegatus.*

In III. Fragmento, occùrrit nomen proprium Σὶθ, quod ſolent alioqui Græci ſcribere Σὴθ. Quamobrem ita fuit emendandum, cùm notiſſimum ſit in MSS. Codicibus Græcis H & I. ſubinde miſceri; quod non rarò, in his ipſis Nominum Lexicis, deprehendere eſt. Hac in re, à *Bonfrerio* & *Martianæo* alibi peccatum obſervavimus ad Quæſt. III, 16.

In IV. Fragmento, legimus Νάγων (pro Μαγὼγ) πᾶν ἔθνος, ἢ παμφιλί. Aut oportet πᾶσα φυλὴ, aut παμφυλία. Sic enim eſt in Lexico, ἢ πᾶν

ἔθνος

ἔθνος ἡ πάσαι φυλαὶ. Quid ſibi vult *Martianæus* voce *pamphiles*, quâ vertit depravatum παμφυλί? Nam à voce Παμφυλία formatur *Pamphylus* & *Pamphylius*, non *Pamphyleus*, ut docebit *Stephanus* Byzantinus, in Ethnicis.

In V. Fragmento, Βελίαρ vertitur ἐκζητής, pro ἐκζητητής, *quæſitor*.

Ibidem *Elkana* eſt ἰσχύοντα δόξης, quod quid ſit neſcio, nam *gloria potens* Latinè verti non poteſt, quamquam ita habet *Martianæus*. In Lexico vertitur Θεῦ κτῆσις ἡ δόξα (ſic enim ſcribit *Martianæus*) unde colligere licet legendum ἰσχύοντος δόσις, aut δῶρα, ut vox deducatur ab אל el, *potens* & חנן hhanan, *gratificatus eſt*, *dedit*.

In eodem Fragmento, nemo non videat hæc eſſe corrupta: παρέθεντο ἐν τῷ βῆ, τῷ διαβόλῳ τῷ λεγομένῳ, ſed facile omnes intelligunt pravam eſſe *Martianæi* verſionem, quæ ſic habet: *commendavit in Bê, Diabolo dicto*. Videtur ab eo, ex quo hæc deſumta ſunt, mentio facta de eo quod in Hiſtoria *Bel*, vel *Belis*, narratur; nam quotidie παρέθεντο τροφαὶ ἐν τῷ Βὴλ ἱερῷ, *apponebantur in Beli Templo cibi*, quos abſumere credebatur. Abſur-

dum eſt quod *Martianæus* habet in notis : Βῆλος *per contractionem dici potuit* βῆ, ut *ſonaret dæmonia & idola Ethnicorum.* Nam ejuſmodi contractio Græcè non fit, & multo minùs Hebraïcè.

Χερουβὶμ vertitur πτερὶξ ſed legendum πτερὺξ, *ala.* ι & υ paſſim miſcentur à Librariis, quòd poſteriori ætate ſimiliter pronunciarentur.

In Lexico Nominum Hebræorum, Baalzebul dicitur eſſe δαίμων καπελεὺς, quod fecit *Martianæus* ex κακελεὺς, quæ lectio eſt Regii Codicis. At ſaltem ſcribere debuit καπηλεὺς, cùm *cauponarium* vertat ; dicimus enim καπηλεύειν, ἀπὸ τοῦ καπήλου, *à caupone.* Sanè, quod prætermiſit Editor, זְבוּל ſignificat *diverſorium*, ſeu *cauponam.* Crediderim, ex hoc loco, emendandam interpretationem, quæ legitur in V. Fragmento, ubi hoc idem Numen dicitur fuiſſe δαίμων βακηλώσεων, quod factum videtur, litterarum metatheſi, & mutatione τοῦ π in β, & τοῦ ευ in ω, ex καπηλεύσεων.

Galaad, in eodem Lexico, eſt κατοικία, μαρτυρία ἰάσωνος, *habitatio teſtimonium Jaſonis* ; ubi ſuſpicatur Benedictinus Monachus legendum Ἰακώβου *Jacobi*, quià Jacobus nomen huic

huic loco impoſuit, non neſcio quis Jaſon.. Sed ut erueret veram lectionem loci, debuit dumtaxat Græcè vertére verba *Hieronymi*, qui hanc vocem verè interpretatur *acervus teſtimonii*, hoc eſt, Græcè, μαρτυρίας σωρός, unde abſurdè factum ab indocto Librario μαρτυρία ἰάσωνος. Non opus erat magno acumine Critico, ad hunc locum reſtituendum.

Ermone, aut potiùs *Hermon*, dicitur ἀνατεθεματισμένος, ἢ φῶς μετέωρον, *anathematizatus*, aut *lumen ſublime*. Legendum omnino ὄρος μετέωρον, *mons altus*, nam notiſſimum erat ita ab accolis vocatam partem Anti-Libani montis, eáque eſt vocis Arabica ſignificatio, ut oſtendimus ad Deuter. III, 9.

Neſcio quare in contextu relictum fuerit Ἰσαὰκ, γέβων καὶ χαρὰ, cùm manifeſtum ſit legendum γέλως *riſus*, ut vertit *Martianæus*, poſt *Hieronymum*. Hoc demum eſt non religiosè edere quod invenias in MSS. Codicibus, ſed ſuperſtitiosè menda ipſa Librariorum conſecrare. Quod ipſum etiam ubique faciendum erat; ſi hîc locus tam manifeſtò corruptus non fuit emendandus. Talia menda manifeſta ſunt ad oram, aut in Notas rejicienda.

Similis eſt ſuperſtitio, an inſcitia? in voce Ἰτουρέα, pro Ἰτουραία, prior enim terminatio Græca non eſt.

Quid verò dicemus de voce Κίνσος, ἀπογραφὴ, quam neſcivit *Martianæus* eſſe vocem Latinam *Cenſus*, quæ Κῆνσος ſcribi ſolet à Græcis, ut Matt. XVII, 25. XXII, 17, 19. & quam perperam emendare propterea conatus eſt? *Nullum eſt*, inquit, *nomen* Cinſus, *interpretatióque ipſius ſatis innuit* Κίνσος *poſitum eſſe pro* Κυρήνιος; *nam cùm Lucæ II*, 2. *ſcriptum ſit deſcriptionem primam factam fuiſſe à Cyrino Syriæ præſide, putavit fortè amanuenſis Græcus*, ἀπογραφὴ *interpretatum eſſe ejus nomen. Nolim tamen contendere in rebus dubiis ac incertis.* Verùm quod hîc dicitur non eſt *dubium*, *ac incertum*, ſed ſine dubio falſum: ut contrà exploratæ eſt veritatis quod antea à nobis dictum eſt, de voce Κῆνσος, pro qua malè ſcriptum Κίνσος. Si ego, aut *David Clericus* ſimile quidpiam admiſiſſemus, de nobis triumpharet Monachus; cui hoc tamen non ægrè ignoſcemus, ſi modò melioribus detrahere aliquando deſinat.

Κόσυμβος dicitur eſſe ὡς μανίσκος ἐλλόγος τοὺς ἔχων ἀμφίκυρτα, quæ non vertit, ut nimis corrupta, *Martianæus*.

Vi-

Videtur legendum *ὡς μηνίσκος, ἐπ' ὤμοις συνέχων ἀμφίκυρτα, ut lunula quæ in humeris continet ligna utrimque incurva*, quibus oneta nonnulla feruntur. Qua de re, vide *Suidam*, *Æm. Porti.*

Σειρῆναι dicuntur οἱ ἀκιδόνες. Suſpicatur *Martianæus* hîc legendum κακοδαίμονες, ſed nimis hoc abeſt à Scriptura Codicis. Duplex, niſi fallor, hîc eſt mendum, nam primùm legendum Σειρῆνες, ex perpetuo uſu Linguæ Græcæ & ipſorum LXX. Interpretum; deinde ἀκιδόνες mutandum in ἀλκυόνας, halcyonas, aut ἀλκηδόνας, utrumque enim videntur dixiſſe antiquiores Græci, unde Latini fecerunt *halcedones*. Sic interpretati ſunt vocem σειρὴν *Chryſoſtomus* & *Cyrillus* Alexandrinus, ut oſtendit *Sam. Bochartus* Hierozoïci Part. 2. Lib. II. c. 14 Idem obſervat in Veterum Scriptis ἀλκυόνας & ἀηδόνας ſæpe à Librariis miſta; quod factum videtur propter affinitatem ἀλκηδόνων & ἀηδόνων, ad ſonum quod attinet, & quia ἀλκηδόνες minùs erat uſitatum; quæ res peperit innumera menda, dum Librarii ignotis vocibus notas ſubſtituunt.

Τρύφενα ſcriptum eſt pro Τρύφαινα Rom. XVI, 12.

In altero Origeniani Lexici exemplari, abſurdè ſcribitur ἀμὶν, γένοιτο, pro ἀμὴν. Talia menda ſi relinquantur in Libris Græcis, qui è tenebris in lucem protrahuntur, omnia planè Librariorum παραγράμματα, quæcumque ſint, erunt oculis Lectorum objicienda, nulla enim ſunt evidentiùs mendoſa.

Intolerandum quoque eſt mendum σκοτιγῆ pro σκότια γῆ, *tenebroſa terra*, in voce Αἴγυπτος. Nam qui, apud *Martianæum*, σκοτιγῆ formatum vult ex σκοτία & γῆ, illi auctor ſum ut legat Alphabethum *Angeli Caninii*, ex quo diſcat analogiam compoſitionum Græcarum. Ab eodem diſcet vocem Græcam, quæ proximè ſequitur, διώκτρια non eſſe *perſequutionem*, ſed, ſi ita loqui licet, *perſequutricem*; nam à ποιητὴς, *poëta*, ποιήτρια non eſt *poëſis*, ſed *poëtria*, ut à ψαλτὴς *cantor*, ψάλτρια non eſt *cantus*, ſed *cantrix*; ab αὐλητὴς *tibicen* αὐλήτρια non eſt *tibiæ ſonus*, ſed *tibicina*.

Τίγρις dicitur ὀξύτατον πνεῦμα *atutiſſimus ſpiritus*, ut vertit abſurdè *Martianæus*. Legendum ὀξύτατον ῥεῦμα, hoc eſt, *celerrimum fluentum*, nam Tigris fluvius eſt, non ventus. Antea in ſuperiore Lexico, rectè inter-

terpretatus erat, in eodem nomine ὀξύτητα, *celeritatem*; at in I. Fragmento omnium abſurdiſſimè ὀξύτητος πνεῦμα, *acuminis ſpiritus.* Unde hæc vertendi naſcatur inconſtantia Lectoribus conjiciendum permitto.

VIII. SED plura danda ſunt ſpecimina peritiæ Monachi noſtri, in vertendis Græcis, ut liqueat, quàm prudenter Græca Lexica convertere aggreſſus ſit. Attamen, ne quid diſſimulem, miratus ſum in I. Fragm. in voce Γὰδ, πειρατήριον, ab eo rectè converſum *prædonum receptaculum*; cùm *Hieronymus* malè vertiſſet *tentatio*, quaſi veniret ἀπὸ τοῦ πειράζειν *tentare*, quod reſpuit ſignificatio Hebraïca vocis גד *gad*. Simul gratiam habui *Martianæo*, quòd hæc Græca ediderit, unde intelligere licuit erroris Hieronymiani, cujus antea memini, originem; quo, ex malè intellecta voce Græca, perperam Hebraïcam eſt interpretatus; unde ridicula allegoria nata eſt, in Epiſtola ad Fabiolam de XL. manſionibus.

In voce *Bethphage* ἐπιτυχίαν transfert *occurſum*, cùm ſignificet tantùm rei optatæ *adeptionem*, *felicem ſucceſſum*, ut vertit ipſe *Martianæus* in V. Fragmento.

Vocem Πέτρος malè quidem Græcus Nominum interpres explicuit ἐπιλύοντα, quaſi eſſet vox Hebraïca; ſed pejus *Hieronymus* & *Martianæus* Græcam interpretati ſunt *diſſolventem*. Nam ἐπιλύων hîc eſt propriè *interpretans* rem obſcuram, manifeſtum enim eſt Interpretem reſpicere ad Radicem Hebraïcam פתר phathar, *interpretatus eſt*, ſomnium, puta, aut ſimile quid. Vide Gen. XLI, 8. ubi LXX. Intt. voce ἐπιλύειν utuntur, ad eam convertendam. Ipſe *Martianæus*, inconſtantiæ Hieronymianæ imitator, ad ſecundum Fragmentum vertit *explicans*. Similem errorem erravit vir πολυγράφος *Lud. Thomaſſinus* in Gloſſario Univerſali, hoc eſt, inexhauſto abſurdarum Etymologiarum promtuario; nam ad radicem פטר phatar, *aperuit*, *laxavit*. *Hinc* Πέτρος, inquit, *Petrus Apoſtolus*, *apud Heſychium*, ἐπιλύων, *quod claves habeat & cœlos aperiat*. Poſſent & alia innumera in eo Opere, atro carbone, notari, ſi hoc ageremus.

Paullò pòſt, in eodem Fragmento, hæc leguntur: Ἰωάννης, ἐχαρίσατο Ἰαω, ὅ ἐστι. χάρις Θεοῦ, hoc eſt, *gratificatus eſt Iao*, *id eſt*, *gratia*, aut *beneficium Dei*. Reſpicit manifeſtò Interpres

pres ad Etymologiam Origenianam, de qua diximus ad Quæſt. II. §. 10. & vocula ἰω̃ eſt nomen יהוה *Jahavo*, quod nunc ſolet *Jehova* pronunciari. Ridiculè vertit *Martianæus*, voculam ιω minimè adſequutus: *Joannes gratificatus fuit*, *Joannes in quo eſt gratia Dei.*

Andreas dicitur perinde eſſe ac δύναμις εὐπρεπὴς, hoc eſt, *potentia decora.* Vertit noſter *virtus decorè eximia*, & paſſim δύναμιν ſic interpretatur, quaſi eſſet idem ac ἀρετή. Scio ita loqui Vulgatum Interpretem, ſed quid opus erat & barbarè & ambiguè loquentem imitari, cùm perſpicua & Latina vox, eo ſenſu, ad manum eſſet? Sed quod magis mireris, in II. Fragmento in voce *Aaron*, δύναμιν vertit *fortitudinem*, quaſi *potentia* & *fortitudo* idem eſſent.

In voce *Chetthæi*, ἐξιςῶντες ἀνόμων vertit *obſtupefacientes iniquos*; quaſi etiam apud Græcos, participia activa genitivum regerent.

In Fragmento II. ad vocem *Bethſaida*, ἐπισιτισμὸς vertitur *cibus*, perinde ac ſi prorſus idem eſſet ac σῖτος, cùm ſit *commeatus*, vel victus pluribus paratus, ut exercitui, aut ſaltem iter facienti, ſeu *viaticum.*

Non

Non intelligo cur in III. Fragm. ad vocem *Arphaxad*, προφητεία ὁρωμένη, ſit *prophetia concitata*, niſi fortè mendum ſit pro *conſpecta*.

Inter filios Judæ *Er*, convertitur δρυμὸς, ὅπου θηριώδους, hoc eſt, interprete *Martianæo* noſtro, *Sylva*, *ubi belluæ*, quaſi θηριώδους idem eſſet ac θηρία. Sed lége τόπου θηριώδους, *loci feris relicti*, conſtabúntque & ſenſus & conſtructio.

In eodem Nominum catalogo, *Benjamin* debuit dici υἱὸς δεξιᾶς, ſi vertendum fuit *filius dextræ*; ut ſi dicatur υἱὸς δεξιὸς, ut edidit *Martianæus*, vertendum eſt *filius dexter*, quod aliud ſignificat.

In IV. Fragm. & alibi ad vocem Ἰωβὴδ, (pro Obed) ὑποτασσόμενος vertitur *ſubordinatus*; quia invenit Editor in Lexico τάσσω *ordino*, unde collegit ὑποτάσσω eſſe *ſubordino*. At non ſunt vertendæ Etymologiæ, ad inſtar *Aquilæ*, quem meritò propterea caſtigavit Presbyter Stridonenſis; cujus monitum malè ſprevit, aut neglexit noſter. Ὑποτασσόμενος eſt *ſubditus*, *ſubactus*, *parens*, ut omnes norunt, qui elementa Græcæ Linguæ ſciunt.

Aſaph (hoc eſt, Aſa Rex Judæ) convertitur μύρτον, quia אסא *aſſa*, apud Chal-

Chåldæos & Arabas, *myrtum* ſonat; tum hæc adduntur: ὥσπερ γὰρ τὸ μύρτον θεωρεῖται καὶ χειμῶνος εὐθαλὲς, καὶ εὐῶδες, οὕτω καὶ ἡ ἱστορία τῶν δικαίων: *ſicut enim Myrtus*, verba ſunt Martianæi, *viſitur etiam tempore hyemis florens & bene olens: ſic & hiſtoria juſtorum.* Verte, *ſic eſt etiam conſpectus juſtorum*, hoc eſt, ejuſmodi eſt eorum externa ſpecies; nam ut ἱστορεῖν ſignificat interdum *videre*, ſic ἱστορία dicitur aliquando *conſpectus*; quem ſignificatum ipſa comparationis ratio hîc poſtulat.

In V. Fragmento, legimus: ἐν γῇ Ναὶμ, ἐν γῇ ὑπνούντων, *in terra Naim, in terra dormientium.* Vox quidem *Naim* mendosè ponitur pro *Naïd*, nam (quod obſervatum oportuit à Martianæo) locus eſt deſumtus ex Gen. IV, 16. ſed *Origenes* aut alius, qui, mendoſo Codice deceptus, quæſivit à Judæo quid ſignificaret *Naim*, non omnino malè reſponſum accepit, eâ ſignificari *dormientes*, nam נום *noum* eſt *dormiturire*. Cur ergo *Martianæus* vertit *laudantium*, quaſi eſſet ὑμνούντων? Nimirum, feſtinavit, quod ei quidem, quaſi facinus minimè ignoſcendum, non exprobro, ſed ut hinc intelligat faciles eos eſſe oportere

tere erga alios, qui venia tam ſæpe indigent.

In Lexico Origeniano Nominum Hebraïcorum, ad nomen *Aminadam* (hoc eſt, *Aminadab*) vertitur ὁ λαὸς εὐδόκιμος, *populus placidè acquieſcens*, quaſi ſignificatus hujus Adjectivi ſit petendus ex poteſtate Verbi εὐδοκέω, aut Nominis εὐδοκία, non verò ex conſtanti uſu, ex quo ſignificat *laudatum*, *probatum*, *illuſtrem*; quæ ſignificatio non procul diſcedit ab eo quod ſonat Hebraïca vox נדיב *nadib*, quæ principem, ac inſignem virum deſignat.

Qui de Linguæ, quam non longo uſu continentéque optimorum Scriptorum lectione, ſed tumultuario ſtudio didicerunt, aut potiùs delibarunt, aliquid commentantur, ſolent ad Dictionaria confugere, ſi quid vel minimæ difficultatis occurrat; ut eorum, de quibus dubitant, certam ſibi comparent cognitionem. Quod equidem minimè reprehendo, imò verò maximè probo; verùm cavere ſibi debent, qui nimis frequenter Lexicis indigent, ne ſcribant de rebus quas aliunde non norunt. Alioqui vocum ſignificata ſatis ſecernere, pro locis, non poſſunt, & inauditas loquutiones

nes confingunt. Exempli cauſâ, cùm *Martianæus* neſciret quid eſſet βεϐλαμμένος ad ſuum confugit Lexicon, ubi invenit βλάπτεσθαι eſſe *jacturam*, *damnum pati*. Itaque, in voce *Aznan*, vertit βεβλαμμένον καρδίᾳ, *corde damnum paſſum*, quam loquutionem nemo umquam audivit, nemo uſquam legit, antequàm ex Benedictini calamo prodiret. Atqui βλάπτεσθαι propriè eſt *vulnerari*, & conjunctum cum voce, quæ *cor* ſignificat, vulnus lethale illatum ſonat; deinde tralatitiâ poteſtate animum ita eſſe perturbatum, ut ſolito acumine non utatur. Sic *Homerus* dixit de Sarpedone, lethali vulnere proſtrato, Iliad. π. verſ. 660. ἐπεὶ βασιλῆα ἴδον βεβλαμμένον ἦτορ, *poſtquàm Regem viderunt vulneratum corde*. Apud eumdem Poëtam, Iliad. O. verſ. 724. ἔβλαπτε φρένας εὐρυόπα Ζεύς, *lædebat animos latè proſpiciens Jupiter*; hoc eſt, immiſſo terrore, impediebat, quominùs judicio noſtro rectè uteremur. Quâ loquutione & alibi utitur Poëta. Similiter vocem אונן *onan* Interpres Nominum deducens ab און *triſtitia*, *dolor*, vertit βεβλαμμένον καρδίᾳ, hoc eſt, cui præ triſtitia deeſt animus, aut judicium.

Galgala vertitur πειρατήριον, quod

ex-

experimentum convertit *Martianæus*, cùm antea interpretatus ſit *prædonum receptaculum.* Conſtantior eſſe debuit, nam ſine dubio legendum hîc ΓΑΔΓΑΔ, pro quo factum ab imperito ΓΑΛΓΑΛ, vidimus enim Γὰδ verti πειρατήριον. Locus eſt in quo caſtra metati ſunt Iſraëlitæ, ut docemur Num. XXXIII, 32. Perſpicua etiam eſt ratio interpretationis, cùm Hebraïca radix גדד *gadad* ſignificet *catervatim convenire*, Gadgad autem vertatur συνοχλούμενοι (ſic enim legendum, non συνοχόμενοι quæ vox Græca non eſt) ἢ συναγόμενοι, *in catervam collecti, aut congregati*, quemadmodum ſunt prædones, εἰς πειρατήρια. Itaque malè cum hac voce comparata eſt, ex Lexico Hieronymiano, vox *Galgala.* Hic locus in memoriam revocat alium, ex quo liquet quàm exigua diligentia in edendis hiſce collectaneis adhibita ſit. In Nominum interpretatione ex *Joſepho* collecta habetur: Γαλγὰλ, σημαίνει δὲ τοῦτο ἐλευθέριον ὄνομα, quod vertitur à *Martianæo : ſignificat verò nomen illud liberalem, ingenuum*, & confirmatur iterum in nota ſubjecta. At lege *Joſephum* Lib. V. Cap. I. & videbis τὸ ἐλευθέριον vocari eum locum, à *Joſepho*,

pho, quòd in eo liberos ſe ſenſiſſent Iſraëlitæ; quamvis falſa ſit ea Etymologia, ut liquet ex Joſ. v,9. ſed non vacat ei rei diutiùs immorari.

Dionyſius abſurdè quidem vertitur à Græcis διακεκριμένως, διακρινόμενος, quaſi eſſet à radice דון doun, *judicare*; ſed verba Græca verti non debuerunt, *diſtinctè*, *nihil hæſitans*. Meliùs *Hieronymus* interpretatur *dijudicans*; nec ſcio cur *nihil* addatur hîc, nam contrà διακρίνεσθαι eſt *hæſitare*. Ratio habenda eſt dumtaxat ſignificationis vocis Hebraïcæ.

Iſraël vertitur νοῦς ὁρῶν Θεοῦ, quod *Martianæus* interpretatur, *mens videns Deum*. Igitur erat edendum Θεὸν, nam verba videndi regunt accuſativum. Sed jam ſuprà ſimile mendum Participii cum genitivo conjuncti animadvertimus. Alioqui vertendum fuerat, *mens Dei videns*, ita ut mens Dei intelligatur videre.

Leviatham dicitur in Codice Græco αὐτόδωρ, quod interpretatur noſter, *ipſe aqua*. Monſtrum hoc eſt vocis; ſed ſaltem ſcribendum erat αὐθύδωρ, aut potiùs verbi nihili omittenda verſio. Sed ſine dubio vertit Judæus vocem Hebraïcam, quaſi conſtaret hiſce

 dua-

duabus יתן לו *lo jitthen*, hoc eſt *αὐτῷ δώσει*, *ei dabit*.

Magda (aut *Magdol*) vitioſè quidem dicitur ἀπὸ πύργου πυῤῥᾶ, ſed vitioſiùs transfertur *è turre pyra*. Legendum ἀπὸ πύργου, πύργος, *à turre*, *turris*, ut habet *Hieronymus*.

Mandyas vertitur σαγομάντις, quæ ſi eſſet ſana vox, ex conſtante Græcæ Linguæ analogia, ſignificaret *vatem ſago indutum*, non verò *veſtem divinatricem*, ut abſurdè habet noſter. Adeat *Martianæus* quæ de compoſitione ſcripſit *Angelus Caninius*, in Helleniſmo. Crediderim ſcriptum fuiſſe σάγος, μάντιον. De vocibus μανδύας & μάντιον, adi *Claud. Salmaſium* ad Claudium Trebellii Pollionis.

Paſcha dicitur eſſe διαβατήριον, ἢ ὑπὲρ, hoc eſt, ὑπερβατήριον, quod ſignificat *ſacrum pro tranſitu*, non *tranſgreſſum*, *aut ſuper*, ut habet *Martianæus*.

Simicinthia interpretatur collector Nominum φακιόλια *faſciolas*, non malè; ſed cur Benedictinus noſter adnotavit, in ſequente columna, *Græcum eſt*? Omnes norunt *ſemicinctium* vocem eſſe Latinam, ſic dictam quod dimidiam partem corporis cingeret.

Mar-

Martialis Lib. XIV. Ep. CLIII. quod inſcriptum Semicinctium:

Det tunicam dives, ego te præcingere poſſum,
Eſſem ſi locuples, munus utrumque darem.

Me dudum tædet harum tricarum, quas in quàm pauciſſima verba contraho, ne Lectori, ut mihi, tædio ſim. Uno præterea claudam hæc omnia exemplo. In altero Lexico Origeniano, legimus: Ἐδὲν, γῆ, ad quæ verba hæc habentur in nota: *Quia dicitur, apud LXX. habitaſſe Cainum in terra* Eden, *Græci parum conſulti Linguæ Hebraicæ putarunt* Eden *ſignificare terram.* Ubi hoc dicunt LXX. Interpretes? Nuſquam, nam uno in loco fit hujus rei mentio; nimirum, Gen. IV, 16. ubi ſic habent Græci: ᾤκησεν ἐν γῇ Ναῒδ κατέναντι Ἐδέμ. Credibile ergo eſt excidiſſe in Græcis vocem ἡδονῆς, ut Eden vertatur *terra voluptatis.*

IX. Ex hiſce, aliiſque quæ addi poſſent, & quæ facilè ab erudito Lectore animadvertentur, neque enim omnia voluimus ad vivum reſecare, intelligere licet quàm aptus ſit *Mar-*

tianæus edendis, ac convertendis Libris Græcis. Non dubito tamen quin hæc ingenti labore ei conſtiterint, ut ingenuè profitetur; ſed ſi Linguis Hebraïcæ & Græcæ diligentiorem ac diuturniorem operam dediſſet, antequàm attingeret Opera *Hieronymi*, multò minorem laborem expertus eſſet, & feliciùs omnia expediiſſet. Quod ut faciat, & quidem ſeriò, ei auctor ſim, antequàm alia *Hieronymi* volumina edat, déque rebus quas non ſatis intelligit loqui diutiùs pergat. Neceſſariam hanc admonitionem ſi altè in animum admiſerit, non aliorum tantùm, ſed & mei ipſius laudes feret; quæ fortè alicujus erunt ponderis, apud ætatis noſtræ homines, qui eum malè de me meritum eſſe ſciunt; ne loquar de poſteritate, ad quam hæ velitationes non pervenient.

QUÆSTIO XII.

Quænam ſit utilitas Libri de Situ & Nominibus Locorum Hebraïcorum, ab EUSEBIO *primùm ſcripti, tum ab* HIERONYMO *verſi & interpolati.*

I. HAUD paullò utilior eſt Opuſculo, quod ad trutinam ſuperiore Quæſtione revocavimus, Liber de ſitu & nominibus locorum Hebraïcorum; quem Græcè primus edidit *Jacobus Bonfrerius*, Luteciæ, anno decimi ſeptimi à Chriſto Nato Sæculi XXXI. additis ſupplementis & notis minimè ſpernendis, quas integras recudi à *Martianæo* oportuiſſet. *Euſebius* Cæſarienſis eum Græcè ſcripſerat, convertitque poſtea *Hieronymus* Latinè; ſed, ut ait, *relinquens quæ memoria digna non videbantur, & pleraque* (hoc eſt, multa, nam multò plura ſine mutatione tranſtulit) *mutans*; ita ut profiteatur *ſe vel inter-*

pretem eſſe, vel novi operis conditorem. Hac de ratione vertendi, déque hoc ipſo Libro, nonnulla diximus, Quæſtione III. §. 14. & ſeqq. quæ minimè repetemus. Aliquot tantùm loca cùm in Græcis, tum in Latinis, notiſque Benedictini Monachi, eodem ordine quo edita ſunt, expendemus.

II. EUSEBIUS hæc habet: Α'χὰν, πόλις βασιλείας Νεμβρὼδ ἐν Βαβυλῶνι. Meliùs ſcripſiſſet ἐν Βαβυλωνίᾳ, nam *Babylon* eſt nomen urbis, *Babylonia* verò regionis. Attamen etiam *Hieronymus* non interpres tantùm, ſed & emendator: *in Babylone*, quemadmodum & alibi loquitur. Rectè vidit emendandum *Achad*, ſubdítque: *porrò Hebræi hanc eſſe dicunt Meſopotamiæ civitatem, quæ hodie vocatur Niſibi, à Lucullo, quondam Romano Conſule, obſeſſam, captámque, & ante paucos annos à Joviano Imperatore Perſis traditam.* Hæc urbs fuit in ſeptentrionali parte Meſopotamiæ. At *Sam. Bochartus* Acchadam conjicit eſſe *Sittacen*, quæ eſt ad ortum Tigridis, Phal. Lib. IV. c. 6. nos *Sacadam* Ptolemæi in Adiabene ſitam etiam ad ortum ejuſdem fluvii, paullò infra Ninum. Hæc neque apud *Bonfre-*
rium,

riam, neque apud *Martianæum* legas.

III. In voce *Aſtharoth Carnaim*, ait *Euſebius* fuiſſe etiamnum duos vicos ejus nominis, ἐπὶ τῆς Βαταναίας τῆς καὶ Βαταλὑας. Tria poſteriora vocabula omiſit Presbyter Stridonenſis, ſeu ea non legerit in ſuo exemplari, ſeu mendoſa crediderit, qua de re tacent Interpretes. Legendum verò Βασανίτιδος pro voce nihili Βαταλὑας, ut liquet ex iis quæ habentur ad vocem *Baſan*: αὕτη Βασανῖτις ἡ νῦν καλυμένη Βασαναία.

IV. Ad vocem *Arboch*, vel potiùs *Arbah*, aut ut pronunciabat *Hieronymus*, *Arbee*, addit: *id eſt, quatuor, eò quòd ibi quatuor Patriarchæ Abraham, Iſaac, & Jacob ſepulti ſunt & Adam magnus, ut in Libro Jeſu ſcriptum eſt.* Cùm *Bonfrerius* ipſe, ne alios memorem, hoc figmentum confutarit ad Gen. XXIII, 2. & Joſ. XIV. ult., verbo tantùm rem indicatam oportuit.

Euſebius hanc urbem fuiſſe ſcripſit τοπαλαιὸν μητρόπολιν ἀλλοφύλων, ubi Latinus Interpres habet *Metropolis Philiſthinorum*. Scio quidem Philiſthæos vulgò dici ἀλλοφύλυς à LXX. Intt. rationémque ejus verſionis, ha-

ètenus ignoratam, retexi. Sed cùm nuſquam dicantur Philiſthæi metropolin habuiſſe ullam, præter quinque illas celebres ad mare Mediterraneum ſitas, maluiſſem vertere hîc *peregrinos*, eáque voce intelligere Gigantes de quibus poſtea.

In ſequentibus ita habet *Euſebius:* ἡ δρῦς Ἀβραὰμ καὶ τὸ μνῆμα αὐτόθι θεωρεῖται καὶ θρησκεύεται ἐπιφανῶς πρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡ τερέβινθος, καὶ οἱ τῷ Ἀβραὰμ ἐπιξενωθέντες ἄγγελοι: hoc eſt, interprete *Hieronymo*, cujus additamenta parentheſibus clauſimus: *quercus Abraham* (quæ & Mamre, uſque ad Conſtantii Regis imperium monſtrabatur) *& Mauſoleum ejus in præſentiarum cernitur.* (Cúmque à noſtris jam ibidem Eccleſia ædificata ſit) *à cunctis in circuitu gentibus terebinthi locus ſuperſtitioſè colitur; eò quod ſub ea Abraham Angelos hoſpitio exceperit.* Quibus in verbis, primò mirum eſt δρῦν, *quercum* & τερέβινθον *terebinthum*, ut & apud LXX. Interpretes, miſceri, quæ ſine dubio ſunt arbores diverſæ. Secundò, non ſatis intelligo quî *Mauſoleum* dici poſſit ſpelunca, in quâ ſepultus fuit Abrahamus, niſi ejus poſteri ædificium magnificentius ei ſpeluncæ impoſuerint; pro more

eorum ſæculorum, quibus receptum fuit, pietatis ergo, *οἰκοδομεῖν τὰς τάφους τῶν προφητῶν*, *ædificare ſepulcra Prophetarum*, ut docet Chriſtus Matth. XXIII, 29. Tertiò, crediderítne *Euſebius* re ipsâ *quercum*, aut *terebinthum* à temporibus Abrahami illic eamdem fuiſſe, uſque ad Conſtantii tempora, neſcio; ſed res ejuſmodi erat, quæ non ſine riſu prudentiorum dici poterat, dignáque quæ ab eo aut certè ab *Hieronymo* obiter irrideretur. Quartò, pro *ἐχθρῶν* videtur legiſſe Interpres *ἐθνῶν*, quæ omnino vera eſt lectio. Quintò denique, nolim addere poſt vocem *τερέβινθος*; ut fecit *Bonfrerius*, probante *Martianæo*, *ὅτι ὑπ' αὐτῆς πάλαι*, *quòd ſub ea olim Abraham* &c. quia nihil vetat *Euſebium* ſcripſiſſe ab Ethnicis illic cultos Angelos.

V. ÆLATH urbem ad mare Idumæum ſitam dixerat *Euſebius* eſſe *ἐν ἐσχάτοις*, quod vertit *Hieronymus*, *in extremis finibus Palæſtinæ*; cùm tamen Palæſtina eò uſque non porrigatur, ſed tantùm Idumæa, ut alibi in hoc ipſo libro legitur, aut certè Arabia. Deinde *τὰ ἔσχατα* videtur *παραθαλάσσια* ſignificare; unde in nominibus è Libris Regum dicitur ſita fuiſ-

ſε ἐπὶ τοῦ χείλους τῆς ἐσχάτης θαλάσσης, ἐν γῇ Ἐδώμ: *in littore maris ultimi in terra Edom.* Quod facilè poſſet pluribus confirmari.

VI. Non capio quî Græcè dicere potuerit *Euſebius*, Ἀδαμὰ μία τῆς πέμπτης πενταπόλεως Σοδόμων, *una quintæ Pentapolis Sodomorum*, pro *una de quinque civitatibus Sodomorum*, ut habet *Hieronymus*. Aut igitur abundat πέμπτη, aut pro alia quapiam voce hîc legitur.

VII. In *Aſaſon Thamar*, hæc habet *Euſebius*: Λέγεται δέ τις Θαμαρὰ κώμη διεστῶσα μάλις ἡμέρας ὁδὸν ἀπιόντων ἀπὸ Χεβρὼν εἰς Αἰλάμ: Interpres verò Latinus: *Eſt & aliud caſtellum Thamara, unius diei itinere à Mampſis oppido ſeparatum, pergentibus Ailam de Chebron.* Conjecit *Bonfrerius* legendum eſſe μόλις, *vix*, quod non probat *Martianæus*, ſed ſtatuit; ex alio loco hujus libri, legendum in *Hieronymo Malathis*; qua in re, nos adſentientes habet. Sed in Græcis *Euſebii* legit Μάλαθις, quod niſi ſit indeclinabile, ſolœciſmus committitur. Cùm Μάλαθα vocet *Ptolemæus*, legerem aut ἀπὸ Μαλάθας, in genitivo; aut, ſi ſit plurale neutrum, ἀπὸ Μαλάθων. Si ſit indeclinable, accentus de-

deberet eſſe in ultima, ut in Μαλααθὶ, quomodo hæc vox alibi legitur.

VIII. Ab *Euſebio Allus* dicitur eſſe χώρα ἡγεμόνων, ἐν τῇ νῦν Γεβαληνῇ, *tractus Principum, in ea quæ nunc Gebalene dicitur.* Hîc ἡγεμόνες ſignificat Idumæorum principes, qui Hebraïcè ſæpiùs dicuntur אלופים *allouphim*, Gen. XXXIII. & ἡγεμόνες in verſione LXX. Interpretum. Igitur nihil opus eſt cum *Bonfrerio* addere ei voci τῆς Ἰδυμαίας, *Euſebius* enim reſpicit ad locum Geneſeως memoratum, uſúmque Idumæorum, qui principes familiarum ſuarum ita ſolebant vocare; quod animadverſum oportuiſſet à *Martianæo*, ut rationem redderet tranſlationis Hieronymianæ, quæ rectè habet, *regio Idumæorum.* Ceterùm hujus loci nomen nuſquam legitur in Geneſi, quamvis habeatur hîc inter nomina ex eo Libro depromta; quod peccatum ſæpiùs ab *Euſebio* admiſſum eſt, nec tamen ab *Hieronymo* caſtigatum. In Nominibus tantùm ex Libro Exodi habet *Aelus*, quod nomen eſt ejuſdem loci, ſed aliter ſcriptum. Præterea ne in hoc quidem Libro occurrit, ſed tantùm Num. XXXIII, 13, 14. Unde liquet à neutro magnam diligentiam ad-

adhibitam eſſe, ad conſtituendum horum Nominum ordinem; quod debuiſſet ab Editore accuratè ubique notari.

IX. *Aſeroth*, hoc eſt, Hebraïcè הצרות, ait *Euſebius* eſſe locum, in quo Maria & Aharon in Moſem confremuerunt, quod veriſſimum eſſe liquet ex Num. XI, 35. & ſeq. Itaque locum ipſum inſpexiſſe non videtur *Hieronymus*, qui addit verbis Euſebianis: *hæc loca non Aſeroth*, *ſed Aſerim appellari Hebræi putant.* Fuit quidem urbs in ſeptentrionalibus finibus Philiſthæorum, quæ חצרים *hhatſerim* vocatur Deut. II, 23. ſed quæ aliena planè eſt ab hoc loco, ut rectè *Bonfrerius* judicat.

X. Vitioſiſſimè ſcribitur, apud *Euſebium*, Ἀκθαριμὰκ pro Ἀθαρὶμ, aut Ἀθαρεὶμ, Num. XXI, 1. Nec emendatiùs eſt in *Hieronymi* verſione, vitiò, ut puto, Librariorum, *Abetharim*, *pro quo*, inquit, *Aquila & Symmachus exploratorum viam interpretati ſunt.* Si propriè loquamur, Interpretes illi Græci non *Atharim* ſed דרך אתרים *derech Atharim* interpretati ſunt ὁδὸν τῶν κατασκόπων, & quidem meritò. Ex hac tamen tranſlatione *Hieronymi*, colligere licet *Euſebium* ſcripſiſſe non

σύ-

σύνοδος τῶν κατασκόπων, ſed Σύμ. ὁδὸς τῶν κατασκόπων, *Symmachus*, *via exploratorum.* Alibi etiam in hoc Libro nomina Græcorum Interpretum compendiosè ſcripta menda pepererunt. Vide vocem *Araba.*

XI. Sequens nomen ſic ſcribitur ab *Euſebio*, Ἀιὴ ἡ καὶ Ἀχελυγαὶ, quod Hebraïcè eſt Numer. XXI, 11. עיי העברים *hije hahabarim.* *Hieronymus* meliùs ſcribit *Abie*, ſed ſubjicit *Achalgai*, unde intelligere eſt hominem mendum Codicis Euſebiani ſequutum, non quæſito loco; nam *Achalgai* nullam affinitatem habet cum voce Hebraïca, nec ullius loci in Scriptura memorati nomen eſt.

XII. *Abel-Satim* collocat *Euſebius* κατὰ δυσμὰς Μωὰβ, ad occaſum *Moabi*; ejus Interpres *ad meridiem*; quod conciliare fruſtra conantur *Bonfrerius* & *Martianæus*, cùm à Cæſarienſi Epiſcopo temerè ſequuto LXX. Intt. Num. XXII, 1. & Deut. I. 1. hîc ut alibi diſſentire potuerit Stridonenſis Presbyter.

XIII. In *Araboth Moab*, omiſſæ ſunt litteræ, quibus nomina Græcorum duo Interpretum ſignificabantur, quæ reſtituta intra uncinos ſic legenda: Ἀραβὼθ Μωὰβ, ἔνθα δεύτερον ἠριθμήθη.

μήθη ὁ λαὸς [Α.] πρὸς ὁμαλὰ Μωὰβ [Σ.] ἐπὶ τὴν πεδιάδα τοῦ Μωάβ. Liquet hoc ex verſione Hieronymiana, quæ ſic habet: *Araboth Moab, ubi ſecundò numeratus eſt populus; quod Aquila interpretatur humilia, ſive æqualia Moab*, (hanc habens conſuetudinem ut eremum, propter planitiem, ὁμαλὴν, id eſt, æqualem interpretetur & planam; denique) *Symmachus pro Araboth Moab campeſtria Moab tranſtulit.* Ac ſanè res ipſa docebat geminam interpretationem vocis *Araboth* ab *Euſebio* proferri. Quæ ſunt parentheſibus clauſa manifeſtò ſunt Interpretis ipſius, qua in re erravit *Martianæus*, qui alteram parentheſin poſt *tranſtulit* collocavit. Sed & ipſe *Hieronymus* veram rationem verſionis *Aquilæ* non reddidit, neque enim ille eremum quamlibet ὁμαλὴν vocat, cùm omnes ſciant, nec rem ignoraret, in eremis non minùs eſſe montes, quàm campos; ſed ſic vertit vocem ערבה *harabah*, de qua vide notata à nobis ad Num. XXII, 1.

XIV. In iis, quæ proximè ſequuntur, paullò pleniùs tradebantur variæ tranſlationes vocis Araba; ſed mirè corrupta ſunt verba *Euſebii*, ab imperitis Librariis, quæ tamen fruſtra re-

reſtituere conati ſunt ambo hujus Libelli Editores *Bonfrerius* & *Martianæus*. Sic Græca habent: Ἀρραβὰ, ἀκινὴρ ἄλσιν ἐν τῇ πεδιάδι· Αἰὼδ ἐν δυσμαῖς, πάλιν ἐν τῇ ἀοικήτῳ. Hæc verò ſunt *Hieronymi* verba: *Araba*, *hanc*, *ut ſupra*, *Aquila tranſtulit* planam; *Symmachus interdum* campeſtrem, *interdum* inhabitabilem. *Theodotion* occidentalem. Hinc quidem intellexerunt Editores Græca emendanda; ſed mirè ceſpitarunt in verbis, quæ corruptis ſubſtituenda cenſuerunt. *Bonfrerius* edidit, probabilem conjecturam, ut ait, ſequutus: Ἀ'ρραβὰ, Ἀ'κύλας κενὸν, ἄλλον ἐν τῇ πεδιάδι· Θεοδοτίων, ἐν δυσμαῖς, πάλιν ἐν τῇ ἀοικήτῳ. Sed κενὸς non eſt *plana*, nec ita vocem verterat *Aquila*, ut antea vidimus; deinde ἄλλος quid eſt hîc, aut quid facit ad vocem Hebraïcam? Tum omittitur *Symmachus*, ac tandem exigua ratio habetur verborum *Hieronymi*. Attamen eum ſequutus eſt *Martianæus*, quem attentior Hieronymiani loci lectio docere debuerat legendum: Ἀ'ρραβὰ, Ἀ'κύλ. ὁμαλήν· Σύμ. ἐν τῇ πεδιάδι, πάλιν ἐν τῇ ἀοικήτῳ· Θεοδ. ἐν δυσμαῖς. Antecedentia manifeſtò oſtendunt ita legendum.

Non multò poſt eſt vox Ἀὐλὼν, de qua

qua antea diximus, ut & de voce Ἀμαληκίτης, pro Ἀμαληκῖτις.

XV. Nescio cur in voce *Amman*, quod nomen eſt filii Loti, Hammonitarum conditoris, *Hieronymus* verterit οἱ ἀπὸ Ἀμμὰν, hoc eſt; ab Hammone oriundi, *habitantes pro eis in Amman.* Nulla enim ratio fuit mutandi ſensûs, cùm οἱ ὑοὶ Λὼτ οἱ ἀπὸ Ἀμμὰν; ſint *poſteri Loti ex Ammone*; quæ commodiſſima eſt loquutio, quâ Moabitæ, & ipſi Loti poſteri, diſtinguuntur ab Hammonitis.

XVI. In vocibus Argob & Abarim, ὑπὲρ τ̃ Ἰορδάνην vertit *ſuper*, aut *ſupra Jordanem*, quod alii omnes verterent *trans Jordanem.* Sed & ipſe *Hieronymus*, in voce *Amalecites* rectè tranſtulit ὑπερκειμένη τῆς νῦν καλȣμένης Πέτρας πόλεως, *trans urbem Petram.* Nec aliter habet in voce *Aermon*, & alibi. *Super*, aut *ſupra* aliud Latinè loquentibus ſignificat.

XVII. In voce *Aſedoth*, non notarem λεξευτὴ pro λαξευτὴ, *exciſa*, niſi id mendum ex *Bonfrerio* accepiſſet *Martianæus*; à quo ſublatum eſſe oportuit; poſſet enim tribui Typothetæ, qui multa fortaſſe in hoc libro peccavit, quorum Editorem inſimulari nolim.

XVIII.

XVII. NOMEN *Abalac* ſic explicat *Hieronymus*: *Mons quem Aquila interpretatur* dividentem, & *Symmachus* lævem (non *levem*, ut habet uterque Editor) *montem, id eſt, limpidum ſive lubricum.* In Græco verò Codice eſt: Α'κύλας μηοερίζοντος τοὺς ὄρους λέγει αὐτούς. Reſtituit *Bonfrerius*, ὀρίζον τὸ ὄρος λέγει αὐτό· *finientem montem eum dicit*, quæ nimis abeunt & à Græcis & à Latinis. Legendum: μερίζοντος τοῦ ὄρους *dividentis montis.* Sic verterat *Aquila* Joſ. xi, 17. מן ההר החלק min haher hehhalak, *à monte diviſionis*, aut *partis.* Præterea ſic ſequentia ſcribenda: λέγει αὐτὸ, Σ.... (ita ut deeſſe intelligatur Σύμμαχος) λεῖον ὄρος, *Symmachus*, *montem lævem*, aut *glabrum.* Simile mendum vide in *Acarca.* Poſterior Editor παραδιόρθωσιν *Bonfrerii* in nota indicaſſe contentus, nihil præterea molitus eſt.

XVIII. IN voce *Aſdod*, rectè edidit *Martianæus*, ἐν ᾗ κατελείφθησαν οἱ Ε'νακεὶμ, ex *Hieronymo*, *in qua derelicti ſunt gigantes.* Miſcuiſſe enim videtur *Euſebius* Anakæos cum Philiſthæis, ut liquet ex voce 'Αζωτὸς, ubi Judæ poſteri negantur expellere potuiſſe Philiſthæos, ex ea urbe.

XIX. Ulteriùs non progrediar, in

Libri examine; neque enim Notas, aut Commentarium in eum Librum hîc ſcribere inſtitui. Ex iis, quæ in unam litteram A. ſunt à me adnotata, facilè colligere poterit Lector, multa in hac Editione potuiſſe præſtari ab homine Linguæ Græcæ, rerúmque quæ hîc aguntur, peritiore, quàm ſumus ego aut *Martianæus*; præſertim ſi diligentiam adhiberet ac librum MS. adſpiceret, quem an ubique legere Monachus noſter potuerit neſcio. *Euſebius* quidem ſat negligenter eum conſcripſit, qui mendoſiſſimè multa nomina profert; nam omnia menda non eſſe Librariis tribuenda oſtendit repetitio eorumdem Nominum, variis in locis variè perperam ſcriptorum. *Hieronymus* quidem menda plurima in verſione ſua ſuſtulit; ſed non omnia, præſertim poſterioris generis; repetitiones enim pleraſque reliquit.

Præterea cùm Nomina ſic digeſta ſint, ſecundùm litteras Alphabethi, ut ſeorſim ponantur ex ſingulis Libris petita; attamen quaſi è Libro quopiam deſumta interdum traduntur, quæ in eo Libro non exſtant. Vice verſâ, multa nomina omittuntur, quæ tamen leguntur in Scriptura. Quamobrem

obrem *Bonfrerius*, in Editione ſuâ, ordinem ſubvertit, neglectóque Librorum ordine, qui nihil ad rem facit, litterarum tantùm rationem habuit, ſupplevítque quæ deerant, ut in ejus editionem oculos conjicientibus, eámque cum nova hacce *Martianæi* conferentibus liquebit. Qui ordo multò commodior eſt, cùm præſertim non tantùm primæ litteræ vocis, ut apud *Euſebium* & *Hieronymum*, ſed ſequentium etiam, more Lexicorum noſtrorum, ratio habeatur. Non reprehenderim tamen *Martianæum*, quem, cùm *Hieronymum* ederet, ejus ordinem ſequi par fuit. Verùm ut editionem ſuam utiliorem redderet, debuit in ora ſcribere Nomina Hebraïcis litteris, & quidem punctis inſtructis, ut Latinis litteris incommodè & vitiosè expreſſa faciliùs ab Hebraïcè ſcientibus agnoſcerentur; atque addere loca Scripturæ, in quibus exſtant, ut Lectores, ſine moleſtia, quæ de illis habentur comparare cum ipſa Scriptura poſſent. Hinc liqueret interdum graviter hallucinatos eſſe *Euſebium* & *Hieronymum*, quod viri docti oſtenderunt de ſitu montium Garizin & Gebal, quos perperam negant Samariæ vicinos fuiſſe, ut nos

Ee 2 quo-

quoque obſervavimus ad Deut. XI, 29. Verùm hiſce omnibus incommodis medicina fieri poterit, in alia editione *Hieronymi*, ſi quis modò peritior ei præſit.

QUÆSTIO XIII.

Quidnam ſentiendum de Hebraïcis Quæſtionibus in Geneſin, déque Notis & Commentariis Martianæi.

I. OPUS Quæſtionum Hebraïcarum inter levia & minùs utilia non habuit *Hieronymus*, cùm in eo conſcribendo non parum inſudaſſe ſe profiteatur; nam, ut ille ait, *ſtultum eſt difficiles habere nugas.* Sic autem de eo loquitur, in Præfatione ad Librum Nominum: *Libros Quæſtionum Hebraïcarum nunc in manibus habeo, opus novum, & tam Græcis quàm Latinis uſque ad id locorum inauditum. Non quò ſtudium meum inſolenter extollam, ſed quòd ſudoris conſcius ad lectionem eorum provocem neſcientes. Si quis ergo & illos & præſens volumen*

men (de Nominibus) *librum quoque locorum quem editurus ſum, habere voluerit parvi pendet ructum & nauſeam Judæorum.* At ſi ea Opera Aſcetæ Bethlehemitici in trutina ponamus, comperiemus utiliſſimum eſſe Opus de Locis, minùs utiles Quæſtiones Hebraïcas, inutilem denique librum de Nominibus, præſertim qualis ad nos pervenit, aut certè exiguæ utilitatis. De primo & poſtremo egimus, ſupereſt ut loquamur de Quæſtionibus Hebraïcis; quas ſi diligentiùs conſideremus inveniemus aliud nihil eſſe, præter collationem non admodum accuratam Verſionis Latinæ cum Textu Hebraïco & Verſionibus Græcis; de quibus ſuam, Judæorúmque ſententiam ſubinde profert *Hieronymus.* Ut non negarim utile hoc eſſe Opus, optandúmque ut in Univerſum Vetus Teſtamentum ſimile haberemus, præſertim propter antiquarum Verſionum fragmenta: ſic minimè id æquarim accuratioribus Recentiorum Scriptis, qualia ſunt Druſiana, Grotiana, aliáque id genus; in quibus multò exquiſitior eruditio, limatius judicium, majórque diligentia ubique elucent. Quod ne temerè imperitioribus, aut admiratori-

bus Veterum, quos non legerunt, aut oſcitanter evolverunt, dicere videar, animadverſiones aliquot ſubjiciam, quibus res in aperta luce, niſi fallor, collocabitur.

II. In præfatione hujus Operis, repetit *Hieronymus* de LXX. Interpretibus quod jam alibi confutavimus, eos *Ptolemæo Regi Alexandriæ myſtica quæque, in Scripturis Sanctis, prodere noluiſſe, & maximè ea quæ Chriſti adventum pollicebantur, ne viderentur Judæi & alterum Deum colere, quos ille Platonis ſectator magni idcirco faciebat, quia unum Deum colere dicerentur.* Quaſi verò *Plato* unius Dei cultor fuerit, qui ſi unum ſummum Numen agnovit, innumera inferiora eſſe ſtatuit, non minùs colenda ac ſummum! Sed nihil opus eſt hìc à nobis repeti, quæ alibi dicta ſunt.

Locum potiùs in ea emendabimus, in quo depravatam lectionem in contextu retinuit Editor, rectâ ad notas amandatâ. Sic de *Origene Hieronymus* paullò pòſt habet. *Cùm in Homiliis, quas ad vulgum loquitur, communem Editionem ſequatur; in Tomis, id eſt, in diſputatione majori, Hebraicâ veritate* ſtipatus & *ſuorum* cir-

circumdatus agminibus interdum Linguæ peregrinæ quærit, auxilia. Liquidum eſt hæc carere ſenſu; quare legendum *ſuperatus*, quod eſſe in antiquis Codicibus teſtatur *Martianæus*; quódque legitur in II. Invectiva *Ruffini*, pag. 225. Tomi IV. Operum ejus adverſarii. Senſus eſt apertus: *Origenes* etiam ſuorum, id eſt, Græcorum Interpretum agminibus circumdatus, interdum Linguæ peregrinæ quærit auxilia; *ſuperatus*, nimirum, vi veritatis Hebraïcæ, cui obſiſtere non poteſt. Ita loquitur ipſe *Hieronymus*, in Procemio Commentariorum in Danielem, ubi de ejus Prophetæ vaticiniis: *Quæ quia vidit Porphyrius univerſa completa, & tranſacta negare non poterat*, SUPERATUS *hiſtoriæ veritate, in hanc prorupit calumniam* &c.

III. AD Gen. 1, 1. meritò quidem confutat *Hieronymus* eos, qui volunt in Hebræo haberi *in filio fecit Deus*; attamen non videtur intellexiſſe ejus tranſlationis rationem. Nimirum, illi ראשית *reſchith*, in voce בראשית *breſchith*, capiebant, niſi fallor, de primogenito Dei; quem primogenitum etiam Proverbiorum VIII. dici volebant *initium viarum ejus.*

Sic & Ruben primogenitus Jacobi dicitur Gen. XLIX, 3. *principium virium ejus.* Igitur quamvis non legatur בבן *beben*, in filio, potuere ſic interpretari Geneſeos initium, contra quàm cenſebat *Hieronymus. In Hebræo*, inquit, *ſcriptum eſt* BRESITH, *quod Aquila interpretatur in Capitulo*, & *non* BABEN, *quod appellatur*, *in Filio.* Hîc *Martianæus* nemini parcere adſuetus, caſtigat ſodales ſuos eruditos Monachos Benedictinos qui ad *Hilarium*, in hoc loco *Hieronymi*, ex editionibus legerunt בבן *beben: Hebræum námque* בבן *legi*, inquit, *debet* baben, *juxta præceptores Grammaticos Hebræos; nec ullum vidi, uſque in præſens, Codicem MS. qui legat* beben. *Conficta proinde hæc lectio meritò reprobatur à nobis.* Quos Grammaticos intelligat neſcio, nam ſecundùm omnium, quos novi, regulas, legendum eſt *beben*, ſeu priori *Beth* ſubjiciendum eſt *ſcheva*, quemadmodum Proverbiorum XVII, 2. Quod ſi ſubjiciatur *Patach*, propter *He* emphaticum eliſum, legendum *babben* ut omnes norunt. At Auctor Quæſtionum, ut alii antiquiores Interpretes, ſæpe per A effert ſyllabas, quibus Scheva eſt
ſub-

ſubjectum, in Maſſorethico Codice. Verùm *Amerbachii* pronunciationem Hieronymianam perperam ad Maſſorethicam exegerant; quod notari debuit à *Martianæo*, non *confictа* hæc lectio dici, quæ minimè confictа eſt.

Ceterùm quamvis Bethlehemiticus Aſceta neget primam vocem Geneſeos poſſe verti *in filio*, fatetur ſecundùm ſenſum, de Chriſto accipi poſſe; *qui tam*, inquit, *in ipſa fronte Geneſeos, quæ caput librorum omnium eſt, quàm etiam in principio Joannis Evangeliſtæ, cœli & terræ conditor approbatur. Unde & in Pſalterio de ſe ipſo ait:* in capitulo Libri ſcriptum eſt de me; *ideſt, in principio Geneſeos.* Locus eſt Pſalm. XL, 9. ubi eſt in Hebraïcis: במגלת ספר *in volumine libri ſcriptum eſt de me*; quod LXX. Intt. verterunt „ ἐν κεφαλίδι βιβλίȣ, quod minimè ſignificat *initio libri*, ut oſtenderunt doctiſſimi Interpretes. Mirum eſt *Hieronymum* ad Hebraïcos fontes, præſertim in hoc Opere, alios revocantem, Hebraïcorum verborum non habuiſſe rationem, potius quàm Latinorum aut Græcorum; quæ probè norat urgeri non poſſe, præter Hebræi Codicis ſenſum. Sed hæc &

Ee 5 alia

alia erant *ad populum phaleræ*, in quibus non aliter loquitur, quàm qui Hebraïcè neſciebant.

IV. ANTEA ad Quæſt. IV, 19. obſervavimus Monachum Bethlehemitam malè contra Judæos invehi ex Gen. II, 2. Caſtigavimus quoque ad Quæſt. VI, 4. quod habet hîc de creatione Paradiſi, ante cœlum & terram. Diximus etiam ad Quæſt. V, 7. de eo quod habet ad verſ. 17. de loquutione *morte morieris*, & ad Quæſt. IV, 10. de accentu litteræ Schin impoſito, de quo agit ad verſ. 23.

V. DIXIMUS etiam de voce עפר *aphar*, de qua *Hieronymus* ad Cap. III, 14. ad Quæſtion. V, 5. ut & de eo quod habet de voce בעבורך *bahabourcha*; ad verſ. 17. ad Quæſtionis ejuſdem §. 7.

VI. POSTQUAM *Hieronymus* interpretatus eſt Gen. IV, 4. ut ei commodiſſimum viſum eſt, addit de LXX. Interpretibus: *Quod autem in LXX. Intt. fecit errorem illud eſt: quia peccatum, id eſt, ATTATH, in Hebræo generis maſculini eſt, & in Græco feminini. Et qui interpretati ſunt maſculino, illud (ut erat in Hebræo) genere tranſtulerunt.* Quiſnam, hiſce lectis, non crederet in LXX. Intt.

ver-

verſione legi vocem ἁμαρτία, eámque pro maſculina haberi? At ex memoria loquebatur Aſceta Bethlehemiticus, habent enim LXX. Intt. in Codicibus Romano & Londinenſi, qui æquant, aut ſuperant etiam ætatem *Hieronymi:* ἥμαρτες, ἡσύχασον, πρὸς σε ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ, καὶ σὺ ἄρξεις αὐτοῦ. Non retulerunt αὐτοῦ ad ἁμαρτίαν, quæ vox non habetur in eorum verſione, ſed ad Abelem, fratrem minorem natu, quem Caïni parere oportuiſſet. Præterea quamvis non negem vocem חטאת *hhatath* poſſe eſſe maſculini generis, nihil facit ad LXX. Interpretes, nec quidquam vetat quin fœminini habeatur, ut חטאה *hhataah.* Itaque inane eſt quod hîc habet *Martianæus*, dum contendit LXX. Interpretes αὐτοῦ retuliſſe ad ἁμαρτίαν, fatendúmque eſt *Hieronymum* non ſatis attendiſſe quid diceret. Periti eſt Interpretis non quærere quid dicere debuerit, ut rationi conſentanea loqueretur, ſed quid dixerit is quem interpretatur.

VII. DE lectione Samaritici Codicis Gen. v, 25. quam conſentire ait cum lectione Judaïci exemplaris, de annis vitæ Mathuſalæ, egimus ad Quæſt. x. §. 7.

Mi-

Mirum eſt ad verſ. 29. *iſte requieſcere nos faciet ab operibus noſtris*; mirum eſt, inquam, *Hieronymum* non monuiſſe legi in Júdaïcis Codicibus *laborem noſtrum ſolabitur*; nam non dubito quin ita legeretur ejus ævo, cùm ſic etiamnum habeat Samariticum exemplar, quod in multis cæteroqui conſentit cum LXX. Intt. Vide quæ ad hunc locum ſcripſimus, in Comment. in Geneſin.

VIII. Gen. VI, 3. prolatâ verſione, quæ conſentanea eſt LXX. Intt. & quæ etiamnum legitur in Vulgata: *non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis in æternum*, dicit eſſe in Hebræo: *non judicabit ſpiritus meus homines iſtos* &c. Sed verbum רין doun, *judicare*, non ſolet jungi cum præpoſitione ב, hîc autem eſt לא ירון באדם *lo jadon baadam.* Deinde incommodus eſt ſenſus, quem hîc quærit *Hieronymus*: *Quia fragilis eſt in homine conditio, non eos ad æternos ſervabo cruciatus*; *ſed hîc illis reſtituam quod merentur.* An ergo impii, qui periere Diluvio, nullas præterea pœnas luerunt, in altera vita? Nemo dixerit. Melior multò eſt Vulgatæ interpretatio, ut ad eum locum oſtendimus. Rectè quidem, in ſequentibus,

bus, docet *Hieronymus* Deum cxx. annos conceſſiſſe humano generi, ad pœnitentiam agendam; ſed à Judæis, ut videtur, edoctus addit: *Quia verò pœnitentiam agere contemſerunt, noluit Deus tempus exſpectare decretum; ſed viginti annorum ſpatiis amputatis, induxit diluvium* &c. Quod tamen commentum eſt Rabbinicum, cui nullam anſam præbuit Scriptura.

Ad verſ. 4. notat *Martianæus* vocem הנפלים *bhannephilim*, ſcribi in Codd. MSS. *annaphilim*; deinde, ut eruditionem ejus mireris, addit: *Veteres porrò, ut alibi monet Hieronymus, Hebræum* ה *legebant per A, unde hîc* Annaphilim. *pro bodierno & Maſſorethico hannephilim.* Præterquam quod falſa eſt hæc obſervatio Hieronymiana, ut oſtendimus ad Quæſt. IV, 4. ad rem hîc nihil facit; nam Maſſorethæ ſyllabam, in qua eſt ה, hîc efferunt per A non minùs ac Veteres, nec ullum diſcrimen eſt, niſi quòd ſequens Scheva per A quoque pronuncietur ab *Hieronymo*, & adſpiratio perperam negligatur.

IX. MIRUM eſt ab *Hieronymo* vocari ad Gen. XI, 28. *fabulam* quod à Judæis acceperat Abrahamum in ignem conjectum, Ure Chaldæorum, quòd

quòd nollet eum adorare, deinde ad Cap. XII, 4. cùm non poſſet ſe ſe expedire difficultate Chronologicâ ad Cap. XII, 4. dicere *veram eſſe Hebræorum traditionem*, quam antea ſpreverat.

X. Si ea peritia Linguæ Hebraïcæ fuiſſet *Hieronymo*, quæ ei vulgò tribuitur, eáque acrimonia judicii quæ Scripturarum Interpreti neceſſaria eſt; ex malè intellecta vocula, quæ bene in antiqua Tranſlatione verſa fuerat; in putidam allegoriam non abiiſſet, ad Gen. XIII, 1, 2. *& adſcendit Abraham ex Ægypto ipſe & uxor ejus, & omnia quæ illius erant, & Lot cum eo in deſertum. Erat autem Abraham dives valde in pecore & argento & auro* &c. Ad quæ verba ſic argutatur *Hieronymus*: *Pulcrè de Ægypto liberatus adſcendiſſe dicitur.* Quaſi verò *adſcendere* paſſim non ſumatur pro eo quod eſt ſimpliciter *abire*, aut certè pro itinere ex loco ad mare ſito, verſùs montana, quale fuit hoc Abrahami iter! Pergit: *Sed occurrit huic ſenſui illud quod ſequitur; quomodo potuerit exiens de Ægypto fuiſſe dives valde?* Quidni cùm hoc diſertiſſimis verbis ſuperioris Capitis verſ. 16. Moſes tribuat liberalitati Pharaonis? *Quod ſol-*

ſolvitur, inquit Hieronymus, *illâ Hebraïcâ veritate, in qua ſcribitur* Abraham gravis vehementer, *hoc eſt*, βαρὺς σφόδρα, *Ægypti enim pondere gravabatur*; *& licèt videantur eſſe divitiæ pecoris, auri & argenti, tamen ſi Ægyptiæ ſunt, viro ſancto graves ſunt.* Nihil attinet inania hæc figmenta confutare, quæ in hodierno Scriptore non ferrentur. Vide quæ ad eum locum diximus.

Ejuſdem Geneſeos Capitis verſ. 13. pro ליהוה *Jehovæ* verterunt LXX. Intt. ἐναντίον τοῦ Θεοῦ, *in conſpectu Dei*. Qua de re, hoc judicium fert Hieronymus: *Superfluè*, inquit, *hîc in LXX. Intt. additum eſt in conſpectu Dei* &c. Atqui non ſuperfluè hoc additum, ſed ut exprimeretur vis vocis memoratæ, quam idem valere exiſtimarunt ac *in conſpectu Dei*; quæ loquutio ſolet etiam adhiberi, ubi de peccatoribus ſermo eſt, ut Gen. VI, 11. Qua in re ſi errarunt, errorem oſtendere debuit *Hieronymus*; non ſuperfluïtatem iis exprobrare, ubi nulla eſt.

XI. AD Cap. XIV, 7. proferuntur interpretationes *Aquilæ*, & *Symmachi* vocis שרים *ſchiddim*, his verbis: *quod Aquila interpretatur* τῶν πεδινῶν, *Theodotio* τῶν ἀλσῶν, *amœna nemora ſignifi-*

nificantes. Hæc eſſe mendoſa crediderim, nam ſola vox ἄλση *nemora* ſignificat, πεδεινὰ verò *campeſtria*. Sed ſine Codicibus antiquis hæc emendari non poſſunt, ideóque conſultos hîc eos oportuit à *Martianæo*, qui tamen tacet.

XII. Cùm egiſſet *Hieronymus* ad Gen. XVII, 17. de impoſitione nominis Iſaaci, *ſciendum tamen eſt*, inquit, *quod quatuor in Veteri Teſtamento, abſque ullo velamine, nominibus ſuis antequàm naſcerentur vocati ſunt*: Iſmaël, Iſaac, Salomon & Joſias. *Lege Scripturas*. De Salomone, nullo ex loco conſtat nomen ei ante natales impoſitum. Vide 2 Sam. XII, 24. ubi primùm nomen ejus exſtat. Præterea eſt multò inſignius exemplum hominis, diu ante natales, nomine appellati; Cyri, nimirum, Perſarum Regis, Iſaiæ Cap. XLIV, 28. Ceterùm ad marginem hujus loci *Martianæus* Lectorem jubet attendere, voculâ *nota*, errorémne an veram obſervationem neſcio.

XIII. HEBRÆI *quod ſequitur*, & neſcivit quum dormiſſet cum eo, & quum ſurrexiſſet ab eo; *appungunt deſuper, quaſi incredibile, & quod rerum natura non capiat, coire quempiam neſcientem*.

ſcientem: Hieronymi hæc verba ſunt, ad verſ. 33. Cap. XIX. In nota verò paginæ ſubjecta; *plures*, inquit Editor Benedictinus, *MSS. Codices Hebræos curioſiùs inſpexi, ſed nihil in iis reperire potui, quo juvaretur intelligentia hujus loci.* Deinde profert notulam *Eraſmi*, queritúrque hîc ſiluiſſe *Marianum Victorium*, & poſtquàm obſervavit alios Codices pro *appungunt*, habere aut *adjungunt*, aut *apponunt*, addit: *ſive igitur intelligamus puncta fuiſſe ſuperpoſita verbis hiſce Scripturæ; ſive ipſa verba fuiſſe addita in ſuperiore parte Contextûs ſacri & extra ſeriem reliquorum verborum, quocumque modo id factum credatur, rem incredibilem Hebræi ſignificare voluerunt, tam ex punctis, quàm ex ſitu verborum.* Quis non rideat æſtum noſtri Monachi, tanto ſupercilio doctiorum exiſtimationem invadentis, in re quam tirunculi omnes norunt? Antequàm conſuleret MSS. Codd. Hebræos, inſpicere eum oportuit editiones punctis inſtructas, quæ omnes habent punctum inuſitatum impoſitum litteræ ו in voce בקומה bkoumah; *cùm ea ſurgeret*; monente Maſſorâ, quæ in margine habet, נקוד על ואו nakoud hal vau, *punctatum eſt ſupra vau.* Qua

re, innumeri Interpretes egerunt, ut & *Joannes Buxtorfius* in Comment. Maſſorethici Cap. XVII. ubi Thalmudicos hujus rei mentionem feciſſe oſtendit. Auctor ſim noſtro ut ſtudioſiùs Biblia edita, Commentarióſque Criticos virorum doctorum legat, antequàm Libros manu exaratos adeat; quibus uti neſciunt, qui editorum lectioni diligentem operam numquam dederunt. Putidum profectò eſt jactare Codices MSS. Bibliorum, cùm editos minimè legeris.

De verſu 56. ejuſdem Capitis, diximus ad Quæſt. X. §. 7.

XII. Hieronymum commentis Judæorum interdum nimis facilem fuiſſe oſtendit Rabbinicæ vanitatis obſervatiuncula in Gen. XXIII, 16. ubi de nomine Ephronis Chitthæi: *In Hebræo*, inquit, *ſicut hîc poſuimus primùm nomen ejus ſcribitur* Ephron, *ſecundùm* Ephran: *poſtquàm enim pretio victus eſt ut ſepulcrum venderet argento, licet cogente Abraham, Vau littera, quæ apud illos per O legitur, ablata de ejus nomine eſt, & pro* Ephron *appellatus eſt* Ephran; *ſignificante Scripturâ non eum fuiſſe conſummatæ perfectæque virtutis, qui potuerit memorias vendere mortuorum.* Inane ingenium Rab-

Rabbinorum hæc redolent, ut ad Moſis locum diximus.

XIII. QUOMODO vox לאמים *leummim* Gen. xxv, 3. ſignificet φυλάρχους, id eſt, principes multarum tribuum atque populorum, ut interpretatur Presbyter Stridonenſis, nos intelligere negavimus ad Quæſt. v. §. 8.

Ejuſdem Capitis verſ. 8. legimus in Hebraïco Codice: *defecit & mortuus eſt*, quod verterunt LXX. Intt. καὶ ἐκλείπων ἀπέθανεν. Qua de re, *malè*, inquit Hieronymus, *in Septuaginta Interpretibus additum eſt*, & deficiens Abraham mortuus eſt, *quia non convenit Abrahæ deficere & imminui.* Quidni? annon eum vita defecit, quando mortuus eſt? Scio allegoricè hæc intelligenda dici, ſed putidum eſt ad allegoriam confugere, ubi commodus eſt ſenſus grammaticus; putidius etiam Interpretes hunc ſenſum ſequutos reprehendere, qui ſine flagitio ab eo recedere non poſſent. Sequentia non ſunt meliora: *Illud quoque quod nos poſuimus*, in ſenectute bona ſenex & plenus, *in Græcis Codicibus ponitur*, plenus dierum. *Quod cùm ſenſum videatur exponere, eò quod luce & diei operibus plenus occubuerit, tamen magis ad Anagogen facit, ſi ſim-*

 pliciter

pliciter ponatur plenus. Quis non videt ſenſum optimè à Lxx. Intt. expreſſum, cùm viri longævi mors narretur, ſitque integra loquutio Hebraïca: *ſatur dierum*? Anagogica eorum verborum explicatio eſt ſomnium febricitantis, quo qui delectabuntur iidem nullas poſthac ineptias damnare poterunt, ſi modò ſibi velint conſtare. Vide ſimiles nugas ad Cap. xxvi, 17. me enim tædet iis excutiendis immorari.

XIV. Diximus ad Quæſt. iv. §. 10. quid nobis videretur de iis quæ habet *Hieronymus* ad Cap. xxvi, 32. & 33. de nomine putei à Jacobo effoſſi. Egimus etiam de voce אולם *oulam*, de qua ad Cap. xxviii, 19. Vide Quæſt. v. §. 8.

De nomine Nephthalis, quod interpretatur *Hieronymus* ad Cap. xxx, 8. ſatis dictum eſt ad Quæſtionem v. §. 9. Nec volumus repetere quæ diximus in Commentario noſtro in Geneſin, ad verſus 32. & 33. de diviſione pecudum, de qua convenit inter Labanem & Jacobum, & in qua expediendâ deſudat Bethlehemiticus Aſceta. De Etymologia nominis *Iſraël*, quam habet ad Cap. xxxii, 28. actum eſt ad Quæſt. v, §. 12.

XV.

XV. AD Gen. XXXIII, 18. ubi, ſi Hebraïca rectè interpretemur, dicitur Jacobus *incolumis* perveniſſe *in urbem Sichemum*, vox שלם *ſchalem*, quam *incolumem* vertimus, negotium faceſſit *Hieronymo*; qui exiſtimabat poſſe eſſe nomen urbis, in qua regnavit Melchiſedek, quam etiam perperam eamdem ac Jeroſolimam fuiſſe cenſebat. Verùm hoc alibi ipſe confutat, qua de re vide ad Quæſt. XIV. §. 3. Poſtquàm igitur fruſtrà quæſivit cur diceretur Sichem, ad aliam conjecturam, nequaquam meliorem, confugit: *aut certè iſtam quæ nunc pro Sichem nominatur, dicimus hìc interpretari conſummatam atque perfectam; & illam, quæ poſtea Jeruſalem dicta eſt, pacificam noſtro ſermone transferri. Utrumque enim, accentu paululùm declinato, hoc vocabulum ſonat.* Nempe, in antiquis Codicibus ut vox שלם *ſchalem*, quando *integrum* ſignificat, aut *incolumem*, diſtingueretur à שלם, quod nunc pronunciamus *ſchelem*, & *pacificum*, aut *ſalutare*, nempe, ſacrificium, vertimus, accentus duos, vel lineas tranſverſas hiſce vocibus impoſuerant, quarum altera erat paullò magis inclinata. *Accentus paululum declinatus* non poteſt eſſe punctum

diacriticum ש Schin, ut putat *Martianæus*, quemadmodum jam alibi oſtendimus.

XVI. IN Cap. XXXVI, 24. agens *Hieronymus* de difficili voce הימים *hajjemim*, vel potiùs *hemim*, profert varias interpretationes, & de *Aquila* quidem ſic loquitur: *Aquila hunc locum ita tranſtulit*, ipſe eſt Ana qui invenit σὺν τοῖς Ἐμίμ. Obſervat Editor MSS. Codd. nullo excepto, retinere σὺν. Velim ſcire an retineant etiam τοῖς, quod eſt à Græca manu; nam *Aquila* qui ſyllabas ipſas verterat notam accuſativi את *eth*, qualem nullam habent Græci & Latini, verterat σὺν, quia reverà aliquando ſignificat *cum*; etiam ubi ſolam vim notæ accuſativi obtinebat, ideóque eam minimè conſtruebat cum ſequentibus verbis, pro more Græcorum. Non dubito quin hîc ſcripſiſſet εὗρε σὺν τὰς Ἐμὶν, מצא את הימים, hoc eſt, *invenit Emim*; ſed Græculi ſolœciſmum veriti, ſcripſerunt σὺν τοῖς. Hoc *Aquilæ* exprobrat *Hieronymus*, in Ep. ad Pammachium de optimo genere interpretandi, ubi notam hanc accuſativi *articulum* vocat; ſed locus eſt corruptus in verbis *Aquilæ*, quòd Librarii, aut Critici hoc ig-

ignorarent. Sic habet *Hieronymus*: *Non ſolum Hebræi habent ἄρθρα; ſed ille κακόζηλος, qui ſyllabas interpretatur & litteras, ut dicat* σείει τὸν οὐρανὸν καὶ σείει τὴν γῆν. Legendum σὺν utrobique, intelligendúmque *Aquilam* in verſione κατ' ἀκρίβειαν initium Geneſeos ſic vertiſſe: ἐν κεφαλαίῳ ἔκτισεν ὁ Θεὸς σὺν τὸν οὐρανὸν καὶ σὺν τὴν γῆν, ut exprimeret Hebraïcum את *eth*. Scio ab aliis hæc fuiſſe animadverſa, ſed fuere, in gratiam *Martianæi*, repetenda.

XVII. GEN. XXXVIII, 29. dicitur filius Judæ vocatus פרץ *pherets*, quod *Aquila* & *Symmachus* διακοπὴν verterant, quod pro noto ſignificatu vocis Hebrææ, cui minimè repugnat Græcæ Linguæ uſus, violentam *diſſciſſionem*, ut ita loquar, ſignificat. At *Hieronymus* ſimpliciter *diviſionem* interpretatus, propterea in errorem delapſus eſt. *Ab eo igitur quod diviſerit membranulam ſecundarum*, diviſionis *nomen accepit. Unde &* Phariſæi, *qui ſe quaſi juſtos à populo ſeparaverant*, diviſi *appellabantur*. Qua in re vehementer fallitur, nam à radice פרץ *pharats*, perfregit, erupit, derivatum פריצים *phritſim* ſunt homines violenti, ac latrones. Sed Phariſæi dicti ſunt פרישים *phri-*

 phri-

phriſchim, hoc eſt, ſeparati, & diviſi, à Radice פרש *pharaſch*, ut ad hunc locum rectè animadvertit *Joannes Druſius*, vulgóque eſt doctioribus omnibus notum. Non ſemel deceptus eſt *Hieronymus*, malè intellectis Græcis Interpretibus, qui ſæpe ſanè intelligi nequeunt, niſi eorum verba ex uſu Linguæ Hebraïcæ interpretemur.

XVIII. De interpretatione Hieronymiana nominis Ægyptiaci, quod imponitur Joſepho Gen. XLI, 45. jam diximus ad Quæſt. V. §. 14. Egimus etiam de eo quod habetur ad Gen. XLIX, 21. de Nephthali, ad Quæſt. V. §. 9. Quæ omnia ſi conjungantur ac diligenter expendantur, Linguæ Hebraïcæ paullò peritiores intelligent nos propter hoc Opus non ita multùm debere *Hieronymo*, & multò minùs ejus Editori; nec cauſam ullam ſat gravem eſſe, cur Linguæ Sacræ ſtudioſi alterutri invideamus. De ſubjecto *Martianæi* prolixiore Commentario, nihil eſt quod præterea addam, cùm varia ejus loca antea confutaverim, & pleraque ad ea quæ dixi minimè pertineant.

QUÆ-

QUÆSTIO XIV.

Quanta ſit eruditio in Epiſtolis HIERONYMI, *quas* CRITICAS *vocavit* Martianæus.

I. CUM priores Hieronymianorum Operum Editiones Epiſtolas omnes ſeorſim haberent & quidem ab ipſo initio; *Martianæus*, qui Verſionem ejus primo volumine complexus eſt, in ſecundum conjecit varia Opuſcula, quæ ad explicationem Veteris Teſtamenti pertinent; inter quæ ſunt ſeptemdecim Epiſtolæ, quas *Criticas* propterea vocat. Has *Exegeticas* non incommodè vocarat *Eraſmus*, & cum aliis ejuſdem generis in tertium Tomum conjecerat. Non erat quidem res tanti, ut ordo jam notus turbaretur; ſed neque ille ipſe ordo tanti eſt, ut ideò *Martianæi* facto offendamur. Verùm nemo negaverit nonnullas alias eſſe Epiſtolas, quæ non minùs eo nomine dignæ ſunt, debuerúntque ad eamdem claſſem referri. Verbi gratiâ, inſignis

illa Epiſtola ad Pammachium, *de optimo genere interpretandi*, quæ eſt penultima Tomi Secundi in Eraſmiana Editione, annon verè *Critica* eſt? Certè quæ in ea habentur quam maximè faciunt ad defenſionem omnium Hieronymianarum verſionum. Attamen hiſce omiſſis, nonnulla earum Epiſtolarum loca conſiderabimus, ex quibus quanti ſint faciendæ liquebit. Eadem operâ, quædam in Editore *Hieronymi* notabuntur, quæ palam facient quàm paratus ad hoc negotium acceſſerit.

II. In prima Epiſtola, ubi reſpondet Damaſi Epiſcopi Romani quæſitis, ut doceat quid ſibi velint hæc verba Gen. IV, 15. *Omnis qui occiderit Cain ſeptem vindictas exſolvet*, ut habebat vetus Verſio Latina, verba variorum Interpretum profert & quidem, inter alios, *Symmachi*, quæ ita leguntur in hac editione: *Et dixit ei Dominus: non ſic, ſed omnis qui occiderit Cain, hebdomas, ſive ſeptimus vindicabitur.* Manifeſtum quidem eſt *hebdomade* ſeptimum non ſignificari, quamobrem conjicit Editor *Hieronymum*, aut potiùs *Symmachum* ſcripſiſſe ἕβδομος, non ἑβδομάς. Credibilius eſt *Symmachum* ſcripſiſſe ἑβδομὰς ἐκδικηθήσεται, quia He-

Hebraïcus Textus habet, שבעתים ſchibhathajim, *ſepties*; hoc eſt *hebdomas*, ſive *ſeptenarius numerus pœnarum ab eo exigetur.* Sic & apud *Hieronymum*, pro *ſeptimo*, legerim *ſepties*. Confirmatur hoc quòd in ſequentibus conjungat *Hieronymus* ſententiam *Symmachi* & *Aquilæ*, quaſi in eamdem reciderent, cùm poſterior vertiſſet *ſeptempliciter*; quamquam non diffiteor hanc vocem in alienum ſenſum ab *Hieronymo* torqueri, quaſi voluiſſet à ſeptimæ ætatis homine Lamecho Caïnem interfectum.

Ceterùm mirum eſt eum, varias interpretationes proferentem, alienas planè à vero ſenſu, non vidiſſe quod hîc dicitur pertinere ad pœnas, non de Caïne ſumendas, aut ab eodem amovendas; ſed ad ſupplicium, quod daturus erat interfector Caïnis. Mirum quoque eſt dicere *Hieronymum*, *Deum noluiſſe compendio mortis finire cruciatus*; quod bis poſtea repetit, quaſi Caïn nullas luiſſet poſt mortem pœnas. Redolet hoc non tam doctrinam *Origenis*, qui finem quidem pœnis ſtatuebat, ſed eas non tollebat; quàm *Ciceronis*, cujus verba antea protulimus ad Quæſt. VIII. §. 14.

De voce חמשים *hhamuſchim*, & de voci-

vocibus AMESA DOR, quibus ſignificari vult *Hieronymus* quintam generationem, diximus ad Quæſt. IV. §. II.

Non immorabor allegoricæ explicatioñi Hiſtoriæ Iſaaci, qui, cùm Eſavo bene precari ſe putaret, Jacobo benedixit. Deſumſiſſe eam ſe dicit *Hieronymus*, ex *Hippolyto* Martyre. At ſi quid ſimile hodie Epiſtolæ Criticæ inſereretur, ἀκυρολογία mera eſſe cenſeretur.

III. SECUNDA Epiſtola eſt ad Monachum *Evangelum*, non *Evangelium*; *Evangelius* enim non dicitur, ſed *Evangelus*, prout Analogia poſtulat, ut & uſus. In Saturnalibus *Macrobii*, inter alios loquitur *Evangelus* Lib. VII. c. 5. Attamen *Martianæus*, pro ſolita ſua ſagacitate Grammaticæque peritia, inuſitatum uſitato, Analogiæ contrarium ei conſentaneo prætulit in hujus Epiſtolæ titulo, cùm utrumque legeretur in MSS. Qua in re, non minùs peccavit, quandoquidem electio ex ejus arbitratu pendebat, quàm qui fingunt ipſi nomina Græca contra Linguæ Analogiam; quos meritò & eleganter caſtigavit terſiſſimi ingenii Jeſuïta *Franc. Vavaſſor*, libelli in quo quærit

An-

Antonius Godellus utrùm Poëta, Cap. II. cujus paucula verba hîc proferam: *Utopiam vocabulum ab ornato viro Thoma Moro confictum, quod jam multis valde ſolet in ore eſſe, meritò Scaliger longè doctiſſimus explodit, quod is verbi opifex inventum hoc ſuum, nullâ conſuetudine ſermonis Græci, tueri poteſt. Ex qua re, quamvis in ſpeciem levi ac frivola, periculum nonnumquam facere licet quantùm quiſque Latinè, ac multò etiam certiùs quantùm quiſque Græcè ſciat.* Hæc poſtrema verba penſitabit ſecum *Martianæus*, niſi moleſtum eſt. In interpretatione vocis φιλεγκλήμων, qua utitur *Hieronymus* initio hujus Epiſtolæ, felicior non eſt; eam enim vertit *amatorem querelarum*, ſive *querulum*, *eò quòd præbeat occaſionem querelarum & controverſiæ*, cùm ἐγκαλεῖν ſit *accuſare*, & φιλεγκλήμων dicatur *amans accuſationum.* Ac ſanè *Hieronymus* agens de *periculoſo*, ut loquitur, *tractatu* eum, quamquam ſatis durè, (nam vox de homine tantùm carpendi nimio ſtudio laborante dicitur) φιλεγκλήμονα vocat, quaſi quæſtionem cujus ſolutio facilè in erroris accuſationem incurrat.

Ad ipſam Epiſtolam quod attinet, pro-

profert *Hieronymus* variorum ſententias de Melchiſedeko; quod majoris eſt laboris & diligentiæ, quàm ingenii. Poſtea confutat eorum opinionem, qui putabant urbem regiam Melchiſedeki, quæ Salem dicitur, eamdem fuiſſe cum Jeroſolima; quam tamen ſententiam defendit cùm alibi, tum etiam in Quæſtionibus Hebraïcis. Verùm hac in Epiſtola, meliùs ſentire videtur. *Salem autèm*, inquit, *non ut Joſephus & noſtri omnes arbitrantur eſſe* (lege *eſt*, ut conſtructionis ratio conſtet) *Jeruſalem, nomen ex Græco Hebraicoque compoſitum; quod abſurdum eſſe peregrinæ linguæ miſtura demonſtrant; ſed oppidum juxta Scythopolin, quod uſque hodie appellatur Salem. Et oſtenditur ibi palatium Melchiſedec, ex magnitudine ruinarum, veteris operis oſtendens magnificentiam; de quo in poſteriore quoque parte Geneſeos ſcriptum eſt*: Venit Jacob in Sochoth, *id eſt*, in tabernacula, & fecit ibi domos atque tentoria, & tranſivit in Salem civitatem regionis Sichem, quæ eſt in terra Chanaan. Hîc affirmat *Hieronymus* quod dubium eſſe dixit ad Gen. XXXIII, 18. in Quæſtionibus Hebraïcis. Pergit deinde hiſce verbis: *conſiderandum quoque eſt quod Abrahæ*

Abrahæ à cæde hoſtium revertenti; quos perſequutus eſt uſque Dan, quæ hodie Paneas appellatur; non de via Jeruſalem, ſed de oppido metropoleos Sichem in itinere fuerit; de quo in Evangelio quoque legimus: Erat autem Joannes baptizans in Ennon, juxta Salim, quia aquæ erant multæ ibi. *Nec refert utrum* Salem *an* Salim *nominetur, cùm vocalibus in medio litteris perrarò utantur Hebræi, & pro voluntate lectorum, ac varietate regionum eadem verba diverſis ſonis atque accentibus proferantur.* Poſtrema hæc verba jam expendimus ad Quæſt. IV. §.9. oſtendimúſque quàm parum ſint accurata.

IV. In Epiſtola III. ad Fabiolam, *Hieronymus* paucis perſequitur quæ ad Sacerdotes Hebræos ex victimis pertinerent, quæ puritas ab iis poſtularetur, & paullò pluribus explicat partes veſtium Sacerdotalium ex *Joſepho*; & maxima quidem pars Epiſtolæ abſumitur in allegoricis, hoc eſt, commenticiis earum rerum ſignificationibus exponendis.

Vocem תנופה *thnouphah* interpretatur *præcipuum & egregium*, quod interpretamentum falſum eſſe oſtendimus, non minùs ac vocis Græcæ

ἐπί-

ἐπίθεμα, quam *additamentum* vertit, ad Quæſt. v. 10.

Recenſet, poſt *Joſephum*, inter veſtes Sacerdotales feminalia, *quæ uſque ad genua & poplites veniunt, quibus verenda celantur, ut etiamſi lapſi fuerint & femora revelaverint, non pateat quod opertum eſt.* Qua de re egimus ad Exod. xxviii, 42. ubi oſtendimus veſtimento, quod illic memoratur, non ſatis occultata verenda, ſi in altiore loco fuiſſent Sacerdotes, quod lapſis etiam contigiſſet. Adeat Lector, ſi ita videatur, eum Commentarii noſtri locum. Sed mirum eſt *Hieronymum* veſtem hanc MACHANASE vocare, nomine in ſtatu conſtructo expreſſo, nam dicuntur quidem Exod. xxviii, 42. מכנסי בד *michneſe bad*, hoc eſt, *femoralia lini*; ſed ſi prior vox ſit ſola proferenda, efferenda eſt in forma ſtatûs abſoluti, מכנסים *mchanaſim*, aut, ut pronunciare ſolebant Veteres, *Machanaſim*; nec magis ferri poteſt qui interrogatus, quomodo Hebræi vocent femoralia, reſpondeat *Machanaſe*, quàm qui reſponderet verba dici *Dibre*, aut *Dabre*, ut vocem efferebat *Hieronymus*. Nec ſanè ſcio an varios ſtatus ſatis diſtinxerit. Vide dicta ad Quæſt. ix. § 6.

Vo-

Vocem חשן *hhoſchen*, quæ propriè *aſperum* ſignificat, quo nomine dictum eſt pectorale auro & gemmis aſperum, verterunt Græci λόγιον, hoc eſt, *oraculum*, forte quòd ex fulgore gemmarum veluti oracula reddi exiſtimarent; at Vetus Interpres Latinus vocem λόγιον vertit *rationale*; quem ſine examine ſequutus eſt *Hieronymus*, quamvis huic ornamento nihil ſit affine cum *ratione*, neque ſignificatu Hebraïcæ vocis, neque re ipsâ. Attamen hinc acumen captat, & poſtquàm Ephod opera ſignificare dixit, neſcio qua de cauſa; *Jungitur*, inquit, *& Ephod, id eſt, ſuperhumerale, quod Rationali copulatur, ut non ſit laxum, neque diſſolutum, ſed hæreant ſibi invicem & auxilio ſint. Ratio enim operibus & opera ratione indigent, ut quod mente percipimus opere perpetremus.* Quis non rideat allegoriam ex falſa interpretptione natam? Sed an ejuſmodi argutiæ firmo niterentur fundamento, non multùm curabat *Hieronymus*?

V. VERÙM multò eſt putidior longa illa Epiſtola IV. de XLII. manſionibus Iſraëlitarum in deſerto, in qua ex interpretationibus vocum ſæpe abſurdis, ut oſtendimus ad Quæſt. V.

invenit neſcio quam ſeriem ratiocinationum moralium; quales inveniremus etiam, ſi ita videretur, in ſerie quavis Nominum Græcorum aut Latinorum, vel etiam in figuris atque in ordine nubium. Qui talia vocant Critica, & præferunt eruditis hodiernorum Criticorum Scriptis, ii non ſunt digni qui confutentur; quo enim jure quod hodie in nobis paſtoritiâ fiſtulâ exciperetur, poſſunt mirari in Veteribus, niſi quia volunt rixari, & contra quàm ſentiunt non dubitant loqui? Itaque hiſce nugis non immorabor, quæ tamen utramque paginam faciunt in *Phœnice* Interpretum Scripturæ, ut Bethlehemiticum Monachum vocat Monachus Pariſinus. Quàm facilè poſſit is Phœnix plumis ſpoliari omnes vident, nec opus eſt ut tempus in ea re nimium teramus.

VI. Epistola ad Dardanum, quæ V. eſt in hoc Volumine, probare aggreditur *Hieronymus*, non tam terram Chananæam, quàm cœleſtem felicitatem, nomine Terræ Promiſſionis, eſſe intelligendam; quam in rem primùm multa loca allegoricè detorta, aut quæ nihil planè probant in medium addúcit; deinde arctos limites

Cha-

Chananææ deſcribit, ut magnifica Terræ Promiſſionis deſcriptio in eam quadrare minimè videatur; tandem rectè oſtendit Judæos tot mala, poſt Chriſti mortem, non eſſe perpeſſos, niſi ut nefandi hujus ſceleris pœnas darent.

Quod dicit de arctis limitibus Chananææ, negat à ſe dici *in ſuggillationem terræ Judææ, ut hæreticus* neſcio quis *Sycophanta mentiebatur, aut quò auferat hiſtoriæ veritatem, quæ fundamentum eſt intelligentiæ ſpiritalis; ſed ut decuteret ſupercilium Judæorum, qui Synagogæ anguſtias Eccleſiæ latitudini præferebant.* Igitur ante omnia fatendum eſt reverâ promiſſam, & datam terram fluentem lacte & melle Iſraëlitis; quod ex Moſe & Joſua adeò liquet, ut nonniſi impudentes aut fatui negare poſſint; verbáque promiſſionis grammatico ſenſu ſunt priùs intelligenda, quàm in allegoriam torqueantur.

Quæſiverat Dardanus *quæ ſit terra repromiſſionis, quam Judæi redeuntes ex Ægypto poſſederunt, cùm à majoribus eorum jam fuerit ante poſſeſſa, ac proinde non ſit promiſſa, ſed reddita.* Quæſtio eſt hominis, qui numquam attentè Pentateuchum legerat, aut exigui

erat judicii; cùm liqueat Patriarchas perpauca propria habuiſſe in Palæſtina, ſed tamquam peregrinos, conſenſu incolarum, in ea vagatos fuiſſe.

Pro hoc reſponſo facili & parato, *Hieronymus* reſpondet *videri* Dardanum *ſentire, quod plurimis noſtrorum placet etiam repromiſſionis terram eſſe quærendam, de qua David loquitur in Pſalmo*. (XXVI, 13.) credo videre bona Domini in terra viventium; *& Dominus in Evangelio* (Matth. V, 4.) beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. *Utique*, inquit, *David quando hæc cantabat, in ſpiritu, in terra repromiſſionis erat, & non ſolùm in Judææ finibus morabatur, ſed multarum in circuitu nationum* &c. Primùm hoc *Hieronymus* temerè adſumit, quidni enim poſſit hic Pſalmus à Davide ſcriptus eſſe cùm in Philiſthæorum ſolo, aut in vicinis ſolitudinibus verſabatur, ut fugeret Saülis iram? Profectò quæcumque in eo habentur haud paullò meliùs conveniunt difficilibus illis temporibus Davidis, quàm ejus ſenectuti, per quam victoriis ſuis fruitus eſt, ut rectè animadvertit *Lud. Ferrandus* vir eruditus. Præterea *terra viventium* opponitur

opponitur hîc ſepulcro, ſignificátque David ſperare ſe inter vivos Dei beneficiis fruiturum, non occiſum iri, ut optabant ejus adverſarii. Vide eumdem & *Simeon. de Muis*, ad hunc locum. Quæ addit *Hieronymus*, ad probandum *viventes* eſſe alterius vitæ beatitudinis participes, nullius ſunt ponderis, præ iis quæ à *Muiſio* & *Ferrando* proferuntur. Adi præſertim Iſaiæ Cap. XXXVIII, 11.

Quamvis verò concederemus Mat. V, 4. *terram* id ſignificare quod vult *Hieronymus*, non ſequeretur idem eâ voce apud Moſem ſignificari; ex quo ne unus quidem locus proferri poteſt, in quo *terra* cœleſtis beatitudo dicatur. Itaque fruſtra ſic ratiocinatur Presbyter Stridonenſis: *Quod autem in Evangelio dicitur*, Beati mites &c. *juxta litteram ſibi videtur eſſe contrarium. Non enim terræ poſſeſſio manſuetorum eſt & mitium, qui ſæpe etiam à parentibus derelicta perdunt propter manſuetudinem; ſed virorum fortium & violentorum, qui ſunt ad bella promtiſſimi.* Hæc ad rem nihil faciunt, & præterea ſæpe contigit mites ac pacis amantes poſſidere ea, quibus excidunt homines violenti; quod in Judæa factum eſt, poſt captam Jeroſoli-

ſolimam, bellàque Judæorum metropoleos exſcidium conſequuta; nam Chriſtiani & Judæi, qui Romanis paruerant, tranquillè in Judæa vixerunt, unde perduelles Judæi ejecti fuerunt. Quò reſpicere potuit Chriſtus. Reliqua Hieronymiana confutare nec vacat, nec opus eſt, cùm allatis ſint deteriora. Sanè ſe neque Criticum, neque Dialecticum in iis præſtitit.

Verùm Judæa, inquies, fuit typus cœleſtis felicitatis. Eſto. At ut hanc effingere poſſet, oportet eam fuiſſe reverà terram *lacte & melle fluentem*; quod non omnino negat *Hieronymus*, quamvis eò ſpectent ejus ratiocinationes, ſi ullius ſint ponderis. Mos ejus eſt id negare à ſe fieri, quod quàm maximè facit. *Reſpondeant mihi*, inquit, *qui hanc terram (quæ nunc nobis, Chriſti paſſione & reſurrectione, terra repromiſſionis effecta eſt) poſſeſſam putant à populo Judæorum, poſtquam reverſus eſt ex Ægypto, quantum poſſederit.* Reſpondemus, quantum ſatis fuit excipiendis ejus colonis, ut docet Liber Joſuæ, quod neceſſe eſt fateri *Hieronymum*; non tantùm quia hæc res ipſa clamat, ſed etiam quia vult Judæam typum fuiſſe cœli. Poſtea

ſtea quàm parva fuerit Judæa docet, quaſi hoc quidquam faciat ad oſtendendum aliquid aliud vocibus *Terra Promiſſionis* poſſe intelligi! Nam ſanè ex *Ariſtea* & *Joſepho* conſtat varios ejus tractus fertiliſſimos fuiſſe; & cultu impigro locorum minùs fertilium potuiſſe etiam magnam hominum multitudinem in ea ali. Non ſatis intelligo quid velit hiſce verbis: *Ab Joppe uſque ad viculum noſtrum Bethlehem quadraginta ſex millia ſunt; cui ſuccedit vaſtiſſima ſolitudo plena ferocium barbarorum.* Latitudo Judææ ſumenda eſt à Joppe uſque ad Jordanem è regione Jerichuntis, qui univerſus tractus cultiſſimus fuit, ſaltem antiquioribus temporibus, non à Joppe ad Bethlehemum; ne jam memorem tractus ad ortum Jordanis, à Judæis vivo Moſe occupatos. Adde quòd Deus latiùs eos habitare minimè vetuit, cùm Euphratem orientalem terminum iis poſuerit; ſi modò obſervatione Legum ejus, propitium eum ſibi redderent. Vide Joſuæ 1, 4.

Sed difficiliora ſunt intellectu ſequentia verba: *de quibus dicitur*, contra faciem omnium fratrum ſuorum habitavit, & *quorum facit Poëta elo-*

quentiſſimus mentionem, latéque vagantes Barcæi, *à Barca oppido quod in ſolitudine ſitum eſt.* Primùm locum Geneſeos XVI, 12. planè aliter interpretatur in Quæſtionibus Hebraïcis; deinde unde habet Barcæos, Africæ incolas, fuiſſe ex fratribus Iſmaëlitarum, eamdémque gentem non Palæſtinam tantùm & Arabiam, ſed etiam Africam occupaſſe? Scio quidem quid de *Ephero*, Abrahami filio, ſcripſerint Veteres nonnulli, qua de re dixi ad Gen. XXV, 4. ſed ex iis minimè ſequitur ex una illa familia ortos eſſe Barbaros, *qui pro locorum qualitatibus*, ut habet in ſequentibus Hieronymus, *diverſis nominibus appellantur, & à Mauritania per Africam & Ægyptum Palæſtinámque & Phœnicen, Cœlen Syriam & Oſrhoënen, Meſopotamiam atque Perſidem tendunt ad Indiam.* Verùm hæc ad Quæſtionem *Hieronymo* propoſitam nihil faciunt. Quam ſanè ſolutu facilem alienorum locorum farragine, & allegoricis commentis obſcuravit. Hæc ſi putat *Martianæus* egregii eſſe Critici, fruatur ſua ſententia, ſibíque domi, ipſe plaudat; ego quidem, ſine faſtidio, ea non lego, & certò mihi conſtat hoc eſſe doctiſſimorum quorumque hominum judicium. VII.

VII. RECTE ſine dubio *Hieronymus*, in Ep. VI. quæ eſt ad Marcellam, docet *Ephod* fuiſſe pallium, *Theraphim* verò ſtatuas; quod ſanè difficile non eſt intellectu, ex lectione Veteris Teſtamenti. At ejus editor mirè hîc ſe geſſit, in interpretatione duarum vocum; quarum altera quidem eſt Græca, altera verò Hebraïca. *Hieronymus* recitans locum Levit. VI, 7. ſic habet: *Veſtivit eum tunicâ & cinxit eum zonâ, & veſtivit eum* ἐπενδύτην, *quod nos ſubtunicalem, ſive tunicam quâ ſubtus veſtitus eſt, poſſumus interpretari.* Vox Hebraïca eſt מעיל *mehil*, quæ ſuperiorem tunicam ſignificat. Sed ne *Hieronymo*, hac de re, litem intendamus, manifeſtum eſt ἐπενδύτην non poſſe verti *ſubtunicalem*, ſed tantùm ὑποδύτην, quod legebatur in prioribus editionibus, aut ὑπενδύτην quod minùs abit à MSS. qui habent ὑπενδίτην. In ſequentibus idem *Hieronymus*: *Aquila autem id quod illi* (hoc eſt; LXX. Intt.) ὑποδύτην *&* ἐπωμίδα *dixerunt* ἔνδυμα *&* ἐπένδυμα, *id eſt, veſtimentum & ſuperveſtimentum dixit.* Hinc manifeſtò liquet legendum antea ὑποδύτην, aut utrobique ὑπενδύτην. Sed *Martianæus*, Critico naſo minimè

præditus, non putat neceſſe eſſe quidquam mutari.

In eadem Epiſtola, poſtquàm dixit Stridonenſis Presbyter, neſcio quare, voce Theraphim non tantùm *figurationes* & *figuras*, ſed etiam *varia opera* intelligi, qui ſignificatus quo modo ex voce *Theraphim* exſculpi poſſit non intelligo; continuò ſubdit: *Nam & in Exodo ceteriſque locis, ubi deſcribuntur veſtes plumariâ arte contextæ*, opus Cherubim, *id eſt*, varium *atque* depictum *eſſe factum deſcribitur; ita tamen ut VAU litteram* Cherubim *non habeat; quia ubicumque cum hac littera ſcribitur, animalia magis quàm opera ſignificantur.* Vult ejus Editor *ex hac obſervatione nos diſcere, multa fuiſſe in veteribus exemplaribus Hebræis diverſa ab iis quæ leguntur in contextu Maſſorethico hodierno; nam nomen*, inquit, *Cherubim quod Ezechielis Cap. X. ſignificat animalia, ſæpiſſimè ſcribitur ſine Vau.* Multò rectiùs feciſſet, ſi dixiſſet eſſe argutiam Rabbinicam, quam à Magiſtro Judæo accepit Stridonenſis Presbyter, ut alias ſimiles, quas antea notavimus; cùm conſtet ex ingenio Linguæ Hebraïcæ, ſeu plenè vox ſcribatur, ſeu minùs plenè, ſi modò eodem

ſono

ſono pronuncietur, eâ voce varia minimè ſignificari. Nec crediderim aut *Hieronymum*, aut ejus Magiſtrum quicumque fuerit, ex exemplaribus ſuis ita fortè ſcriptis rem collegiſſe; ſed tantum ex pauculis locis, ut Exod. XXVI, 1, 31. Unde verò ea tibi, inquies, incidit ſuſpicio? Non tantùm ex re ipſa, ſed etiam ex hoc loco *Hieronymi*, qui memoriter Hebraïcam Scripturam laudat, & quidem perperam; nuſquam enim in ea legitur *opus Cherubim*, ſed tantùm *Cherubim opere polymitarii* כרבים מעשה חשב *chroubim mahaſcheb bhoſcheb*, ut Exod. XXVI, 1, 31. XXXVI, 8. ubi *opus* non refertur ad Cherubos, ſed ad polymitarium. Verum quidem eſt *Hieronymum*, in Verſione eorum locorum, vertiſſe ſimpliciter *opere plumario*, ſed nemo nunc dubitat quin hallucinatus ſit, cùm ſignificentur Cheruborum imagines opere phrygionico effictæ. Hoc potiùs à *Martianæo* notatum oportuit, quàm Rabbinicis nugis fidem habitam.

VIII. Epiſtola VII. eſt potiùs tropologica, quàm Critica, cùm *Hieronymus* in ea allegoricè agat de jurgio duarum meretricum, déque judicio Salomonis; VIII. complectitur quæ-

ſtiones

ſtiones Chronologicas de initio regnorum Salomonis & Achazi, de quibus multò ſatiùs eſt conſulere recentiores Chronologos ; IX. habet judicium de Commentariis Rheticii Auguſtodunenſis Epiſcopi, in Canticum Canticorum. Quo in judicio, meritò hominem ridet, qui aurum *Ophaz* credidit eſſe idem ac Petrum, quia in Evangeliis dicitur *Cephas*; at immeritò miratur initio Epiſtolæ eum *Tharſis* putaſſe eſſe *Tarſum* patriam Pauli Apoſtoli, quia תרשיש aliquando gemmam neſcio quam ſignificat; cùm poſtea fateatur eſſe etiam nomen loci, & *Joſephum Rheticio* præiviſſe.

IX. Epistola x. miſſa eſt ad Sunniam & Fretelam, quam ex melioribus Codicibus edidit *Martianæus*. Quod ut magis liqueret, in altera columna, ex Editione Victorii, varias lectiones addidit ; ſed quæ tam multæ & tam graves non ſunt, quàm primo intuitu videntur; quia etiam ubi una vox varietate laborabat, multas ſæpe adſcripſit Monachus noſter, credo, ut videretur plus in inſtaurando hac Epiſtola præſtitiſſe, quàm reverâ præſtitit; cùm multò ſatius fuiſſet ſolam vocem variè in exemplaribus ſcriptam, in infimo margine, ſubjeciſſe,

ciſſe. In hac Epiſtola, *Hieronymus* varia loca Pſalmorum confert cum verſionibus Græcis & Latina; atque ante omnia quidem diſtinguit verſionis LXX. Intt. editionem quæ Κοινὴ dicebatur, & parum emendata erat, ab ea quæ extabat in Hexaplis, *in quibus incorrupta*, ut ait, *& immaculata LXX. Interpretum tranſlatio reſervabatur.* Tum addit: *quidquid ergo ab hoc diſcrepat nulli dubium eſt quin ita & ab Hebræorum auctoritate diſcordet.* Quæ verba ſunt de vulgo recepta opinione intelligenda; nam ad *Hieronymum* ipſum quod attinet, aliter planè ſentiebat, ut alibi oſtendit; qua de re, multis egimus ad Quæſt. VIII, 15. Cùm verò quæ in hac Epiſtola habentur pertineant ferè ad emendationem, illuſtrationémque veterum Verſionum, iis non immorabimur. Nihil dicemus etiam, de jactantia *Martianæi*, propter hanc reſtitutam Epiſtolam, quod felicitatis eſt, potiuſquàm ingenii; hoc enim unum habet ſingulare quòd in meliores Codices inciderit, quàm *Eraſmus* & *Victorius*.

X. EPISTOLA, quæ numero eſt XI. ad Principiam virginem, explicatur allegoricè, potiuſquàm criticè, Pſalmus

Pſalmus XLIV. aut XLV. Idem dixeris de Epiſtola XII. ad Cyprianum, quâ *Hieronymus* interpretatur Pſalmum LXXXIX. vel XC. Quædam quidem in utraque proferuntur verba Hebraïca, conferuntúrque nonnullis in locis veteres Tranſlationes; at nihil eſt accurati, aut exquiſiti, nec Criticus ullus hodiernus, exiſtimationis ſuæ ſtudioſior, vellet nomen ſuum talibus adſcribi. Quis ferat hodie diſtingui *hominem Dei* à *viro Dei*, quâ obſervatione inchoat *Hieronymus* interpretationem Pſalmi XC? Cùm enim, ut loquitur, juxta Hebraïcum, titulus ſit *oratio Moyſi viri Dei*, juxta LXX. *oratio Moyſi hominis Dei*; *inter hominem autem & virum quid interſit ſancta Scriptura nos docet.* Tum profert quædam loca, ex quibus nullum deprehendere licet diſcrimen.

XI. In ſequente Epiſtola XIII. ad Marcellam, *Hieronymus* interpretatur *decem nomina Dei*, quorum tamen dimidia pars potiùs epitheta, quàm Nomina dicenda eſt. *Primum nomen eſt* El (אל) *quod LXX.* Deum, *Aquila* ἐτυμολογίαν *ejus exprimens* ἰσχυρὸν, *id eſt*, fortem *interpretatur.* At Latinè ſi loquamur ἰσχυρὸς potiùs eſt *potens & validus*, quàm *fortis*; quæ vox

vox conſtantiam & fortitudinem animi, ſeu ἀνδρείαν ſignificat, non potentiam & vires, quæ eſt ſignificatio vocis ἰσχὺς, unde ἰσχυρός.

Secundum & tertium ſunt *deinde ELOIM & ELOE* (אלהים *elohim* & אלוה *eloah*) *quod & ipſum* Deus *dicitur*. Certum eſt, ut obſervavit *Joan. Druſius*, gutturalem quæ nunc afficitur vocali quæ dicitur *Pathahh genoubah*; pronunciatam à Veteribus E, ut Noahh, *Noë*, Joſuah, *Joſuë*, Manoahh, *Manoë*, Hoſeah, *Hoſee*, &c. At mirum eſt quaſi duo Nomina recenſeri, ab *Hieronymo*, numerum ſingularem & pluralem ejuſdem Nominis; qua de re hoc habet *Martianæus* oraculum, quod Delphica reſponſa obſcuritate ſuperat: *Verè diverſa ſunt, licèt* אלוה *Chaldaicum, vel Hebræum dixeris*. Ad me quidem quod attinet, non magis intelligo quî diverſa nomina dici potiùs poſſint *Eloah* & *Elohim*, quàm *Deus* & *Dii*, *Numen* & *Numina* in Latina Lingua.

Quartum SABAOTH, *quod Septuaginta* virtutum, *Aquila* exercituum *tranſtulerunt*. Scio quid Rabbini quoque hac de re cenſeant, ſed quidquid tandem dicant, certum eſt צבאות

tſbaoth

tsbaoth, non magis nomen Dei dici poſſe, quàm *Gallorum*, exempli gratiâ, nomen Regis Galliæ, quia dicitur *Rex Gallorum*; quamvis enim occurrant יהוה צבאות *Jehova tsbaoth*, & אלהים צבאות *Elohim tsbaoth*, ita ut prima vox ſit abſoluta, conſtat ex aliis locis, ubi loquutio plenior legitur, ellipticam eſſe atque interponendam vocem אלהי *elohe* vertendúmque *Jehova Deus exercituum*, & *Deus Deus exercituum*. Vide Hamoſum C. III, 13. IV, 13. V, 22. Quod dudum obſervatum eſt à viris doctis.

Quintum ELION, *quem nos excelſum dicimus.* Merum hoc eſt epitheton, quod ſi loco Nominis habeatur, cur non גבור *gibbor*, potens, קנא *kanna*, zelotypus, aliáque id genus Nomina Dei habeantur?

Sextum ESER IEIE, *quod in Exodo dicitur*, qui eſt miſit me. Ne hoc quidem Nomen eſt, ut oſtendimus ad Exod. III, 14.

Septimum ADONAI, *quem nos Dominum generaliter appellamus.* Quamvis ſit hoc quoque Nomen generale, attamen uſu factum eſt Nomen Dei, ut poſtea Græca vox Κύριος.

Octavum JA, *quod in Deo tantùm ponitur*, & *in* ALLELUJA *extrema*

quoque

quoque ſyllaba ſonat. Hoc demum eſt Nomen proprium, quod idem ſonat ac ſequens, & fortaſſe, ut viri quidem docti conjiciunt, ejus contractio eſt.

Nonum τετράγραμμον, [illegible]d ἀνεκφώνητον; *id eſt*, ineffabile [illegible]*averunt*, *quod his litteris ſcribitur* JOD, HE, VAU, HE. *Quod quidam non intelligentes, propter elementorum ſimilitudinem, cum in Libris Græcis reperirint*, ΠΙΠΙ *legere conſueverunt.* De hoc Nomine diximus ad Exod. III, 15.

Decimum, inquit tandem Hieronymus, *quod ſuperius dictum eſt* SADDAI, *quod in Ezechiel non interpretatum ponitur.* Hoc eſt, Cap. x, 5. ut rectè *Martianæus*, à quo nunquam diſſentio, niſi ubi verum dicere non videtur. Sic autem, initio Epiſtolæ, de nomine *Saddai*, loquutus erat Presbyter Stridonenſis: *Nonageſimum Pſalmum legens, in eo loco, quo ſcribitur:* qui habitat in adjutorio Altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur; *dixeram apud Hebræos, pro Deo cœli, eſſe poſitum* Saddai; *quod Aquila interpretatur* ἱκανὸν, *quod nos robuſtum & ſufficientem ad omnia perpetranda accipere poſſumus.* Satis

Hh liquet

liquet *Aquilam* ſequutum eorum ſententiam, qui שדי *ſchaddai* deducunt à vocula די *dai*, id eſt, *ſatis*; quàmobrem ἱκανὸν vertit, hoc eſt, *ſufficientem*, ſed non *robuſtum*, ut norunt quicumque Græcè ſciunt. Attamen, non uno [illegible], *Hieronymus* ita vocem ἱκανὸς intellexit. Sic Δαβὶδ, ἱκανὸς χειρὶ, vertit *fortem manu*, quod hodie nemo ferat, præter Monachum noſtrum qui errantem *Hieronymum* ſecurè eſt imitatus.

XII. EPISTOLA XIV. ad eamdem Marcellam, *Hieronymus* rectè interpretatur *Alleluia*, *Amen*, *Maran atha*; de quibus nihil eſt nunc quod dicam. In XV. ſequente, agit de vocibus *Selah* & *Diapſalma*, quæ faciles non ſunt intellectu, & etiamnum eruditiſſimos quoſque exercitos habent. In XVI. loquitur de Pſalmis Alphabethicis, déque ſignificatibus litterarum Alphabethi, ex quibus commenticias concinnat ſententias.

De Pſalmis Alphabethicis ita habet: *Scire debes quatuor Pſalmos, ſecundùm ordinem Hebræorum incipere elementorum; centeſimum decimum & centeſimum undecimum, & hunc de quo nunc ſcribimus*, (hoc eſt CXVIII, ſecundùm Græcos, quorum ordinem

ſequi

ſequi ſolet) *& centeſimum quadrageſimum quartum. Verùm debes ſcire in prioribus Pſalmis ſingulis litteris ſingulos verſiculos, qui trimetro Jambico conſtant, eſſe ſubnexos; inferiores verò tetrametro Jambico conſtare, ſicut & Deuteronomii canticum ſcriptum eſt.*

Si Paula, ad quam hanc Epiſtolam ſcripſit *Hieronymus*, vera hæc eſſe credidit, aut parum docta fuit Hebraïcè, aut neſcivit qualis ſit verſus Trimeter ac Tetrameter Jambicus. Audiamus de hoc verſuum genere *Marium Victorinum* Lib. III. ut ignaris liqueat quid ſit, aut oblitis res in memoriam revocetur: *Verſus*, inquit, *Trimeter Jambicus, qui & Senarius, adjectâ ſibi ad initium Dipodiâ, in Tetrametrum, quem & Octonarium appellant, vertetur. Feritur autem Dipodiis quatuor: ſicut Trimeter tribus, quem à numero pedum, ut diximus, noſtri Senarium, à numero verò percuſſionum Trimetrum Græci dixerunt. Exemplum ergo Trimetri Jambici erit,*

Phaſelus ille, quem videtis hoſpites.

Hic Quadratus ex Trimetro efficitur, ſic,

* Adeſt celer. Phaſelus ille, quem
videtis hoſpites.

Nunc verò aliquot verſus ex Pſalmis illis ſubjiciamus, ut quærant in iis pedes Trimetri aut Tetrametri harum rerum ſtudioſi. Hoc eſt initium Pſalmi CXI.

אוֹדֶה יְהוָה בְּכָל-לֵבָב
בְּסוֹד יְשָׁרִים וְעֵדָה׃
גְּדֹלִים מַעֲשֵׂי יְהוָה
דְּרוּשִׁים לְכָל־חֶפְצֵיהֶם׃

Eadem eſt ratio reliquorum verſuum & hujus Pſalmi & CXII. in quibus duo obſtant quominùs ulli Senarii poſſint inveniri. Prius eſt, quòd par numerus ſyllabarum omnibus non ſit: poſterius & quidem gravius, quòd nulli aut perpauci ſat multas habeant ſyllabas, ut Senarium conficere poſſint; etenim minimùm duodecim deberent iis ineſſe, ut fierent ſex pedes, vel tres Dipodiæ. Similiter in Pſalmo CXIX. & CXLV. ſunt verſus multi longiores, quàm ut octo pedibus poſſint exhauriri, multi etiam non habent ſexdecim ſyllabas, qui minimus eſt in Tetrametro numerus. Hoc eſt initium prioris:

אַשְׁרֵי תְמִימֵי דָרֶךְ הַהֹלְכִים בְּתוֹרַת יְהוָֹה
אַשְׁרֵי נֹצְרֵי עֵדֹתָיו בְּכָל־לֵב יִדְרְשׁוּהוּ

Quiſquis conabitur hos aliósque verſus diſtinguere, ſervatâ certâ proſodiæ lege, intelliget fruſtra hæc omnia ab *Hieronymo* dicta fuiſſe. Scio *Martianæum*, ſub finem Præfationis in Tom. I. ita loqui: *Trimetra quaſi Jambica Pſalmo CX. & CXI. cum Hieronymo facilè concedent qui hos verſus Hebræos legere & intelligere ſtuduerint.* Imò verò nemo concedet, niſi ignoret quid ſit Trimeter Jambicus, quod non videtur recordatus eſſe Monachus noſter, ſi modò umquam hoc ſcivit. Sanè ſequentia ejus verba redolent harum rerum ſummam imperitiam. *Advertat*, inquit, *Lector eumdem eſſe ſonum vocalium, in fine hujuſmodi verſuum Hebraicorum, nam* levav (pro *lebab*) & veeda *unam habent deſinentiam, ſeu rythmum latè ſumtum. Similiter in Pſalm. CXI.* meod *in vocalem O terminatum eumdem habet ſonum cum* Jaho. *Ita enim legi debet nomen Dei tetragrammaton*, non, ut hodie *corruptè legitur* Jehova. Ne dicam non poſſe ita elidi *Vau* vocis Jehova, quid faciunt hæ

terminationes ad Jambicos verſus? An nobis finget *Martianæus* ejuſmodi verſus ὁμοιοτελεύτους? Deinde quæ eſt harmonia inter verſus ejuſmodi, quorum alter deſinit in *lebab*, alter in *vehedah*; alter in *meod*, alter in *Jahavoh*? Non dubito quidem quin verſus Hebræorum ſuam haberent Harmoniam; ſed non ejuſmodi fuit, qualem fingit *Martianæus*. In ſequentibus, invehitur in id quod olim de Hebræorum Poëtica Gallicè edidimus; ſed quia rem tantùm attingit, eam omittemus. Interea, ſi cupiat ſcire quid ſentiam de hiſce Pſalmis Alphabethicis, reſponſum accipiat, eos à me non modò nullis ὁμοιοτελεύτοις, ſed ne metris quidem ullis conſtare credi; cùm quidquid eſt hîc artis ſitum ſit in eo dumtaxat quòd ſingula commata, aut cola incipiant litteris Alphabethi, ordine diſpoſitis.

Ut ad *Hieronymum* ipſum nunc redeamus, ſic pergit de verſibus Hebraïcis loqui: *Habes*, inquit, *& in Lamentationibus Jeremiæ quatuor alphabetha, è quibus duo prima quaſi Sapphico metro ſcripta ſunt; quia tres verſiculos, qui ſibi connexi ſunt, & ab una tantum littera incipiunt Heroïci comma concludit.* Hæc tam ſunt vera,

quàm

quàm ſuperiora, aut quod habet, initio hujuſce Epiſtolæ, diſputari *de Logica* in Cantico Canticorum; quod intelligent quicumque in verſus pares ſecare conabuntur commata. Hoc unum obſervare licet, in duobus prioribus alphabethis eſſe plura *κῶλα* poſt ſingulas litteras, ſed quæ minime paria ſunt. Exiſtimo *Hieronymum* vocaviſſe *Heroici comma* duas voces, quibus clauditur verſ. 1. Cap. I. היתה לםם *hajethq lamas*, quod Adonii verſus ſpeciem præ ſe fert; at quiſquis perget dactylum & ſpondæum, in fine ſequentium commatum quærere, ſe operam ludere videbit.

Tertium verò, inquit Hieronymus, *Alphabethum Trimetro ſcriptum eſt, & à ternis litteris, ſed eiſdem terni verſus incipiunt.* Fateor huic Alphabetho majorem ineſſe ſimilitudinem cum Trimetris, quàm Pſalmis CXI. & CXII. quia ſingula commata pluribus ſyllabis conſtant. At nemo hîc diſtinxerit quantitatem ſyllabarum, regulâſque certas Proſodiæ tradiderit.

Quartum Alphabethum ſimile eſt primo & ſecundo. Commata plerumque non ſunt tam longa, nec in iis tres Sapphicos, cum Adonio faciliùs

inveneris, quàm in prioribus. Tandem, *Proverbia quoque Salomonis*, inquit, *extremum claudit Alphabethum, quod Tetrametro Jambico ſupputatur, ab eo loco in quo ait:* mulierem fortem quis inveniet? At, hîc quoque commata pleraque ſunt aut longiora aut breviora, quàm ut poſſint in Tetrametros æquales dividi. Quæ omnia ſi conjungantur cum iis quæ diximus ad Quæſt. 11,9. ſatis conſtabit nania eſſe quæ habet *Hieronymus*, de Poëtica Hebræorum Græcæ & Romanæ ſimili; præſertim ſi accedat Poëticorum Veteris Teſtamenti Librorum diligens lectio. Sed aliquando copioſiùs hiſce de rebus agemus; nunc confutaſſe *Hieronymum* ſatis erit,

Poſtea ſingularum litterarum Alphabethi ſignificationem tradit, poſt *Euſebium* Præpar. Evang. Lib. X. c. 5. quem ita convertit, quamvis quædam mutarit, ut hominis Hebraïcè neſcientis nonnulla quidem peccata exſcripſerit, alia verò ipſe admiſerit. Quod liquebit ex brevi utriuſque comparatione, quam ſubjiciemus: Aleph, μάθησις, *doctrina*; Beth, οἴκου, *domûs*; Gimel, πλήρωσις, *plenitudo*; Daleth, δέλτων, *tabularum*; He, αὕτη, *iſta*;

ἰſta; Vau, malè apud *Euſebium* ἐν αὐτῇ, meliùs *Hieronymus*, *&*; Zaïn, ζῆ malè *Euſebius*, nec rectiùs *Hieronymus hæc*; Heth, ὁ ζῶν, *vita*; Teth, καλὴ, *bonum*; Jod, ἀρχὴ, *principium*; Chaph, ὅμως, rectiùs Hieronymus *manus*; Lamed, μάθε, *diſciplinæ*, ſive *cordis*; Mem, ἐξ αὐτῶν, *ex ipſis*; Nun, αἰωνία, *æternum*; Samech, βοήθεια, *adjutorium*; Aïn, πηγὴν ἢ ὀφθαλμὸν, *fons*, ſive *oculus*; Phe, ςόμα, *os*; Sade, δικαιοσύνη, *juſtitia*; Koph, κλῆσις, *vocatio*; Res, κεφαλὴ, *capitis*; Sin, ὀδόντες, *dentium*; Thau, σημεῖα, *ſigna*. Hujus explicationis litterarum Alphabethi cenſuram olim edidit *Joan. Druſius*, & alteram quidem hujus Opuſculi editionem emiſit Franekeræ, anno M DC IX. Eum Lector conſulere poterit, nec interea dubitabit quin malè verſæ ſint Litteræ, Gimel, He, Teth, Jod, Lamed, cùm *cor* convertitur, Nun, Samech, Sade, & Koph; ſi verſionem conferat cum Radicibus Hebraïcis ex quibus ſolis deduci poſſunt, adhibito etiam Libro de Nominibus, in quo nonnullæ meliùs vertuntur. Præterea *Euſebius* & *Hieronymus*, conjunctis ſignificatibus aliquot litterarum, ſententias ſeptem ex toto Alphabetho

conficiunt; quod demum eſt abuti ingenio ſuo, & credulo Lectori illudere. Perinde enim eſt, ac ſi ex ſignificatu aliquot Nominum propriorum occurrentium in Lingua qualibet, in qua Nomina quidpiam ſignificant, ut in Græca aut Latina, conflarentur ſententiæ. Quiſquis hoc aggrederetur ab omnibus nugari judicaretur.

XIII. Ultima Epiſtolarum Criticarum *Hieronymi* complectitur explicationem duarum loquutionum Pſalmi cxxvi, aut cxxvii, pro Hebraïca diviſione. Prior eſt לחם עצבים lehhem hatſabim, *panis dolorum* verſ. 2. altera verò verſ. 4. בני הנעורים bne hannehourim, *filii juventutis*, quæ nullam habent difficultatem; nec *Hieronymus* varias Tranſlationes profert rectas & pravas, niſi ut allegorias captet, quas excutere non aggrediar. Monebo tantùm in ratione, quâ *Symmachus* priorem loquutionem vertit, videri eſſe mendum. *Hieronymus* enim ἄρτον κακοπαθούμενον, *panem ærumnoſum* habet, cùm videatur legendum κακοπαθουμένων *ærumnoſorum*, aut potiùs *defatigatorum*, cùm propter pluralem numerum vocis Hebraïcæ, tum etiam propter loquutionem Græcam.

Ha-

Habebat *Aquila* ἄρτον διαπονημάτων; quod vertit Hieronymus *panem elaborationum*, cùm διαπόνημα ubi ſermo eſt de corpore, ut in hoc loco, fatigationem corporis ſignificet, non *elaborationem*. Eadem quoque eſt ſignificatio verbi διαπονέω.

XIV. HÆC in Epiſtolas Criticas *Hieronymi* obſervanda habebamus, quibus multa addi potuiſſe nos non fugit, ſi omnia eſſent ad vivum reſecanda. Sed ex dictis ſatis liquet, ſi Hexapla nunc exſtarent, & illa quæ præſtitit Stridonenſis Presbyter potuiſſe à viris doctis noſtræ ætatis præſtari; & alia multa, ſine commenticiis allegoriis ullis, obſervari. Igitur utamur rectè dictis quæ nobis ſuperſunt, ex Veterum monumentis, & gratias quidem iis habeamus, quòd pro virili fecerint id quod tempora eorum ferebant; ſed ita ut meminerimus non magis nobis licere in iis acquieſcere, quàm adultis in iis quæ olim pueri animo agitabant. Cùm diſciplinæ omnes nunc faciliores & excultiores ſunt, tum præſertim Ars Critica multò perfectior evaſit; quâ duce ea intelligere licet, ſi rectè ea utamur, quæ Veteribus fuerunt prorſus ignota, eorúmque inventis multò

multò feliciùs uti, quàm ipſi inventores olim uſi ſunt.

QUÆSTIO XV.

Quodnam ferri queat judicium de ratione quâ HIERONYMUS *ſcripſit Commentarios, déque Commentario ejus in Eccleſiaſten.*

I. DUo quidem poſſunt in Scripturam adornari Commentariorum genera, quorum alterum grammaticum dici queat: alterum verò theologicum ac ethicum. Commentarius grammaticus eò tantùm pertinet, ut quid voluerit Scriptor Sacer oſtendat, ex ingenio Linguæ Sanctæ, ac Scripturarum conſuetudine; adjunctis omnibus aliis ſubſidiis, quibus mens ejus illuſtrari, aut aperiri poteſt; ſed omiſſis ferè quæſtionibus conſectariiſque theologicis atque ethicis, quæ moveri aut deduci ex Scriptoribus Sacris poſſunt. Utrorumque verò Commentariorum finis eò ſpectat, ut Lectorem verum ſenſum Scrip-

Scripturæ, quoad ejus fieri poteſt, doceant; ſed prius illud Commentariorum genus, quod grammaticum diximus, cum ſit longè difficillimum, ſi quis operæ pretium facere velit, viámque muniat aliis Commentariis, in majore pretio atque exiſtimatione nunc meritò eſt, apud omnes Eruditos. Attamen, apud Veteres, pluris fiebant Commentarii theologici atque ethici, in quibus occaſione quavis datâ aut quæſitâ, in allegorias etiam remotiores exſpatiabantur, vix aut breviter perſtrictis iis quæ ad grammaticum ſenſum pertinent. Ac ſanè multò facilior fuit hæc ſcribendi in Scripturam ratio iis, qui ſibi aliquam Theologiæ Chriſtianæ atque Ethicæ cognitionem compararant.

II. ITAQUE Commentarii fermè omnes Veterum exundant quidem theologicis atque ethicis diſputationibus, parciſſimè verò grammatica attingunt. Hujus generis ſunt Hieronymiani Commentarii, quamvis in iis frequentiùs & pluribus, quàm alii plerique Veteres ſolent, grammaticus ſenſus explicetur atque illuſtretur, ex veteribus præſertim verſionibus. Verùm ut meliùs intelligamus quo in pretio ſint habendi, videndum quid

quid ipſe profiteatur de ratione, quâ eos conſcripſit; deinde quid reverâ præſtiterit in Commentario in Eccleſiaſten, quem ſeriùs ſcripſit, & quo clauditur hoc ſecundum Editionis Hieronymianæ volumen.

II. In Commentariorum in Epiſtola ad Galatas Præfatione, docet nos *Hieronymus* quî ſoleret Commentarios ſuos componere hiſce verbis, ubi poſtquàm dixit *C. Marium Victorinum* edidiſſe Romæ Commentarios in Paulum, ſed minùs utiles, quòd Sacrarum Litterarum ita peritus non eſſet, ſic pergit: *Quid igitur, ego ſtultus, aut temerarius, qui id pollicear quod ille non potuit? Minimè. Quin potiùs in eo mihi videor cautior ac timidior, quòd imbecillitatem virium mearum ſentiens, Origenis Commentarios ſum ſequutus. ——— Prætermitto Didymum videntem meum, & Laodicenum de Eccleſia nuper egreſſum, & Alexandrum veterem hæreticum, Euſebium quoque Emeſenum, & Theodorum Heracleoten, qui & ipſi nonnullos, ſuper hac re, commentariolos reliquerunt. E quibus ſi vel pauca decerperem, fieret aliquid quod non penitus contemneretur. Itaque, ut ſimpliciter fatear, legi hæc omnia & in mente*

mea

mea plurima coacervans, accito notario, vel mea, vel aliena dictavi; nec ordinis, nec verborum interdum, nec ſenſuum memoriam retentans. Similia hiſce nonnulla habet, in Proœmio Ep. ad Epheſios. Crediderit fortaſſe quiſpiam, qui *Hieronymi* ſcripta non legerit, ab eo, antequàm eò deveniret, diligentiſſimè atque attentiſſimè lectos libros, quos Commentariis illuſtrare aggrediebatur, ſingulâſque voces ac loquutiones, ut hodie facimus, accuratè penſitatas, & ſeriem orationis, ac totius libri inſtitutum numquam ex memoria, oculiſque animi dimiſſa; deinde ex conſultis Interpretibus, ea tantùm ſelegiſſe, quæ cum iis, quæ certò vera eſſe norat, ſtare poterant, nec varias propoſuiſſe ſententias, ſine diſcrimine ſignificationéque ſenſûs ſui, ut quas probaret, quas verò repudiaret intelligere Lector facilè poſſit; niſi fortè res ei planè dubia videretur, adeò ut quid potiſſimùm ſequeretur non haberet. Sic hodie factitant, qui cum aliqua laude, fructûque Lectorum Commentarios ſcribere ſe poſſe ſperant. At non ita ſe geſſit *Hieronymus*, in ſuis Commentariis. Docet nos hoc ipſe, diſertis verbis, ne ſit neceſſe

ceſſe conſequentiâ dubiâ aut obſcurâ rem ex ejus Scriptis colligere; cum enim *Auguſtinus* improbare ſe ſcripſiſſet quod de ſimulatione Pauli habet Bethlehemiticus Aſceta, ad Cap. II. Ep. ad Galatas, repoſuit * recitatione verborum antea à nobis allatorum, quibus hæc ſubnectit; *Si quid igitur reprehenſione dignum putaveras, in explanatione noſtra, eruditionis tuæ fuerat quærere, utrum ea quæ ſcripſimus haberentur in Græcis, ut, ſi illi non dixiſſent, tunc meam propriè ſententiam condemnares, præſertim cum liberè in præfatione confeſſus ſim, Origenis commentarios me eſſe ſequutum, & vel mea, vel aliena dictaſſe.* Eadem defenſione utitur in Apol. I. contra † *Ruffinum*, ubi de Commentario ſuo in Ep. ad Epheſios: *Quidquid ergo*, inquit, *in explanatione hujus Epiſtolæ, vitii potuerit demonſtrari, ſi ego illud in Græcis voluminibus, unde in Latinum vertiſſe me dixi, oſtendere non potuero, crimen agnoſcam, & meum erit quod alienum non fuerit.* Quis ferret hodie Theologum, qui in Commentariis ſuis compilaret Theologos Romanæ Eccleſiæ addictos, eóſque

* *Tom. II. p.* 337. *Ed. Frob. anni* 1553.
† *Pag.* 204.

eóſque qui *Lutheri*, *Calvini*, *Socini*, aliorúmque dogmata contraria ſequuntur, nullo nomine, indicióve diſtinctos, nec quid ſentiret ipſe ſignificaret, etiam in dogmatibus damnatis ab iis è quorum partibus ſtaret?

IV. ATTAMEN *Hieronymus*, in eodem libro paulló antea, hanc eſſe vult legem Commentariorum in Scripturam Sacram, non minùs ac aliorum. *Ego*, inquit, *in Commentariis ad Epheſios*, *ſic Origenem & Didymum & Apollinarium ſequutus ſum*, *qui certè contraria inter ſe habent dogmata*, *ut fidei meæ non amitterem veritatem. Commentarii quid operis habent? Alterius dicta ediſſerunt*, *quæ obſcurè ſcripta ſunt plano ſermone manifeſtant*, *multorum ſententias replicant & dicunt:* hunc locum quidam ſic ediſſerunt, alii ſic interpretantur, illi ſenſum ſuum & intelligentiam his teſtimoniis, & hac nituntur ratione firmare; *ut prudens lector cùm diverſas explanationes legerit*, *& multorum vel probanda*, *vel improbanda didicerit*, *judicet quid verius ſit & quaſi bonus trapezita adulterinæ monetæ pecuniam reprobet* &c. Adi & Proœmium Commentariorum in Jeremiam

Prophetam, ubi ſimilia habet. Quaſi, nimirum, Commentarii mera eſſent interpretationum alienarum hiſtoria; in qua Interpres minimè neceſſe haberet dicere quid ſentiat, ſed aliorum dumtaxat ſententias, damnatas licèt & falſas, ſummâ fide exponere, ſine ulla earum confutatione. Profectò ea ſcribendi ratio incommoda non eſſet, ubi de invidioſo quopiam argumento ſcribendum eſſet, de quo quid ſentiret nollet Interpres patefacere; ne offenderet aliter ſentientes, aut contra animi ſententiam loqueretur. Probantibus ſententias nonnullas, ex iis quas expoſuiſſet, in aurem poſtea diceret ſe cum iis ſentire; damnantibus negaret ſequi ſe ideò ita ſentire, quòd talia ſcripſiſſet. Verùm cui tandem ea ſcribendi ratio, præſertim in Scripturam, poſſet probari? Sanè adverſariis non ſatisfecit *Hieronymus*, ut liquet ex I. *Ruffini* in eum Invectiva. Hæc ejus ſunt * verba, poſtquàm loca Adverſarii protulit, in quibus *Origenis* ſententiam, de animis ab initio creatis & lapſis, expoſuerat in Commentario in Epiſt. ad Epheſios: *Et hoc*, inquit, *non ex mea perſona dictum eſt*, *ſed alium dicere de-*

ſcripſi;

* *T. IV. Operum Hieronymi p.* 213.

ſcripſi; denique dixi, quia invadunt quidam occaſionem. Nec ego nego quòd de alio dicere videaris. Sed iſte alius, *quem hæc dicere ais, utrùm tibi concors & conſonans, an verò contrarius ſit & inimicus, non declaraſti* (ſic lego, non *denegaſti*.) *Cùm enim* alium *iſtum tibi aliquem contrarium nominas, ſoles ponere quædam dicta ejus; ſed ſtatim ea deſtruere & impugnare, ut Marcionis & Valentini & Arii & ceterorum. Cùm verò alium quidem nominas; ſed dicta ejus cum validiſſimis adſertionibus ſcribis, teſtimoniis quoque Scripturarum validiſſimis munis; nonne etiam nos tardiſſimi, & quos tu talpas dicis, videmus iſtum, cujus dicta ponis & non deſtruis, non alium quàm te eſſe, & fieri hæc cum Rhetorica figura, cùm ſub aliena perſona ſuam ſententiam proferunt? Fiunt iſta ab Oratoribus, cùm aut offendere aliquos metuunt, aut invidiam declinare cupiunt.* Neque haſce objectiones ſatis diluit *Hieronymus*, in Apologia II. * ubi ita loquitur: *Dicis me in Commentariis meis quædam de Origene, quædam de Apollinario, quædam ex me ipſo poſuiſſe. Si ergo Apollinarii ſunt & Origenis, quæ ſub aliorum nomine poſui,*

 quomodo

* Pag. 238.

quomodo in Libris tuis mihi crimen impingis, quod quando ſcribo: alius hoc dicit, quidam ſic ſuſpicatur; alius *ille & quidam ego ſim. Inter Apollinarium & Didymum explanationis, ſtyli & dogmatum magna diverſitas eſt. Cum in uno capitulo diverſas pono ſententias, num contrarios ſenſus ſequi credendus ſum?* Minimè, ſed in medio rem relinquere, & permittere Lectori electionem propoſitarum interpretationum; quod fieri nequit, ſi nonnullæ hæreticæ judicentur. Hoc tamen, *Hieronyme, Origene* damnato ptofiteri non audebas; nec mirum, cùm anathemata toto orbe denunciarentur *Origenis* diſcipulis. At eâ arte factum eſt, ut difficulter ſciamus quid ſenſeris; niſi te ſenſiſſe id judicemus quod nullis anathematum minis tibi extortum eſſe ſcimus, nec ſine periculo à te dici potuiſſe. Interea poſteris de ætatis tuæ, tuáque adeò ſententia diſceptantibus, occaſionem præbuiſti te & tua Scripta diſcerpendi, dum in contrarias partes te trahere conantur: prout partibus, in quas diviſi ſunt, expedire videtur.

V. Duo alia de ſuis Commentariis nos ipſe docet, ex quibus facilè intelligimus, quamvis ex rebus ipſis judi-

judicium ferre non poſſemus, eos tanti fieri non oportere, quanti eos haberi vellent qui ſe illos admirari ſimulant. Dictatos, nimirum, fuiſſe fatetur non ſcriptos manu ſuâ & verſo ſæpiùs ſtylo emendatos, antequàm in lucem emitterentur; deinde ſummâ celeritate, ac feſtinatione profuſos, cum qua ne modica quidem ἀκρίβεια ſtare poteſt. Ipſum propterea à Lectoribus veniam deprecantem audiamus; quam illi cenſeo ſanè concedamus, ſi modò meminerint nimii ejus laudatores, laudem & veniam multùm diſcrepare. Sic ergò claudit Commentarium ſuum in Abdiam Prophetam: *Hæc ad duas lucubratiunculas, Veterum auctoritatem ſequutus, & maximè expoſitionem Hebraicam propero ſermone dictavi, aperuique os meum, ſed neſcio an illud Chriſtus impleverit. Unde ſapiens Lector ſenſuum magis debet conſequentiam quærere, quàm eloquii venuſtatem. Neque enim eâ lævitate & compoſitione verborum dictamus, ut ſcribimus. Aliud eſt; mi Pammachi, ſæpe ſtylum vertere, & quæ memoria digna ſunt ſcribere: aliud Notariorum articulis præparatis, pudore reticendi, dictare quodcumque in buccam venerit.* In Proœmio verò

in Lib. III. Comment. in Epiſtolam ad Galatas: *Propter oculorum & totius corpuſculi infirmitatem, manu mea ipſe non ſcribo, nec labore & diligentiâ compenſare queo eloquii tarditatem; quod de Virgilio quoque tradunt; quia libros ſuos, in modum urſorum fœtum lambendo figuraverit; verùm accito Notario ſtatim dicto quodcumque in buccam venerit; aut ſi paullulùm voluero cogitare, meliùs aliquid prolaturus, tunc me tacitus ille reprehendit, manum contrahit, frontem rugat, & ſe fruſtra adeſſe toto geſtu corporis conteſtatur.* Similiter in Lib. II. Comment. in Epiſtolam ad Epheſios: *Si qui fortè lecturi ſunt, in commune precor, ut ſciatis me non cogitatum diu, limatúmque proferre ſermonem; ſed, ad revelanda myſteria Scripturarum, uti verbis penè de trivio, & interdum, per ſingulos dies, uſque ad numerum mille verſuum pervenire.* Quæ quidem excuſationes ad ſtylum potiſſimùm pertinent, ſed ejuſmodi ſunt ut ad res etiam ſint porrigendæ; quæ in tanta feſtinatione ponderari, ut par eſt, minimè poſſunt. Præterea ſtylus feſtinantis non modò ſatis elegans non eſt (quod in hoc negotio nequaquam poſtulamus) ſed nec ſatis

rectè

recte aut ſatis accuratè animi ſenſa exprimit; neque enim parum intereſt quibus verbis mentem noſtram exprimamus. Multa à properante prætermittuntur, quæ dicenda fuiſſent; multa invertuntur, quæ alio ordine debuiſſent proferri; multa denique minùs commodè ac perſpicuè deſcribuntur, quæ verſo ſtylo eſſent emendanda, ſi per tempus liceret.

VI. In Præfatione ad Comment. in Eccleſiaſten, profitetur *ſe nullius auctoritatem ſequutum eſſe, ſed de Hebræo transferentem magis ſe Septuaginta Interpretum conſuetudini coaptaſſe, in his dumtaxat, quæ non multùm ab Hebraicis diſcrepabant.* Itaque quædam ſunt *quæ multùm ab Hebraicis in ea verſione diſcrepant*, ac proinde *οἰκονομικῶς*, pro more ſuo, loquebatur *Hieronymus*, cùm dicebat in Epiſt. ad Suniam & Fretelam: *Quidquid ab hac diſcrepat* (Verſione LXX. Intt.) *nulli dubium eſt, quin ita & ab Hebræorum auctoritate diſcordet.* Quæ dicta, ut antea pluribus monuimus, diligenter ſunt in Hieronymianis ſcriptis diſtinguenda, ſi genuinam ejus ſententiam intelligere cupiamus.

VII. Ad verſ. 1. Cap. I. in quo *omnia* dicuntur *inanitas*, quærit In-

terpres noſter: *ſi cuncta quæ fecit Deus valde bona ſunt, quomodo omnia vanitas & non ſolùm vanitas, verùm etiam vanitas vanitatum?* Deinde reſpondet creaturas, quamquam per ſe bonas, pro nihilo eſſe habendas, ſi cùm Deo comparentur. Atqui totus liber, & totum hoc Caput oſtendunt minimè agi de creaturis quibuſvis; ſed de laboribus, occupationibúſque hominum ad hancce vitam pertinentibus, vitáque adeò ipſa humana; quibus omnibus magna moleſtia admiſta eſt, & imminet de propinquo finis. *Quid utilitatis*, inquit verſ. 3. & 3. *homini eſt in omni labore ſuo, quo laborat ſub ſole? Aetas quidem abit, ætas verò venit, at terra in perpetuum ſtat* &c. Quibus in verbis, operibus divinis, qualis eſt terra, quæ ſtabilis eſt, opponit opera & vitam hominum quæ fugiunt; unde ſuperiora intelligere licet. Sed *Hieronymus*, more Veterum, ſæpe tam exiguam rationem ſeriei orationis habet, ut ſingula commata quaſi divulſas nec cohærentes ſententias interpretetur; ex qua ratione interpretandi innumeri profluxerunt errores, verborúmque ad rem nihil facientium tædioſæ atque inutiles profuſiones; quod, in hoc loco,

loco, Interpreti noſtro contigit, qui *caducum & nihil Univerſitatis*, ut loquitur, hîc quærit, ubi de rebus tantùm humanis ſermo eſt. Idque eo magis mirum eſt, quòd rerum ad homines pertinentium inanitas non exiguam loquendi materiem, & quidem de rebus utiliſſimis homini ſuppeditabat. Hinc intelligere licet eum non modeſtiæ dumtaxat causâ, ſed ex vero profiteri ſe in Commentariis feſtinare, rerúmque non magnum delectum habere.

Poſtquàm rectè interpretatus eſt *ætates abeuntes & venientes*, de hominum ætatibus, quarum priores ſequentibus ſimul interituris proteruntur; priorem ætatem allegoricè interpretatur Synagogam, alteram verò Eccleſiam Chriſtianam; quod ſolet factitare, vitiúmque fuit temporis non hominis. Abſurdum enim eſt, invento egregio ſenſu grammatico, qui poteſt ex tota orationis ſerie, uſúque conſtanti vocum & loquutionum demonſtrari; ad alium commenticium, ſine neceſſitate, confugere, qui, ſi negetur, nullâ ratione probari poteſt. Scio Veteres Judæos, jam ante Chriſti tempora, hac in re Chriſtianis præiviſſe; ſcio licere con-

tra eos interpretationes allegorica Majorum ipſorum adhibere, qui non agitur veritas interpretationis ſed tantùm dogmatis, quod ex ea in terpretatione colligitur; cùm quæra tur potiùs quid ſenſerint, quàm qui Scriptura docuerit; at Chriſtiani apud Chriſtianos allegoriis inutilibu & inanibus quaſi firmis ratiocinatio nibus, commodiſque interpretationi bus uti non licet. Alioqui ſi licea nobis pro arbitrio Scripturam inter pretari, vel probare ejuſmodi com menta; quid erit quod carpamus ir interpretationibus allegoricis fabula rum, quibus Ethnici olim Religio nem ſuam tueri conabantur, & ir quas uſque adeò & quidem meritò invecti ſunt veteres Chriſtiani? Nor confero Scripturam Sacram cum pu tidis fabulis; abſit! Nihil comparand causâ loquor, at ea tamen quæ ſun longiſſimè disjuncta comprehendo Allegoriſtarum ingenium haud magi probo in Sacris Libris, quàm in pro fanis. Imò verò magis improbo, propter ſummum rei ſanctiſſimæ abu ſum. Quis enim tandem erit Scrip turæ ſenſus; ſi quidlibet in quovis lo co, pro arbitrio Interpretis, quæra tur? Verùm hac de re, hîc pluribus agere

agere non conſtitui; ſatis erit monuiſſe ex hoc Commentario *Hieronymi* non exiguam partem reſectum iri, quaſi inanem, ſi allegorica commenta, prout digna ſunt, abjiciantur.

Ad verſ. 5. *Oritur ſol, occidit ſol, ad locum ſuum anhelus pergit, atque illinc exoritur*; docet nos *Hieronymus* eum *interitum mundi ortu ſuo quotidie indicare.* Quod verum quidem eſt, ſed ad hunc locum nihil facit, ubi conſtantia Solis veluti morientis & renaſcentis opponitur hominum conditioni; qui mortui ad vitam hancce numquam redeunt. Nam, ut ait ille,

Soles occidere & redire poſſunt
Nobis, cùm ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

Verſus quidem 6. videtur totus de vento intelligendus; ſed tamen prior ejus pars non incommodè de ſole explicari poteſt. At poſterior, *circumiens, circumiens abit ventus*, (aut *ſpiritus*) *& ad circuitus ſuos redit ventus*, non poteſt intelligi niſi de ſtatis ventis, quales ſunt Eteſiæ, qui quotannis ex certo cœli cardine ſpirant, eadem tempeſtate; videtur enim aë-

ris

ris & vaporum fluxus circumagi circa globum telluris, ita ut dum ab oriente, exempli causâ, fertur ad occidentem, ad orientem per oppoſitum hemiſphærium redeat. Itaque venti ipſi conſtantiores ac ſtabiliores rebus humanis hîc habentur, ut in ſequente verſu flumina. Attamen Interpres noſter *ſolem* vult vocari *ſpiritum*, quòd *animet & ſpiret & vigeat.* At ejus rei, ante omnia, oportuit exemplum afferri; nam ſine exemplo non magis licet dicere voce Hebraïcâ רוח *rouahh*, ſignificari ſolem, quàm eamdem eſſe poteſtatem voci Latinæ *ſpiritus*; ubi res ipſa manifeſtò non oſtendit hanc eſſe Scriptoris mentem. Præterea quod dicit Solem *ſpirare & vigere* id *Origenis* eſt dogma, qui Aſtris mentes tribuebat, ut multis docet *P. D Huëtius*, Origenianorum Lib. II. Cap. II. Quæſt. 8. qualia dogmata non rarò in hoc Commentario, ſine alexipharmaco, Lectoribus ſuis propinat Presbyter Stridonenſis.

Verſu 7. *Omnes torrentes* (נחלים nhhalim) *vadunt in mare* &c. obſervandum fuit voce, quâ aliàs *torrentes* ſignificantur, flumina quævis hîc ſignari; nam flumina, potius quàm torrentes,

rentes, qui ſæpe exareſcunt, mare petunt. Pro hoc, *Hieronymus*, ut cetera omittam, *niſi fallor*, inquit, *abſque additamento nuſquam torrens in bonam partem legitur.* Imò verò nuſquam in malam, res enim ſuâ naturâ eſt indifferens, nec quidquam mali ſonat, apud Hebræos. Adeantur, hac de re, Concordantiæ Hebraïcæ, aut Latinæ. Nihil ad rem facit quod dicitur Chriſtus, paullò ante mortem, iviſſe ad torrentem Cedron, Joan. XVIII, 1. & Elias, perſequutionis tempore, ad torrentem Charith latitaſſe. Nihil enim torrentes contulerunt aut ad mortem Chriſti, aut ad vexationem Eliæ, nec ullo nexu cum iis conjuncti ſunt. Attamen *Hieronymus* hæc exempla profert, quaſi id quod vult probarent.

Verſu 8. ſic habet Eccleſiaſtes: *Omnes res* (דברים *dbarim*, quod *verba* & *res* paſſim ſonat) *moleſtas nemo poſſit eloqui, nec ſatietur oculus videndo, nec impleatur auris audiendo.* Hic eſt occultior comparatio, & perinde eſt ac ſi diceret Salomo: ut nullus eſt finis ſpectandi, nec ullus audiendi modus, cùm cupiamus ſemper plura ſpectare & audire: ita nec finem unquam

quam ullam faceret loquendi qui aggrederetur omnia exponere quæ in vita humana moleſta ſunt. Hujuſmodi comparationes, non uno in loco Proverbiorum, occurrunt; quibus ſimiles etiam ex *Pindaro* poſſemus producere. Vide & ad verſ. 15 *Hieronymus* acquievit hîc in prava tranſlatione: *omnes ſermones graves non poterit vir loqui. Non ſolùm*, inquit, *de Phyſicis, ſed & de Ethicis quoque ſcire difficile eſt. Nec ſermo valet explicare cauſas naturáſque rerum; nec oculus, ut rei poſſit dignitatem intueri, nec auris, inſtituente doctore ad ſummam ſcientiam pervenire.* Quàm hæc ſunt remota ab eo quod habet Salomo? Quàm à loci ſententia aliena?

Quod verſſ. 9. & 10. negatur à Salomone quidquam eſſe aut futurum novi, id omnino videtur intelligendum de iis quæ fiunt & dicuntur apud homines; apud quos dicta & facta pleraque, quæ inaudita videntur, ſimilia antea habuerunt. Quod tamen, ut nec pleræque morales ſententiæ, non nimiùm urgendum eſt; ſatis eſt plurima quæ nova cenſentur antiqua eſſe, qualia deprehenderetur, ſi antiquiorum temporum hiſt-

riæ accuratiores exſtarent, aut quæ exſtant diligentiùs evolverentur. Singularia multa in Romana hiſtoria facinora, qualia nulla antea edita credebantur, non eſſe ſine exemplo apud Græcos oſtendit *Plutarchus* in Parallelis Græcis & Romanis. Attamen *Hieronymus* ita latè rem intelligit, quaſi ad univerſam rerum naturam, & omnes omnino eventus pertineret. Eodem errore abreptus *Origenes* hinc, ut oſtendit Interpres noſter, qui vix eum confutat, occaſionem arripuit confirmandæ ſuæ ſententiæ, de aliis ante hunc mundis, in quibus homines vixiſſent. Quin etiam Stridonenſis Presbyter eò, ſine neceſſitate, devenit, ut cenſeret *dicendum, quòd ex præſcientia & prædeſtinatione Dei, jam ea facta ſint, quæ futura ſunt. Qui enim*, inquit, *electi ſunt in Chriſto, ante conſtitutionem mundi, in prioribus ſæculis jam fuerunt.* Quæ omnia inania ſunt, & præter rem eſſe intelligemus, ſi meminerimus non eſſe hîc axioma Mathematicum, quod nullâ exceptione laboret, & ſecundùm ampliſſimam verborum poteſtatem ſit intelligendum; ſed ſententiam moralem, quæ vera cenſetur, ſi in pleriſque rebus humanis, ſummatim

ſpecta-

ſpectatis, locum habere poſſit.

Verſus 11. incommodè vertitu
idque minimè poſtulantibus Lingu
Hebraïcâ aut Latina: *non eſt mem*
ria primis, & *quidem noviſſimis q*
futura ſunt, *non erit eis memoria ap*
eos qui futuri ſunt in noviſſimum. L
ctis Hebraïcis verbis, hoc aut ſim
modo vertendum intelligent qui●ur
que ea adſequentur: *Nulla eſt mem*
ria priorum; *nec eorum*, *qui poſter*
res erunt, *memoria erit apud eos q*
futuri ſunt poſtremi. Præpoſitio
quæ præfigitur tribus vocibus, qu
dativo vertit *Hieronymus*, tam
nota genitivi quàm dativi, ut omn
norunt, nec opus fuit obſcurè dice
& minùs Latinè, quod clariùs
Latiniùs dici potuit, expreſſo æq
ad verbum Hebraïco contextu. Sæ
Interpres noſter ita ſuperſtitioſus v
detur, ut ne barbariem quidem u
lam fugiat, ſi modò verbo tenus H
braïca exprimat; interdum ſic a
dax, ut paraphraſin ejus verſio mu
tò magis referat, quàm tranſlati
nem.

Ad verſ. 13. ſic habet: *Et dedi c*
meum, *ad inquirendum* & *conſid*
randum in ſapientia, *de omnibus qu*
fiunt ſub ſole. *Hanc occupationem m*
la

lam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea: Quæ ſic aggreditur interpretari: *Verbum* ANIAN (ענין hinjan). *Aquila, Septuaginta & Theodotio* περισπασμὸν *ſimiliter tranſtulerunt, quod in* diſtentionem *Latinus Interpres expreſſit, eo quòd in varias ſollicitudines mens hominis diſtenta lanietur. Symmachus verò* ἀσχολίαν, *id eſt, occupationem tranſtulit.* Hinc, atque ex innumeris aliis locis, liquet *Hieronymum* potiùs ex antiquioribus Interpretibus hauſiſſe proprias vocum ſignificationes, quàm ex ipſo Linguæ Hebraïcæ uſu, quem tamen ante omnia conſultum oportuit; unde factum ut à vera vocum poteſtate nonnihil aberrarit. Criticus hodiernus primùm quæſiviſſet Radicis ſignificationem, comperiſſétque ענה, *hana*, eſſe *afflictus, humilis fuit, oppreſſus, dolore affectus eſt*; tum conſideraſſet loca in quibus legitur ענין *binjan*, quod aliquoties occurrit in hoc ipſo Libro, unde intellexiſſet, quod viderunt recentiores multi Interpretes, ענה numquam poſſe verti *occupari*, aut negotiis diſtineri, nec vocem ענין eſſe *occupationem*, ſi propriè loqui velimus, ſed *moleſtiam*, ταλαιπωρίαν. Itaque hunc locum ſic vertiſſet: *animum*

adjeci ad inquirendum indagandúmq[ue] ſapientiâ quidquid ſit ſub cœlo. Hæc e[ſt] gravis moleſtia, quam impoſuit De[us] hominibus, ut eâ premerentur. Gr[a]*vem moleſtiam* dicimus, quia Latin[æ] aures non ferunt *malam moleſtiam* iiſque verbis multò meliùs exprim[i]tur ענין רע *hinjan rah*, quàm ſi *mala occupationem* vertas. Quomodo a[u]tem Deus impoſuerit eam moleſtia[m] hominibus facilè adſequemur, ſi m[e]minerimus * *omnes nos trahi ac du[ci] ad cognitionis ac ſcientiæ cupiditate[m] in qua excellere pulcrum putamus; la[bi] autem errare, neſcire, & decipi [&] malum & turpe ducimus.* Hoc De[us] indidit humanæ naturæ quod per [ſe] laudabile eſt; ſed cupiditate illa n[a]turali ſciendi poſtea abutimur, ex qu[o] abuſu naſcitur *gravis moleſtia*; qua[m] Deus ideò nobis impoſuiſſe dicitu[r,] quòd naſcatur, quamquam noſtrâ cu[l]pâ, ex cupiditate quam diximus. Nim[i]rum, homines *nimis magnum ſtudiu[m] multámque operam in res obſcuras atq[ue] difficiles conferunt, eaſdémque non n[e]ceſſarias*, quarum ſtudio à rebus g[e]rendis abducuntur, cùm virtutis la[us] omnis in actione conſiſtat. Le[g] quæ conatur hîc *Hieronymus*, & i[n]telliges eum, non tantùm à vi pr[...]

pr

* *Cicero in Offic. Lib. 1. c. 6,*

pria verborum, ſed etiam à re ipſa aberraſſe.

Ad verſ. 14. ubi conſideratio eorum quæ fiunt ſub ſole dicitur *inanitas*, ורעות רוח *verehouth rouahh*; *neceſſitate*, inquit, *compellimur ut crebriùs, quàm volumus, de Hebraicis diſſeramus. Nec enim poſſumus ſcire ſenſum, niſi eum per verba diſcamus.* Nihil hoc verius, optandúmque propterea fuiſſet ut frequentiùs & accuratiùs de verbis Hebraïcis egiſſet; nam allegoriæ & conſectaria Theologica cui non domi naſcuntur, qui non ſit prorſus hebes? ROUTH *Aquila & Theodotio* νομὴν, *Symmachus* βόσκησιν *tranſtulerunt. LXX. autem Interpretes non Hebræum ſermonem expreſſere, ſed Syrum, dicentes* προαίρεσιν. *Sive ergo* νομὴ, *ſive* βόσκησις, *à paſtione vocabulum eſt.* Poſtea docet ſe à Judæo accepiſſe רעות eſſe *miſeriam*, ſivè κακȣχίαν. Si conſulamus & analogiam & uſum, dicemus cum doctiſſimis Interpretibus רעות רוח eſſe ad verbum *paſtionem venti*, hoc eſt, temerè conceptam animi fiduciam, quâ inanibus paſci, hoc eſt, occupari, aut diſtineri libenter ſe patitur, atque in iis acquieſcit. Vide Oſeæ Cap. XII, 2. & loca hujus libri, in quibus ea

loquutio occurrit expende, nec du
tabis quin is ſit genuinus ·loquutio
ſignificatus.

Verſus 15. ſic habet: *Contortum*
queat rectum fieri, neque quod d
poſſit numerari, ſi Hebraica exp
dantur. Incommodè vertit Hiero
mus: *Perverſus non poterit adorna*
& imminutio non poterit numera
nec ſatis rectè interpretatur. Senſus
quemadmodum in ſumma ſubduc
da, defectûs nulla ratio haberi pot
ſeu numerando nullus poteſt nume
fieri major, quàm eſt: ſic nec phi
ſophando rerum humanarum nece
ria incommoda mutantur, aut am
ventur. Quamobrem fruſtra ſapi
tes de illis meditentur, animúm
ſuum cogitando excrucient. Co
paratio hîc latet, ut verſ. 8.

VIII. Si omnia, in hoc Comm
tario Hieronymiano, acerbâ dilige
tiâ expendere vellemus, atque
accuratiſſimam interpretandi norm
ſeverè exigere, hîc nobis eſſet n
finis huic Opuſculo imponendus,
alterum inchoandum volumen. V
rùm nec hoc neceſſarium eſt, & t
dioſum eſſet; cùm animadverſa à n
bis poſſint eſſe ſpeciminis loco, ex q
ſatis liquet veriſſimum eſſe quod an

de Hieronymianis Commentariis, ex ipſo eorum Scriptore hauſimus. Quod unum nobis demonſtrandum propoſueramus, ad hanc Quæſtionem. Supereſt nunc ut candidè, prout viros bonos decet, harum rerum periti profiteantur, ſi Commentarios in Scripturam Sacram ſcribere aggrederentur, ad *Hieronymine*, an ad Recentiorum Criticorum exemplar ſe ſe eſſent compoſituri; dicántque an cauſam ullam videant quamobrem, verbi gratiâ, Stridonenſi Presbytero potiùs invideant, quàm *Hug. Grotio*, aliiſque qui in Scripturam eodem exemplo Commentarios ediderunt. Si liceat mihi, pro omnibus, reſpondere, apertè profitear per me licere *Martianæo*, ut ſibi exemplar Hieronymianum, ſi ita videatur, proponat potiuſquàm Recentiorum; at peritum neminem ejus judicio ſuum adſcripturum. Quod cùm ita ſit, quidni id quod omnes ſentiunt proloqui, *Hieronymúmque* errantem caſtigare, rectè ſentientem laudare & ſequi, ut ceteros omnes Interpretes, nobis liceat? Profectò hæc libertas, ſine ſumma aut imperitia, aut iniquitate, non poteſt nobis negari.

FINIS.

A01
1467570